ANALECTA NOVA
AD
HISTORIAM RENASCENTIUM
IN HUNGARIA LITTERARUM
SPECTANTIA.

IUSSU ACADEMIAE SCIENTIAE HUNGARICAE

EX SCRIPTIS AB

EUGENIO ABEL

RELICTIS CUM COMMENTARIIS EDIDIT PARTIMQUE AUXIT

STEPHANUS HEGEDÜS.

BUDAPESTINI,
TYPIS VICTORIS HORNYÁNSZKY.
1903.

PRAEFATIO.

Eugenius Abel funestissima morte ereptus, diligentissime collectam materiam reliquit, quam ex codicibus et incunabulis variarum bibliothecarum excerpserat, sed fata ei haud permiserunt tempus et otium, eam in ordinem redigendi et ad communem utilitatem edendi. Manibus eius pientissime consecro hunc meum laborem, quo haec Analecta Nova edenda praeparavi. Hoc volumine continentur praefationes et epistolae dedicatoriae, nec non carmina dedicatoria et panegyrici, quibus scriptores litterarum renascentium praeclarissimi reges Hungariae et excellentissimos antistites et proceres gentis Hungariae honoraverant. In indice alphabetico ordine redacto invenies omnem materiam. Hic elucent nomina Aldi, Bartholomaei Fontii, Bonfinii, Bochii, Constantii Fanensis, Marsilii Ficini, Pacifici, Ransani, Ursini, ut summos viros nominem. Sed habebis etiam hic orationem funebrem Garsonii pro rege Mathia habitam, denuo ex codice Bononiensi redintegratam; epitaphia varia ex variis fontibus hausta et carmina ad res Hungaricas quandam relationem habentia, plerumque carmina dedicatoria ad opera Hungarorum scriptorum. Praeterea hic invenies quattuor opera selecta, quae in incunabulis reperiri possunt, sed et cum codicibus ab Eugenio Abelio collata sunt. Has collationes partim et ego iterum contuli cum exemplaribus, quae mihi videre contigerat. Hoc loco gratias mihi agendum est Alexandro e comitibus Apponyi, qui summa cum liberalitate bibliothecam suam rarissimis thesauris refertissimam aperire dignatus est. Haec opera sunt Joannis Nicolai Nagonii poëmatum libri IV. ad WladislaumII.,

1*

ppo Cylano Morae Pannonio
apud Venetos et compatri
S. P. D.[1]

nt in hac mea provincia plena
llud gratissimum, quod magni
ique amantes sunt bonarum
isque laboribus nostris amant
facis. Es enim et literarum
s apprime doctus nec non
familiae, quae cum maio-
n te praeposito Agriensi ac

zo Pannonio Varadiensi
P. D.[2]

ursurus honores
t equus.

quod et equos et id genus
mines. Nam etsi ipse eam
va forma excusa ad com-
carentur, tamen lecta tua
et Georgii Quinqueeccle-
it cum et propriis et regiis
domi in bibliothecis vacare
sce libellos a nobis, quod

Atticum, ad Br ... uintum
tiis in aedibu ... ae

accuratius re
Asculani So

regem Hungariae; Cybelei opusculum de laudibus et vituperio vini et aquae; Martini Tirnavini: Carmen paraeneticum rarissimum ad regni Hungariae proceres et Bartholomaei Pannonii: Commedia Gryllus et Dialogus inter Vigilantiam et Torporem. Heu!

> Fortuna saevo laeta negotio, et
> Ludum insolentem ludere pertinax!

Fere eodem tempore adhortatur Martinus Tirnavinus proceres, ut contra Turcos bellum susciperent, quo Bartholomaeus Pannonius Dialogum scribit inter Vigilantiam et Torporem! Vigilantia defuit, Torpor subegit animos et Hungaria funestissima clade servitutem subire coacta est. Imminuit nox, quae lumina litterarum obruerat eoque maiore pietate prosequimur aetatem, de qua Eugenius Abel in praefatione ad Analecta sua futurorum fidus scribit:

„Non despero futurum esse, qui licet satis in his studiis versatus hoc volumine perlecto nonnihil rectius quam antea de hac splendidissima nostrarum litterarum aetate iudicaturus sit."

Dabam Budapestini, die XIII. mensis Novembris 1902.

Aldus Manutius Rom. Philippo Cylano Morae Pannonio a secretis regis ac oratori apud Venetos et compatri Obser. S. P. D.[1]

Multa mihi grata contingunt in hac mea provincia plena laborum, inclyte Cylane, sed illud gratissimum, quod magni etiam viri, ac principes, quicunque amantes sunt bonarum literarum et nos de tantis assiduisque laboribus nostris amant plurimum, quemadmodum et tu facis. Es enim et literarum et nostri amantissimus, quod sis apprime doctus nec non ingens decus non modo Cylanae familiae, quae cum maioribus tuis clara est et insignis, tum te praeposito Agriensi ac a secretis Regis et oratore etc.

Aldus M. Ro. Sigismundo Thurzo Pannonio Varadiensi Episcopo S. P. D.[2]

Acer et ad palmae per se cursurus honores
Si tamen horteris fortius ibit equus.

Vide quantum valet hortatus, quod et equos et id genus ἄλογα reddit alacriores, necdum homines. Nam etsi ipse eam paratissimus ut omnia M. Tullii parva forma excusa ad commodiorem usum studiosorum publicarentur, tamen lecta tua eleganti epistola, qua me et tuo, et Georgii Quinqueecclesiensis Episcopi nomine hortaris, ut cum et propriis et regiis negotiis occupatissimi non queatis domi in bibliothecis vacare politioribus studiis, habeatis hosce libellos a nobis, quod

[1] M. T. Ciceronis epistolarum ad Atticum, ad Brutum, ad Quintum fratrem libri XX . . . . . (végén) Venetiis in aedibus Aldi et Andreae Soceri Mense Junio MDXIII.

[2] M. T. C. Epistolae Familiares accuratius recognitae stb. Végén : Venetiis in aedibus Aldi et Andreae Asculani Soceri. MDXXII. Mense Junio.

commode foris legatis, vobis morem gerere cupientes M. T. epistolas familiareis damus mox et quae ad Atticum, et deinceps reliqua, tum aliorum omnia digna lectu. Curabimus enim ut vel portatiles bibliothecas et latine et graece studiosis Jesu favente suppeditemus. Hac vero familiares epistolae corectiss. e thermis nostris exirent, magnopere elaboravimus, quod legens statim tu ipse cognosces. Illud non praetereundum putavi omnia M. T. opera conferre mirum in modum, si legantur assidue, sed epistolas maxime. Nam et copiosum et elegantem et quod facio plurimi perfacilem in scribendo studiosum sui efficiunt. Qua re saepe mecum mirari soleo de industria quosdam in dicendo duros, qui quam recte sentiunt, Ciceronis scripta ostendunt. Sed inquies sunt quibus non placet Cicero. At Fabius Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit. Sed γλαῦκα εἰς Ἀθήνας qui ad te haec. Vale cum nostro Quinqueecclesiensi meque amate.

Laurentius Ambruster Cibiniensis ad Lectorem. [1]

Alberti quisquis sectaris dogmata magni
Si tibi sub parvo discere magna placet.
Hoc te congestum, lector studiose, volumen
Edocet, inque brevi tempore multum (!) (=a) scies.

Georgius Anselmus Nepos. Ad Tydeum Ugolettum. [2]

Ni nobis oculis fores utrisque
Longe carior, erudite Tydeu,

[1] „Alberti magni philosophie Naturalis Isagoge: sive introductiones: emendate super et impresse summa diligentia. In libros Phisicorum de celo et mundo, de generatione, Metheororum. De anima Aristotelis. Cum annotatiunculis marginalibus." Végén „Impressum Vienne Pannonie: per Joannem Singrenium. Expensis vero Leonhardi Alantse, Civis Viennensis. Idibus Decembribus. Anno. MCCCCC XIIII."

[2] Georgii Anselni Nepotis Epigrammaton libri septem. *Végén*: Franciscus Ugoletus et Antonius Viotus Socii imprimebant Parmae mense Septembri MDXXVI. Lib. I. az aıııı jelű levél rectóján.

Centonis furerem furore et ira
Nam tu me quid ita, o inique, tota
Tentasti miserum necare coena,
Hora scilicet optima diei,
Dum mittis colubros, venena et enses?
Dii magni improbum, ineptum et indisertum
Illum barbarum et impium libellum!
Non impune erit hoc tibi, miselle!
Cras, si vixero, et hos et hos et illos
Evolvam forulos librariorum
Panatosque Piosque Navitasque,
Si quid praeterea infacetiarum est,
Remittam, paria a me est iis venenis
Reddantur tibi dona pro venenis
Vos hinc este procul proculque, sordes.
Si quis haec quoque, si quis olim amore
Captus, perlegat haec parum erudita
Nec sat sobria nec severa multum.

Epitaphium Tadii Ugoletti.[1]

Hic Tadius ille est saeculi sui splendor
Situs, utriusque columen et decus linguae
Reconditorum sensuum rudi qui iam
Silva incohata vatum acutus interpres
Novum Latinis literis phaos[2] fudit
Ne moribus dehinc neve naris emunctae
Abominabilis imperitiae censor
Vel Cato aliquis vel Metius foret iudex.

Ad Tydeum Ugolettum.[3]

Duxerat imperium mundo gens nata regendo
Aequabatque astris Martia Roma caput,

[1] Lib. IV. a λIII. jelű levél versóján. [2] Chaos *C.* [3] Lib. VI. a KIII jelű quaternio 5-ik levelének rectóján.

Cum propria linguae tumefacta volubilis aura
Insultat neque adhuc Graecia tota sedet.
Opposuit sese magno conamine Tydeus
Nec tulit Argolicis Itala regna premi.
Macte novo eloquio Tydeu, te vindice pubi
Dat Latiae victas Attica Suada manus.

Epitaphium Illustrissimi Mathiae Ungarorum Regis.[1]

Mathias[1] regum specimen et gloria Martis
Hic iaceo fatis[2] obrutus ante diem.
Qui domui reges Moravos[3] fortesque Bohemos
Atque Polonorum castra superba ducum
Innumeros vici[4] populos pulchramque Viennam
Solus et inmensi[5] qui timor orbis eram
Caesare de gemino[6] fateor duxisse triumphos
Alter[7] Romanus, Thurcus et alter[8] erat.
Plurima conceperam — nostris fortuna diebus
Invidit — cecidi pulvis et umbra tamen
Aspice qui fuerim, quam magnus postea mundi
Secula narrabunt me tulit hora brevis.

1494.

Antonii Bonfinii.[9]

Atria cum statuis ductis ex aere fonsque
Corvini referunt principis igenium
Matthiam partos post tot ex hoste triumphos
Virtus aes marmor scripta perire vetant.

---

[1] Cod. Monac. Lat. m. 428. saec. XV. ex fol. 232.[a] (C). Megvan a XVII. századbeli 8677-ik számú müncheni codexben is fol. 49a (E). [1] Matthias E. [2] fortis E. [3] populos E. A 4-ik és 5-ik sor hiányzik E-ben. [4] vici C. [5] inmasi (? talán inmensi?) solus E. [6] Caesares geminos C. [7] Similiter C. [8] Germanius (így) Tarcicus (így) alter E. Az utolsó négy sor hiányzik E-ben. — V. ö. a következő epigrammot a Cod. Mon. 476-ból saec. XV. fol. 289. (C). [9] Ugyanazon kéziratból.

Georgius Anselmus Nepos.

Epitaphium in Ladislaum regem Pannoniae, Bohemiae etc.

Huic teneras lector lacrimas inpende[1] sepulchro,
Ingenium pietas si movet ulla tuum.
Nam iacet hic primo defunctus flore iuventae[2]
Rex idem quondam Pannonieque decus.
Dura Ladislaus in Turcos bella parabat
Robore militiae diuitiisque potens,
Ut validum fidei trans pontum pelleret hostem
Demeret et[3] Grecis exitiale iugum.
Sed bis ad undenos nondum pervenerat annos,
Cum rapuit iuvenem praecipitata dies
Jam populos in spem vincendi[4] erexerat omnes
Additus et Turcis iam metus acer erat,
Jamque gener poterat Gallorum ab rege vocari,
Mors nisi turbasset invida coniugium.

Epistola Jo. Argyropyli ad Ladislaum Vetesium.[5]

Perlegi tuam orationem gravissimam luculentissimamque, mi suavissime Ladislae, tantamque fere inde voluptatem accepi quanta me summorum oratorum orationes afficere solent. Sunt enim in ea summa omnia nec dispar quicquam cuiquam inveniri potest. Nam et sententiae causae et elegancia sententiis et stilus elegancie quod in omni oracione expetendum esse maximi (!) opere constat non mediocriter accomodari videtur. Ubertatem praeterea copiamque dicendi tantam in ea cuiquam cernere licet ut si paulo maior fuisset materiam ipsam exuperasset, nec sese parem causae praestitisset quod quidem vicio dicendi tribui potest. Effertur insuper ubi oportet planaque repetens inde rursus emergit et sese conformem tam suae partibus causae quam sententiarum varietati perpetuo reddit. Docet denique monet atque habunde partesque suas ultro tales auditoribus effert quales

[1] inplende *C.* [2] iuventus *C.* [3] ex *C.* [4] vincenda *C.* [5] Cod. Vind. nr. 5180, fol. 106^{b}, 107^{a} közvetlenül Vetési beszéde után.

et natura ipsa et ars efflagitasse atque instituisse videtur. Quid plura? nihil ipse medius fidius in ea afferendum desideravi, nihil aufferendum inveni. Id inquam id quod in perfectissimis operibus accomodatissime dici solet. Ars ipsa dicendi quasi suis eam effinxisse manibus, depinxisseque videtur. Et ut exemplar sui generis huic tempestati posteritatique non inexactissimum de industria tradidisse tanta ne dii immortales exterae gentes nacionesque possunt et vix etiam eloquentissimus quisque media natus in urbe maximisque in causis longo tempore versatus egisset, id in ipso senatu non modo non Romanus sed adolescens eciam egit. Ego mi Ladislae si suum artificem opus satis exprimere possit hac oratione te tua iam eum esse percepi quem exercitatio tantum ad eos homines prope perduxerit in quibus gloriatur vetustas. Nam et ingenio peracri et doctrina eximia et peritia multarum rerum haud vulgari huic aetati subcrescere oratorem per eam te sensi. Quod si adhoc accessit et ipsa dicendi magistra exercitatio quis dubitaverit eum te tandem fore quem non disertum solum sed eloquentem etiam vocare quisque posset. Perge igitur ut facis, mi Ladislae, perge et in id studium in quo versaris incumbe ut et tibi honori et tuis utilitati et nationi tuae praeclarissimae non solum emolumento sed etiam gloriae esse possis. Vale.

Fr. Arnoldi de Bawaria liber singularis de arte poetica eiusque laudibus et usu delectamineque. [1]

Poesis est signum vitae et hinc est quod gens quae sua caret poesi, ipsa quoque careat quasi vita nationali, et hinc est denique, quod celebriores quaequae gentes suos habuerint et habeant poetas in signum vitae nationalis. Nemo est qui ignoraverit poetarum graecorum latinorum-

[1] 16 negyedrétű lapból álló munka, melynek „Prologus"-ából a föntebb közlött idézet véve van. „Impressum Colonie, M. CCCC. LXXXXII." Azon példánya, melyből Kemény (Kalászátok, p. 17) az idézetet kiirta, előbb Páriz Pápai Ferenczé, később a nagy-enyedi könyvtáré volt. Páriz Pápai az emlitett Gábor neve után a következendő megjegyzést tevé: „Bonfinius szerint szerette Mátyás király magát cántáltatni. De ki volt ezen Gábor? hic labor, hoc opus".

que elegantiam, quam imitari student omnes gentes nostrae aetatis cultiores, quin et ipsi quoque Pannones, inter quos memorari meretur Gabriel ille Ungarus, qui elegantissimas quasque cantilenas versusque nativa sua lingua in delectamen concivium suorum adeo feliciter concinnavit, ut iis ipse quoque serenissimus D. D. Matthias Pannonum Rex eruditissimus semet saepius inter ocia recreasse feratur. Idem uti mihi ex ea regione per confratres meos relatum est, nititur nunc invictissimi dicti Domini Regis sui virtutes bellaque suo et latio sermone decantando memoriam tanti Regis nunquam emorituram futuris transscribere seculis.

Joanni Vitezio Vesprimiensi ac Viennensi Episcopo.

(Hier. Balbus) [1]

Qui cecini placidi per amoena vireta Symechi
  Nunc peto Vesprimii rura beata soli.
Hic tu dum tetricis laxabis pectora curis
  Ingenioque reges sceptra minora tuo,
Ipse leves elegos viridi rem pinus in umbra
  Cantabo et lusus blande Cupido tuos.
Esto procul fulvi si cui sitis imperat auri,
  Et gravis innumeras arca flagellat opes.
Hortulus angustique lares tenuisque supellex
  Exiguumque pecus maxima gaza mihi est.
Me mea Musa beat sacris bene nota Camaenis,
  Quae cupit in laudes ire diserta tuas.
Forte legens nostris mananti a carmina rivis
  Dices: Post Janum palma secunda tibi est.

Michaeli Vitezio [2] (pag. 197).

Blandus Amor faciles nobis iam suggerit alas,
  Jam mitem ambobus se dedit alma Venus.

[1] Ezen költemény, valamint a következő öt, Hieronymus Balbus epigrammjainak 1494-iki bécsi kiadásából van véve, p. 195. [2] Ugyanazon gyűjteményből. A Ketzer-féle kiadás 118-ik lapján is van egy „Michaeli Vitezio“ írt hosszú, de különben érdektelen, költemény, p. 203. pedig egy „Valentino Kraus medico“ írott: p. 206. „Jo. Vitezio Vesprimiensi ac Viennensi Episcopo“.

Est tibi flavus Hylas ardor, mihi fuscus Iollas,
 Ille tibi sensus abstulit, iste mihi.
O quotiens posui (dulce est meminisse malorum)
 Ante fores dura flebile corpus humo.
O quotiens vacuo prostratus uterque cubili
 Noctem perpetuis traximus in lachrymis.
At nunc deliciis fruimur sine fine beatis,
 Ducimus optato tempora colloquio.
Oscula carpuntur, lepidi cantantur amores,
 Tractantur facili dulcia plectra manu.
Quod si perpetuo maneant haec gaudia nobis,
 Spernamus superi tecta superba Jovis.

Michaeli Vitezio (p. 215.)

Dulcia Pelignum redolent tua carmina nectar,
 O mihi Orestaea iuncte poeta fide!
Et tibi Phoebus adest et adest sacra turba sororum,
 Seria sive velis, sive iocosa sequi.
O dilecta Deis, o felicissima tellus
 In qua tu fausto sidere progenitus.
Per te Pannonium migravit Phoebus in orbem,
 Mixtus et Aonii defluit Ister aquis.

Michaelis Vitezii ad Reverendissimum Dominum Jo. Vitezium Episcopum Vesprimiensem ac Viennensem elegia
(p. 215. 216.).

Pontificale decus nostro memorabile saeclo,
 Accipe Vitezii munera pauca tui.
Horrida grandisono canat alter bella cothurno,
 Martia quae Gallo Roma sub hoste tulit,
Fraternasve acies et notos caede Philippos,
 Et Ptolomaeo funera facta solo.
At mea Musa tuas numeroso carmine laudes
 Dictet inaequali conspicienda pede.
Mox te grandiloquo referam (modo vita supersit)
 Carmine Smyrnaeo concomitante choro.

O, tibi mite quidem, sed pectus mitius ore,
  Non alia antiqui forma Catonis erat.
Supplicibus facilis, tumidos scis vincere, felix
  Cui datur ex omni noscere vera loco.
Quanta serenati radiet clementia vultus?
  Nec quisquam a miti principe tristis abit.
Sic Titus orbis amor Romanae gloria gentis
  Audiit a populo vota petita suo.
Docta Maronaeo tu proluis ora liquore,
  Eloquiique nitent flumina larga tui.
Sacrarum nosti numerosa columina legum
  Jura quidem memori pectore cuncta tenes.
Nec te Tersiten potius sed Nestora dicam
  Qui bene tam noris tam graviterque loqui.
Hinc tibi sacratae regum praestantur habenae,
  Omniaque arbitrio stantque caduntque tuo.
Nec nocuit fortuna tibi, sed victa pudore
  Se facilem tanto praebuit illa viro.
Sint alii certe terrena labe creati,
  Te liquet aethereo semine progenitum.

Ad Jo. Baptistam de Zoculis (p. 224.).

I, pete laurigeros celeri pede Musa penates
  Baptistae, et brevibus ora resolve modis.
Ut noscam, an valeas, me misit ab axe boreo
  Pannon, inocciduo qua micat ursa polo.
Qui licet arva colat riphaeis sparsa pruinis,
  Non cecidit memori pectore lapsus amor.
Carmina non reddent sacras Permessidos undas
  Sed sunt barbaricis barbariora locis.
Quidquid enim gelidum scribit prostratus ad Istrum,
  Naturam redolet ingeniumque loci.

Epitaphium eius (p. 224).

Dalmata me genuit, me sustulit Hungara tellus.
  Dum vixi, alligeri miles amoris eram.

Jo. Vitezio Vesprimiensi ac Viennensi Episcopo
(p. 224. 225.).

Maximus Alcides, totum qui viribus orbem
  Vixit et immota sustulit astra manu
Pauperis Evandri tenues subiisse penates
  Dicitur, et mensas parve Molorche tuas.
Te quoque sidereo Praesul dignissime caetu
  Haud pudeat nostras concelebrare dapes.
Jane serenato qui conspicis omnia vultu,
  Reddas aspectu prandia laeta tuo.
Este procul curae, duri procul este labores.
  Sint choreae, ludi, plectra, Cupido merum!
Quisque bibat, sed plura bibas tu pocula largo
  Nectare, dumque bibis talia verba sonent:
Sint tibi, Praesul, opes, sit honor, sit gloria, splendor,
  Et videat Pylios laeta senecta dies.
Sint cito purpureo tua tempora cincta galero,
  Accedat culmen pontificale tibi.
Candida fumoso madeant crystalla phalerno,
  Omnia iucundis sint loca plena iocis.
Namque ioco et requie gaudet formosus Apollo,
  Saepe racemifero est vincta Minerva Deo.
Otia qui sumsit multo ferventius idem,
  Postmodo virtutis grande peregit opus.

Inscriptio in loco Judicii summi.

Praemia ne iusto desint, ne poena nocenti
  Conditus hic legum est institiaeque locus.
Rex Vladislaus patriae flectebat habenas,
  Nobile quo fieri hoc tempore iussit opus.[1]

---

[1] „Proceres qui huic iudicio praesidetis, publici quoque provinciae scribae, item patroni causarum et testes, omnesque alii, per quos causae forenses aguntur rerum, Vladislaus vos iubet diligere iustitiam, calumniam iniquitatemque omnem cavere, cuius imperium si in praesentia eludere tentatis, mementote vos propediem ante Dei tribunal futuros, quem inludere non poteritis.“

Carmen Hieronimi Balbi Doctoris Praepositi Posoniensis et Secretarii Regiae Maiestatis.[1]

Inclita, quae Sciticis gens prodiit Hungara terris,
  Nil nisi sanguinei Martis amabat opus,
Clara quidem bello, partisque decora triumphis,
  Sed non pacificae conscia legis erat.
Non fora legitimis resonabant sparsa tabellis,
  Nullaque conscripti regula iuris erat.
Jus dubie pendens incertaeque alea litis,
  Sparsaque clamoso iurgia vana foro.
Inde (nefas) patriis eiectus sedibus haeres
  Haesit et alterius substulit alter opes,
Inque pari causa lata est sententia dispar,
  Et modo qui victor mox fuit ille reus.
At Stephanus veterum laudes egressus avorum
  Adtulit optatam providus author opem,
Qui nunc Pannoniae perscribit iura feroci
  Armaque fulta sacris legibus esse iubet.
Ille aperit regni triplici decreta libello
  Et notat ambiguo iura tuenda foro.
Atque docet mores, longo servabit ab aevo
  Quos Scitha Caesareis legibus esse pares,
Et quae vix poterant numeroso codice claudi,
  Sedulus in paucas diggerit ipse notas.
Actio certa patet, certa est praescriptio rerum,
  Et contestatae formula litis adest.
Quisque suum noscens alieno limite cedet
  Sponte nec infirmus praeda potentis erit.
Jusque piumque colent placida sub lege quieti,
  Sorte pari causas Croesus et Irus agent.

[1] „Tripartitum opus iuris consuetudinarii inclyti regni Hungariae: per magistrum Stephanum de Werbewcz personalis presentie regie maiestatis locum tenentem accuratissime editum." A könyv végén: „Impressum Viennae Austriae per Joann. Singrenium. Anno dom. M. D. XVII." Balbus költeménye megvan műveinek Ketzer-féle bécsi kiadásában is, I. p.

Macte animi qui tanta tuis dare commoda nostri
Gentibus, insignis fama futura tua est.
Ut Cretae Minoa colunt, Argique Phoroneum,
Legifer et Spartae templa Licurgus habet,
Utque Solone suo dociles laetantur Atheenae,
Sic laudes referet Pannonis ora tuas.
Maior erit sacris qui moenia legibus armat,
Quam qui belligerae congerit artis opes.
Nam licet arma vacent, solidi stat gloria iuris
At sine iure parum Martia bella iuvant.

Bartholomaeus Fontius Matthiae[1] Corvino Regi Pannonio[2] S.[3]

Erat, Matthia Corvine rex invictissime, nostra constans in urbe fama, quemadmodum felicitate ac virtute, validas bello nationes domueras, et quacunque victricia signa converteras, perinde ut alter Mars, ingentes hostium strages semper edideras. Sed nondum, quae longe[4] potiora sunt armis, cognoveramus: ut fortitudini animi et scientiae militari studium quoque vehemens adiunxeras[5] artium optimarum. Verum ex quo Tadeus Ugholettus vir disertus et eruditus[6] hanc in urbem concessit ad tuam bibliothecam perficiendam, tum vero mirificus ardor Musarum et divina mens tua[7] ista cunctis innotuit. Quotiens enim Florentina civitas eum de tua benignitate in homines studiosos deque rectissimarum artium reparandarum immortali voluntate loquentem audivit, totiens est erga Maiestatem Tuam incredibili amore inflammata[8] et tui[9] magnitudinem animi admirata. Qui in tantis maximarum rerum agendarum molibus[10] et veterum[11]

[1] Mathiae (lejebb is egy *t*-vel) *C.* [2] *Pann.* hiányzik *E*-ben. S. etc. *E.* [3] „Opera exquisitissima *Barth. Fonti.* Florent. V. Cl. Familiaris Matthiae Regis Pannoniarum. Ed . . . Georgius Remus. Francofurti. MDCXXI." E kiadást *E*-vel jelöltem, *C*-vel pedig a bolognai egyetem 382. számú codexét, mely Fontius leveleinek gyűjteményét tartalmazza. [4] *longe* hiányzik *C*-ben. [5] adiunxeris *C.* [6] *v. d. et er.* [7] *tua* hiányzik *E*-ben. [8] inflamata *C.* [9] *tui* hiányzik *C*-ben. [10] molibus *E.* [11] antiquorum *C.*

scriptorum monumenta non sinas interire vetustate et novorum ingenia excites magnis propositis praemiis et honoribus. Quod si superiores fecissent reges, non tam multi scriptores nobiles deperissent, neque tam diu[1] in tantis tenebris humanissima studia iacuissent. Tu unus, serenisseme rex his turbidis temporibus affulsisti,[2] Maiestatisque tuae splendorem ad illustrandas artes[3] honestissimas convertisti. Qua quidem ex re, et in praesens afficeris per omnem orbem sempiternis honoribus, et ad omnem posteritatem aeterniorem laudem consequeris, quam aut Athenis, Pisistratus aut Alexandriae Ptolomaeus, aut Eumenes Pergami, aut olim Romae[4] Caesar, nuper vero Nicolaus Pontifex Quintus, bibliothecis insignibus publicandis. Illi enim praestantissimi principes iis civitatibus imperarunt quae liberalibus disciplinis maxime tunc florerent, iisque vigere temporibus, quibus de nominis claritate inter se urbium moderatores maxima aemulatione contenderent. Tu vero et primus et solus istud amplissimum regnum, quod rerum a te sapienter, feliciterque gestarum magnitudine decorasti, nunc quoque litteris et scientiis excolis et amabilibus reddis mansuetissimus musis. Quae pridem ex omni Graecia eiectae, modo etiam a nostris Principibus destitutae, a Gallis vero Germanisque neglectae ad te confugiunt teque unicum suum decus et certum praesidium venerantur. Unde tua quidem perpetua et singularis gloria fuerit, sustulisse cunctis studiosis hominibus in Regia signum, quo ex omnibus urbibus, gentibus, nationibus, populis ad te Regem liberalissimum viri litterati conveniant. Ego certe non in postremis tanta nominis tua fama compulsus, tantaque tua benignitate in studiosos commotus, incredibiliter ardeo, pro mea virili conferre aliquid rectissimo laudatissimoque consilio, Bibliothecae et studii publicandi. Itaque quod nunc potui pro angustia temporis, *Tadeum cum quibusdam meis opusculis ad te misi.* Quem non longo post tempore subsequentur maiora nostra in Valerium Flaccum nomini tuo dedicata volumina, et tua Celsitudine digniora. Interim hunc

[1] tamdiu *E.* [2] affulxisti *C.* [3] artis *C,* arteis *E.* [4] a levél vége Romae után hiányzik *C*-ben, melyből e helyen négy levél ki van tépve.

oro benignus excipe, inter aliosque auctores in ista Bibliotheca totius orbis terrarum nobilissima Fontium tuum repone. Vale. Florentiae XVI. Cal. Januarii 1471.

Bartholomaei Fontii Tadeus incipit ad Matthiam Corvinum Regem invictissimum. [1]

Dubitavi aliquantisper, Mathia Corvine, Rex praeclarissime, *dicaremne Maiestati tuae perbrevem perque humilem hunc sermonem, habitum nuper* cum Tadeo Ugholetto viro doctissimo et ad tuam Bibliothecam perficiendam aptissimo. Maluissem enim hoc initio meae erga te perpetuae observantiae declarandae, misisse aliquod opus insignius, et Regiae celsitudini tuae convenientius. Cui non nisi multis lucubrationibus expolita et ad amussim perfecta decet dicari opera. Verum tui excellentiam animi mecum reputans, non dona sed affectus donantium intuentis; decrevi eum tandem ad te transmittere putans fore tibi non iniocundum praesertim cum ad eum referendum sim adhortatus ab homine amantissimo et Maiestatis tuae studiosissimo. Nam Tadeus me proximis diebus superioribus domi scriptitantem cum invenisset, quid inquit hoc est operis, quod nunc habes in manibus? Cui ego: De Poeticis locis. Tunc ille, quibusdam ex iis percursis: Hoc, ait, multis utile opus et gratum Regi . . . .

Bartholomaei Fontii Saxettus Incipit ad Joannem Corvinum Matthiae Regis F. [2]

Matthiae Regis Soboles Corvina Joannes:
Quem similem magni cernimus esse Patris:

[1] a „Tadeus" végén (p. 28): „Bartholomaei Fontii Tadeus: vel de Locis Persianis finit, ad Matthiam Corvinum Regem invictissimum".

[2] Ugyanaz Remus-féle kiadásból (p. 374), mint a megelőző dedicatio. A fent közölt levelekkel és verssel tüzetesen foglalkoztam „Bartholomaeus Fontius" czímű értekezésemben, mely megjelent az „Irodalomtörténeti Közlemények" 1902. évi folyamában.

Cum regnum tueare armis, cum moribus ornes:
  Illustresque tuo sidere Pannonias:
Ut meus in te ardens animus, studiumque pateret
  Munera cum vellem congrua ferre tibi:
Ac neque Pyrgothelis gemmas, nec signa Lysippi:
  Nec quod Apelleis fulgeat in tabulis.
Nec vasa insignem referenti Mentora haberem:
  Hoc tibi quod possem mittere maius erat.
Carmina nam primis si complecteris ab annis
  Post mortem vatum munere vivus eris.
Caetera nam tempus ferrumque aut conterit ignis
  His neque longa dies flamma nec ensis obest.

Bartholomaeus Fontius Petro Garasdae Pannonio. S.[1]

Litterae tuae amantissime ad me scriptae cunctas molestias animo depulerunt. Non potui enim non dolorem reprimere, atque animum auctoritate tua confirmatum non constantem habere. Itaque durabo, ut mones, et de te semper optimam spem habebo, teque pro tuis in me meritis singulari fide observantiaque amabo. Vale. Florentiae Idibus Februarii 1471.

Bartholomaeus Fontius Petro Garasdae Pannonio. S.[2]

Simulac te quartana liberum ex tuis litteris intellexi, incredibili gaudio sum affectus. Sed si me amas, moerore solicitudineque expulsa aegritudinis tuae potissima causa, ingentes animos erigas. Nam ut ex multis audio *Pannoniis rebus compositis et tui ad regem in auctoritate et gratia pristina* permanebunt et tu eris brevi inter eos in gradu altissimo constitutus. Nihil est enim tam magnum, quod ego te propter egregias virtutes tuas suavissimosque atque optimos mores summamque humanitatem non sperem consecuturum. *Donec vero in Pannoniam* redeas, incumbe toto animo in hanc curam, ut omnium tuorum expectationem de

[1] comico 72. [2] fol. 8^{ab}.

te exuperes. Hanc, ut spero, (etsi ea est ingens) perfacile vinces, si ad nostras te totum artes[1] converteris, unde te *Varadiensis praefectura* paulum flexit. Igitur eventa rerum *Patavii* dum expectas, cura, elabora, invigila, perfice, ut resarcias praeteritam omnem studiorum iacturam. Non succumbas, ulli oneri,[2] non iniquis deperditisque temporibus, non saevissimae adversissimaeque fortunae. Scribo haec amanter ad te, ut debeo, teque rogo, ut licet consilio meo ipse non egeas, hac tamen in re tibi a me consuli patiare. Me quidem semper in omni fortuna fidelissimum, amicissimumque habebis. Res certe meas omnes,[3] quaecunque sunt, non tibi solum hac tanta tuo necessitate promitto, sed ad te ultro libenter defero. Vale.

Bartholomaeus Fontius Petro Garasdae Pannonio S.[4]

Tantum est temporum rerumque omnium immutata conditio, ut minime mirandum sit, si ego quoque ad tempus patriam mutem. Nam si sapientis est hominis tempestati cedere neque eundem semper cursum tenere non mihi vitio dari putem, si cum ea quam proposueram via ad optatum finem pervenire non possim, alia ire pergam, qua ad exitum tandem perducar. Itaque et horum temporum et mearum rerum omnium ratione perspecta, cum censeam non esse domi amplius desidendum, te per tuum in me amorem meumque erga te mutuum etiam atque etiam rogo, ut de nobis quod promisisti conficias. Nullam enim aliam mihi viam ad nostra studia relictam esse perspicio, cumque omnis Italia intestinis dissensionibus est armata, tumque princeps in ea nullus favet liberalibus disciplinis. Equidem ni mihi persuaderem cum haec scrib rem, te pro tuo summo in me amore meoque in te pari tua sponte etiam sine meis litteris esse facturum, plura scriberem meque tibi diligentius commendarem; tantum oro, si me tui studiosissimum semper nosti, hoc

[1] artis *C.* [2] honeri *C.* [3] omnis *C.* [4] Cod. Univ. Bonon. 2382. fol. 7b, 8a.

mihi praestes. quod omnium est maximum maximeque necessarium: quodque nullius nisi tua unius opera me assequi posse confido. Vale.

Bartholomaei Pannoni Comaedia Gryllus et eiusdem inter Vigilantiam et Torporem Dialogus.[1]

Illustrissimo Principi domino ac domino Georgio Dei Gratia Marchioni Brandenburgensi, Stettinensi, Pomeraniensi, Cassaboriensi ac Slavorum Duci Burggravo Nurenbergensi, Rugiaeque perincipi, Domino suo gratiosissimo Bartholomaeus Pannonus. S.

Cum multum diuque mecum ipse cogito, Princeps illustrissime quo animum iam poene marcescentem in usum contraherem, difficile ratus, rubiginem vel semel mordicus contractam inviciata materia, refellere. Quare non absonum duxi hac saltem aetatula speculorum ac paradigmatum totius humanae vitae (ut hoc comicorum) calcaneum aemulatione quadam (a longe saltem) sequi, hinc se, dum illa mecum reputo, materies duce orbataoffert, Mecoenates si quos reperiam cogito, ad quos institutum opusculum tuto volitaret, offert se tuae illustrissimae dominaitonis candidissima totius corporis facies, quam ut alias genuino quodam stimulo in dies magis laudare venerari amareque sattagerem sic oportuno zelo idem tuae munificentiae dedicarem. Nequeo namque hac nostra quantacunque aetate comminisci quem vel secundum etiam post tuam illustrissimam dominationem (cum ita polleat) posuero, maxime qui cum generis praeeminentia inter caeteros principes veluti sol liquidissimus inter astra emices, quales namque habueris attavos

[1] Bartholomaeus Pannoniusnak e munkáját a R. M. K. III. 67. találjuk leírva; megjelent Bécsben, 1516-ban. A *Gryllus* czimű komédia Brandenburgi György őrgrófnak, II. Lajos nevelőjének van ajánlva; a „*Dialogus inter Vigilantiam et Torporem*" pedig Szakmáry György pécsi püspöknek. Denis „Wiener Buchdrucker Geschichte" 335. azt gyanítja, hogy egy azzal a Frankfurter Pannoniussal, ki Homeros Bachtrachomiomachiáját kiadta 1516.

praesens pro memoria vita testatur. Quorum aetas Achilles alios bello consilio functatores ostendebat, ut illi primas quasque acies non lucri aut ampli spolii, intuitu, sed quo patriam ut amicos seque, postremo tutarentur, occupabant. Quis enim princeps prudentissime, Albertum avum illum tuum, virum non tam corporis, quam animi viribus praepollentem, Albertum inquam Romani huius invictissimi imperii Electorem, veluti decantatissimum ex factis et strategematibus praeclarissimis non declamet, cui hoc Graecum quodam divino numine εἷς οἰωνός ἄριστος ἀμύνασθαι περί πάτρης concessum est. Nec minor illustrissimos patruos tuos Joannem et Sigismundum tenuit fama, quos ut unicos habebas, ita unicos observabas. Nequeo patruelis tuae Munificentiae illotis ut aiunt manibus Joachimi principis clarissimi sacri Electoris Imperii nomen transire, quam hic consilii promptissimi quam denique dictaturae peritissimus, cui me arbitro secundas Dictatoris adscripsero partes. Venit recensendus Reverendissimus Albertus Moguntinensis episcopus patruelis itidem tuus dignus me hercule, alea clarissimorum virorum adscribi, de quo et paginae aequissimo iure compleri possent. Sunt denique quos adhuc habeas superstites non inferioris laudis Germanos. Inter quos primus sese illustrissimus princeps Casimirus offert fidissimus ob eius singularem strenuitatem, prudentiam, consilia, constantiam ac magnanimitatem invictissimi Imperatoris Maximiliani Achates, cuius fortia plaeraque facta etiam victoriae dona superare videntur. Quid de sanctissimo illo principe Alberto, egregiorum dominorum Cruciferorum Brussiae Praesule memorem, cuius fama tanto caeteris augustior, per universam, tenetur Sarmatiam, principibus, quanto divina humanis praeferuntur, umbilicos etiam longissimae paginae laus repentino et si pede pertractata fratrum reliquorum quibus candes) exposceret, quo evenit ut si id provinciae subire niterer, Entellum Dares provocarem, te postremo (et si primus) princeps fulgentissime orationi Aeschinis simillimum νιφάδεσσιν χειμερίοισιν obvio assumo pectore, quem pietate Curios facile vincere agnovi, qui eloquio Regulos assumas, comitate Drusonibus comparandus venias, probi-

tate Marcos aemuleris, aequitatis ac iustitiae candor tibi Traianum associat, quo fit, ut optimatium quivis invictissimi Regis Ludovici te colat, observet, et hoc non ex alio nisi amore magistro egregio provenire pro comperto ducitur, ad te veluti statuam Julii confugiunt. Longius, observadissime princeps, me meus in tuam munificentiam amor distrahit, adeo ut metuam etiam nunc epistolae modum excessisse, vela contraho, rudentes constringo, tuae me munificentissimae dominationi, hoc meo qualicumque exercitio dedico, proque dedititio servulo mancupo. Quod cum per ocium licuerit, benignissime pellegito. Vale.

Argumentum Fabulae.

Senes Haliarchus et Clearchus gnatos, Apollidem Haliarcus dum peregre proficiscitur servuli incuria, Quinquennem Ethicum Clearchus, dum sacra litat Apollini amittunt, forte maior natu Apollides, manumissus hunc alterum a quodam emit Siculo, proque seruo utitur, quos ambos Senes, iuvenes, insperato iudicio Grylli, saluos ac reduces recipiunt domo. Decipitur tandem fugitivi servuli technis Parasitus.

Prologus

in Gryllum comoediam Bartholomaei Pannoni.

Jubet vos salvere cunctos Theatrales, Scenicos, Spectatores, Comoedus optimos: Nemo rependit gratiam? comoediam non Tragoediam acturi, Semovete frontes a vobis caperatas, si qui sunt hic, Bleferones hirtas avellant, quo spectatius (!) hanc spectent fabulam, nam oculatis hic nobis opus erit testibus, aures admovet et tamen distinctos enim (ut fama refert) his regionibus habetis sensus: nunc animum advertite, ut qui sedere nequeat, stando negocium spectare libere possit. Senes quos comoedus (morosos, vetulos, Silicernos, ac ob aetatem molestam lumbifragos, qui gradiuntur duplices) inducet, Athenienses sunt patricii

non ignobiles ambo, philosophus hic canibarbitius est in signis, miser cum forte rem parat sacram, it ad fanum Apollinis placatum et propicium sibi suoque ut reddat deum filio. Ibi ut conveniunt plures mortales, qui peractis sacris ludos edunt, forte puer tumultu, ut illorum aetas expostulat, ludos spectat quinquennis, flentem vagumque vir siculus, (quia decorus forma) Trinacriam secum avehit, illic dum inopia pressus, Siracusas secum deffert, venum exponit, emit eundem gentilis suus, (paulo ante manumissus, ab auripolide Argentario cive Siracusano), huius alterius nequa senis gnatus, seruit illic servitutem (ut exposcit eadem) miseram, malum enim mancipium, spectatores, servitus, casuquia nunquam ante certam in servitute, nactus abeundi copiam, ex fama Athenas patriam revisit suam, cum Aethico pariter vagabundi per urbem oberrant, parasito tandem indice patres ambo pares, pariter reperiunt, post fugitivi servuli astum, urbano urbaniorum ipsi contemplabimini, spectatores, vos hic, ego intus, ubi mihi bene erit, spectabo. Vale, cum revertar mecum una adferam, interim valete tamen.

Clearchus senex, Aeticus filius quinquennis, Bractea servus.

Vos intus interim rem familiarem curate probe, ego deos mihi propicios reddam, quibus tanta saltem aetate gratificari liceat, dum enim iuventutem agimus, nisi miseriis moniti, tanquam si a nobis vitam fortunasque haberemus, parum nobis cum dis bonis communionis usurpamus. Ego etsi easdem iecerim tesseras iuvenis, liceat saltem nunc seni bene bonis facere, sequere hac me, gnate mi, ut primo illa aetate bonum asuescas, quod ut retineas etiam labor est, pura ut sint ac lauta vasa curato. Aetice mi tenes singula? Calicem? Limpham? Merum? Farque? AETI. En adsunt omnia, ut cumlubet, sit abeundi copia. CLEAR. Probe vos ut aiebam cūrate rem sedulo, ne quod apud deos bene merui gratiae, id cum rediero, maledictis explodam. BRACTEA. Curabitur.

Gryllus Parasitus.

Dii immortales, quam nunc, omnis prorsus alienatis est moribus iuventus, pudet nunc etiam exercere histrioniam, ita nullus adest quaestus histrionicus. Summus iocus, summa ineptia desiere, foenerari foeneratores, pro sapiente quisque morionem agitat, proh ciues Athenienses vestram imploro fidem, fiduciam, ac quam iam diu tenuistis sospitem rempublicam in vos ipsos non pedibus sed consilio gradimini, quorsum nunc iuvenes decor patriae, quorsum indoles bona morata moribus, inversa perversaque cernis omnia, quondam histrionibus dabantur auris, auscultabatur, si quis civis Atticus gnatum maiorem natu haberet, forte fortuitu, me, auc (!) [1] a meum prognatum genere, vitaque victitantem attendebat, infit ubi tibi coena? vacilanti mox ille, me sequere, et ne id quidem ob luxum, verum quo lassum studio, cura rei civilis, seu quovis alio animi aut corporis exercitio, animum tandem lusibus nostris refocillaret. Nunc cum omnem aetatem cogito nusquam fiduciae tutus est locus meae, quorsum igitur me recipiam modo, nequeo locum ullum comminiscier, at memini senem hunc priscis conscium aggrediar moribus si quid saltem, ut credo, apud eum veterem, veterum manserit reliquiarum et quis hasce aperit sedes? Inquam propere vos vos ultro e pessulis movete fores, ni vos mala res agitat, donec hunc admittatis lepidum parasitum confringam: bellule admittite tandem, en Basium, dii vos omnes pessularii Postarii Portariique post hunc diem, perdant, nil moror, tandem videbo quid genius domui huic contulerit.

Clearchus et Haliarcus senes.

Rem divinam peregi, placare deos me posse arbitrabar, quos plane impios in me hac die sensi, namquem paulo ante mecum adduxi hunc unicum deperdidi gnatum, omnem discurro suburram basilicas cunctas perlustro, si meum

[1] talán: aut.

quispiam viderit filiolum multi me inani spe eiulantem solantur nomen inquirunt deperditi Aethicum illis nomino, quid (!) dii immortales nec nomen tenent, recurro mox ad alios, et tàndem alios qui forte theatris constiterant, aut alio pedem fixerant, nemo mortalium mihi miserrimo in dicium facit, nec desunt qui (quos dii omnes ecapites reddant) me irrident. Heu miserum me, qui tanta iam aetate, ludos, festivitates, amoenitates, delicias, et vitam cum filio amisi. Heus omnes advenae incolaeque, ecquis meum vidit gnatum parvulum; parvulum inquam quinquennem. Vae cano capiti tuo, senex, qui ita rem tuam curas neglegenter. HALIARCVS *Senex*. Quis hic suis ineptis clamoribus omnes opplet plateas, totumque confundit vicinum, ibo uisam, quisnam gentium quasi follis, oppleatur eiulatibus. Proh Jupiter quid video, eccum senem vicinum, accedam propius, ut quod illi mali obuenerit scruter, compellabo, nam miser oculos humi defixit. Salvus ut sis te tuus salutat coaevus Clearce. CLEAR. Quis me coaevum sibi tantis oppressum malis nominat? HALI. Respice senex lepidissime. CLEAR. Heu Haliarce et tu salve, sed cur quaeso cui dii male volunt huic et tu illudis modo. HA. Ego illudam? qui obsecro? CLEA. Quia lepidum me senem aiebas modo. HA. Non miror si hac aetate mox molestum accidat, est hic peculiaris senum, morosi ut sient, morbus, sed dic mihi cur tam tristis? CLEA. Quaeris? HAL. Quid ni quaeram qui id nunquam sciverim, nec te praeter nunc toto mense viderim. CLE. Filium perdidi. HAL. Filium? CLE. Gnatum unicum. HAL. Gnatum unicum? CLE. Vitam totumque aetatis meae solamen. HAL. Quem obsecro? tuum Aethicum? ubi gentium? CLE. In sacris Appollinis dum sacrifico, infantulus ludos miratur quem ego miser posthac vidi nunquam. HA. Ne lachrymare hac aetate, senex, quem tot anni et nunc ferme orbarunt luminibus. CLE. Ah ah Haliarce, quam hic cordi est charus meo. HA. Non inficior, verum hoc unico solare saltem, quia iam decennio et filio et fugitivo simul servo careo, eamus intro, terge oculos, sic diis forte placitum est, ne dum fiilios efflictim deperimus eos negligamus. CLEA. Licet.

Parasitus, Apollides, Aethicus.

Dii omnes deaeque hos pessimos disperdant sues! Vae illis miseris pernis, laridis glandibusque quae velut uva pensilis, ergastulo inclusae, dies noctesque pensitant, nimis ego esurii male: cum lupi qui miseri ligati in poenu (?, et oppressi mole lapidaria cubant: nec natare queunt) quum turdi lepores, phasiani, male illic vincti compedibus et affixi parietibus capite terram versus haerent. Quorum misertus ego, cum per cancellum inspicio, solatus miseros ne metuerent, me ipsis gratiam apud senem adepturum spopondi, interea veniunt senes, ego more meo insilio nequiter aperio pharetram, promo unum iocosum iaculum, hii autem lippi senes maledici lachrymantur, ego itidem lachrymas eximo, quo mores conveniant nostri, mox alter fuste me miserum contudit probe, adeo ut vix lumbos contineam; ego domo exilii illico, dii illos senes perdant, ibo in forum, si quos iuvenes ex insidiis coepero, ibi eos compellabo, adloquar, iocos edidero, promptior enim haec aetas ad gaudia, utinam et minos (= Minos) ipsehos nequam tenes, in Acheronte flentes faxit. Sed eccum adolescentem, quem, ni fallor, servulus subsequitur, advenam esse oportet, ut vestitus indicat pone insidias, Grylle, tende rhetia, stringe nodos, quos ubi coeperis, ampla spolia nanciscare necessum est. APOLLIDES. Dii boni, cum patriam sic intueor post iam decennium Aethice vix prae laetitia [1] asto, sic quasi in somnis eam viderim in mentem venit, utinam quis se nobis offerat obvium a quo aedium et patris sit inquisitio nobis, sed eccum Parasitum, quam molliter incedit, imitatur ciconiam credo, coenam venatur, hem probe dierecta (!) ad nos sibi iter sumpsit, nequeo quin hominem et si abiectum, notum tamen alloquar. Salve, Grylle, hominum omnium et parasitorum nequissime. PARA. Nequam hic homo esse oportet, qui sui similem etiam procul agnoscit, mansuetus hic lepus est, domitus iam pridem, nam ultro sese irrettit (!), sed propius aggredi lubet, quis pestem agrorum, frugum-

[1] loeticia *A*.

que perniciem nominat? APO.? Huc huc respice, malum mancipium. PARA. At tu optimum quod hodie mihi coenam mancupabit (!) opiparam. Jupiter dique omnes quos coelum, quos terra quosque mare sustinet, vos salvos advenae incolis advenisse volunt, num vobis urbem emendi hanc est animus? sic aedes cunctas examussim contemplamini, nec frustra inspicite, non dum de ea auctio per praetorem propalata est, ob id aliam vobis urbem emptui eligite. APOLLI. Vae capiti tuo, sic advenam reducemque herum accipis! PARA. Mihi Hector aut Menelaus heri fuerunt quos praeter famam novi numquem (?) ac tu. APOL. Respice. PARA. Maton Apollo (Μὰ τὸν 'Α.=Apollora!) quid video! Salve Apollides atticae iuventutis exemplar, sed te ob fidem obtestor tuam meamque, donec huc me recipio paulisper astiteris, patrique tuo reditum nunciem tuum. APOL. Vivit ne? PARA. Quid ni, imo pervivit. APOL. Salvus sum, propera igitur.

Gryllus Parasitus, Haliarchus, Clearchus, senes Serpus, Lingo lorarii.

His ego hodie foribus exitium dabo, ni illico aperiantur, heus et quis hoc aperit ostium? HALIA. Importunus denuo furcifer non dum abis Lingo. Serpe abigite procul mastigiem ab aedibus. PARA. Ego lorarios tuos nihil moror, tecum mihi res est, te salvum volo, tibi gaudium gruatim (!) (forte: gratiam) adfero. HALI. Nil opus est gaudio tuo, in eum cum fiducia. PARA. Quid si reducem tibi filium nuntio? HALIA. Quem filium? PARA. Filium et seruum salvos ambos. HALIA. Filium et servum? quam blanditur furcifer! PARA. Immo Apollidem tuum gnatum unicum cum Haliacte fugitiuo servulo advenisse te certifico. HALIA. Solvite flagitium, quo liberius mihi colloqui queat. LORARII. Fiat. HALI. Filium meum cum fugitivo servulo advenisse aiebas? PARA. Aio, inquam, sic me sancta amet crapula et saturitas, ut hic salvus a te actutum conspicietur. HALI. Si vera dicis certum est apud me, meumque gnatum perpetuum tibi donari dapinarium, age igitur, ut hunc videam. PARA. Priusquam asparagi coquantur, hic ero. HALI. Clearce progredere. CLEA. Quid est? HALI. Para-

situs modo reducem mihi filium nunciavit. CLE. Apollidem tuum? HALI. Eum. CLE. Gaudeo, si quid boni tibi accidit, Haliarce, utinam tandem si diis placitum foret, ita mei, ut nunc tibi videndi daretur copia gnati. HALIA. Faxit Jupiter

Gryllus Parasitus, Haliarchus, Clearchus senes, Apollides, Aethicus adolescentes.

Hem tibi senex felicissime, reducem insperato filium! HALIA. Cum te salvum conspicio, gnate mi, gaudeo, disque gratias ago. APOL. Ne lachrymare, pater mi, cum dis ita placitum fuit, ut nos salvos ac sospites contemplaremur mutuo. HALI. Da manum etiam, fili, seni huic optimo. APOL. Ut vales communis amice? CLE. Ut homo miser. APOL. Qui? CLE. Quoniam gnato orbatus meo. APOL. Dic, sodes, fuit ne ullus tibi gnatus. CLE. Utinam ita nunc hic esset, ut fuit. APOL. Parvulum esse oportuit, quotennis obsecro? CLE. Cum hunc amisi quinquennis erat; nunc, si usquam gentium vitales carpit aures, iuvenem bellum aestimo. APOL. Nomen quod illi indideras? CLE. Ethici, nam civilis his (!) puer erat, quo evenit, ut cum Athenienses ita appellitarent APOL. Serva me Jupiter, quam inopinatum gaudium sic fata forte ipsique coelicolae hominum fortunas disponunt, et tuas nunc senex optime, cum his (!) gnatus tuus in noti et amici manus inciderat. Quare te nunc communem amicum communis participem esse volo hilaritatis. Is est tuus Ethicus quem manumissus ab Auri pollide argentario forma et facie istius motus a Syracusano quodam homine viginti minis emi, quos dum reddis, tuum tibi emancupo doque liberum gnatum. CLE. Apollides cum sic me beas habeo gratiam, viginti probe reddo minas, quantas ego pro te, Ethice mi, profudi lachrymas? PARA. Hic solus dies candido non calculo, sed marmore signandus, qui ambos tam belle beat senes. Sed quod in rem tuam faciet, id ne neglexeris, Grylle! Priusquam hoc loco abeatis, vos per stygias paludes adiurasso, pro perpetuo dapinario, praestate fidem. CLE. Promittimus tanquam de nobis benemerito. Haliarche, nos in aedis ubi merorem gaudio, famem sacietate antevertamus,

recipere licebit. PARA. Vos interea rem agite coquinariam, ego servum Haliactem mox huc vinctum adduxero. HALI. Obsecro rem egeris sedulo. Lingo, Serpe, hunc sequimini. LORARII. Fiat. HALI. Conde singula, ut dum sacris innitimur, curantur intus probes, adsit rerum omnium ubertas. *Condus coquus* curabitur.

Gryllus Parasitus, Haliactes, Servus, Lorarii.

Vos huc paulisper secedite, callide tamen, cum vos primum advocasso, vos moras rumpite. LORA. I modo. PARA. Heus bone vir Haliactes, hoccine probi servi officium? Siccine frugi servum licet herilem filium clam patre abducier? HALIACT. Quae te mala crux agitat furcifer, herilem filium? quem tu mihi Haliactem nominas? PARA. Sic quasi non noris, lepidum mancipium, scelerum acervus. HALIACT. Is homo monstrum agit, apage a me procul, quid me tenes furiarum alumne? PARA. Lingo, Serpe, huc propere, vincite mastigiam, et verberonem pessimum! HALIACT. Quid feci depredatum huc vos coepistis nequam pessumi. O cives Athenienses, vestram imploro fidem. PARA. Nil opus est hic fide, nos te, plagipate, hodie ob fidem tuam in pristinam et lapicidinas, miserrimis exemplo ut sis caeteris, qui servitutem serviunt servis. HALIACT. Audesne me, flagitium (liberum) servum vocarier, modo qui Aethiopiam eggressus sum! apagete a me mactutum carnifices. Hem tibi, ut denuo hominem liberum, pro servo autumes. PARA. Heu me miserum, heu Lorarii adsitis, quaeso. LORARII. Nos si sapimus, terga vertemus, indamus alas pedibus; hic non alia opus est fiducia, vides Lingo, ut Acherontis ianitor hunc contundit miserum me sequere quantum potes. PARA. Sine obsecro quisquis es, liber et here mi. HALIAC. I in maximam malam crucem! servus is frugi non est, qui quasi e promptuaris fallacias callidas ut lubet prompte promere nequit, quo corium salvet suum. Di boni, quantas hoc tergo plagas, quod (!) flagra sustinuissem, ni docte personam mutavissem. Ego donec fortiorem nactus adversarium, hinc me recipio. Vos valete et plandite; castis hanc moribus comoedus egit comoediam, spectatores optimi.

Finis.

Vigilantiae et torporis, virtute arbitra Bartholomaei Pannoni Certamen.

Reverendissimo in Christo patri do. ac dno. Georgio Episcopo Quinqueecclesiensi alias Maiestatis Regiae Cancellario supremo, dno. suo gratiosissimo. Bartholomaeus Pannonus. S.

Meminimus et pro comperto ducimus luce moeridiana (!) clarius in hominum optimorum memoria comprehendi, qui sicco saltem (ut aiunt) pede historiam non praetergressi sunt, statis quandoque diebus annisque Romanos ipsos, alios exercitio corporis, alios (et proestantiores) animi exercuisse palestra, quo animum cum rei civilis pondere labefactatum, tum denique studio pervigili fatigatum tactu terrae (exemplo Antaeiano) viribus resumptis denuo pugnarent. Quod facilius apprehendemus, si Argiva illa lustrica certamina contemplati fuerimus. Quis enim eos qui totius armis belli industria, ingenio denique, orbe universo exuberantissime praepollentes abs re ludos eius modi auspicatos fuisse dubitet? Neminem enim, do. reverendissime, latere arbitror, ut quos recensui orbis Imperatores, saturnalia non nisi summo conamine prosecutos fuisse, seque mutuo xeniis ac apophoretis, condonasse, unde Antistes humanissime, praesens Vigilantiae ac Torporis certamen, castis plane moribus, tuae politissimae Minervae dedicandum duxi. In quo Censoris limatissimi adhibueris officium, si forte quibusdam in locis mox adstomachum non faciet. Tua tamen nihilo secius reverendiss. Do. primam saltem pagellam pellegat. Plura dum per ocium literarium licebit de me, in tui nominis aeternitatem moraturus. Vale.

Vigilantia.

Vigilantiam si forte mortalium aliqui, non ex pigmentis veterumue tabulis, seu quibusvis Apelleis imaginibus e quibus, aut Pythagoram, Aristotelem, divinaque censura Catonem, cum eorum tenerent imaginem, imitarentur, longe tamen, anfractibus deuiis, quod symulachro deviantes ambiunt. En adsum rerum mearum provida, poenitentiam seram rerum consultricem abs me propello, procul apage si quid con-

sultum minus providero, priusquam urgeat odi delitescentes somno, ganeis et immundo amori obstrictos, qui licet vigilem, requirat; nam vigiles cupidinis arcus, delitias amarus amor exposcit, ast exorbito, nec proprio stimulo contenta, aliis calcar addo, quoties res, et si quandoque arcta curetur. Sed o Jupiter, quid intueor profecisse iam lassa! Quid ego misera hic cerno, homone an belua est, nam coeno illitum squallidum truncum arbitror torpescentem. Heus tu, quid stertis, tu inquam, tibi dico, homone an monstruosa chimera, non loqueris; ast hominem, en schedam notas affixit, mirum qui ingenium opus exequi poterat. Sed legam, proh di immortales, quid video; is est, quem mari terrisque prosecuta sum. Cum enim infantula adhuc, Torporem charis a parentibus profari audissem, nomen tenellis ac credulis auribus molestum, semper monstrum, hoc hucusque crebrius insequem, probe teneo. Heus tu Torpor! Torpor, nil respondes? sed quis me misera beatior foret unquam, si hic lethaeum gustasset, experiar. Torpor te volo, te ego per somnum dulcissimum, hominum corporibus tacite irrepentem mortis simulachrum, adiuro, responde. TORPOR. Hu, hu. VIG. Perii, vivit. TOR. Quis me miserum tanta svavitate orbat? Sine, obsecro, sine, torpeam. VIG. Surge ignavum pecus! inquam, surge. Nonne musaeum cernis, sic conspectum optimi principis colis? TOR. Hem quid est? Esumne aut potum vocas? Da, obsecro, quod mandam, quodque obsonem, ut denuo torpeam. VIG. Tibi dico vigilia, sume actutum mapulam, qua oculos abstergas. TOR. Ubi patina praesta urceum, liguriam quo somnum incitasso facilius. VIG. Belua non urceum, sed sus, surge, inquam, a coeno. TOR. Bene, Hercule praebe suillam, probe (!) saginatam, sed, quaeso, papaver adspergito, nam et id ad somnum facit. VIG. Di te perdant, vigila tandem! TOR. Beas me, cum pernam nominas; cedo etiam glandulas! nimis venter fame crepat, vacuum metuo. VIG. Nondum vigilas? vigila Torpor, vigila Torpor, vigila, vigila en patinam, urceum, sumen, pernas, glandulas. TOR. Heu me miserum, quis tam importunus somnus nunc me occupat! Vigilandum, satius erit nunc, quam torpescendum. VIG. Tibi dico, vigila, conspice, contemplare quos cernas. TOR. Miser

ego, quam gravem somnum habui, et optime certe, risum movebo spectatoribus, vultis, ut dicam somnium? sed dicam, cum iam iam delitescerem, videbar lautis ferculis interesse, musaeoque stipari, non tamen ipsis frui potuisse, venientem, mulierculam, meque lacessentem, et nescio quo coniurationis genere, post plagis misere adficientem, et ni fallor, hem dexteram, quam tumet; sed quaeso, quisquis es mulier, et quae sis, dic, sodes. VIG. Nondum coepisti? TOR. Nec memini quidem, sed scin, cur inquiro? ut, cum dixeris sciam. VIG. Vigilantiam non nosti? TOR. Ast pereas, quae me somniantem vigilem, vilem Vigilantia reddidisti. VIG. Sed eccam Virtutem dominam et reginam, salva ut sis dea, diis suplico (!). VIRTUS. Et tu! sed quid rumores isti? quorsum eiulatus, quos editis? Vah quid Sphingis monstrum huc adduxti Vigilantia? VIG. Monstrum hoc mortis aemulum, ego tua pedissequa missis obsequens, refeci denuo. VIRT. Probe VIG. Sed obsecro, monstrum hoc, mea Virtus, ne impune transeat, iudex pro tribunali asside. VIRT. Decet. VIGI. Progredere lamia et larva nocturna, Endimeonis (!) heres ex asse. TOR. Obsecro! VIRT. Mea amata — Mitius nam emendabitur, ut spero — accede! Promittis somnolentiam ac torporem in posterum non tantum sectarier. TORPOR. Promitto. Spondes Vigilantiam nomini tibi fore? TOR. Spondeo. VIRT. Ganeam crapulam posthabere? TOR. Ganeam crapulam posthabere. VIRT. Virtutem, Vigilantiam summo conatu imitari? TOR. Virtutem, Vigilantiam summo conatu imitari, per hoc immensum, horridum, sanguinarium, cruentum, gallorum gallinaciorum praelium iuro. VIRTUS. Omniumque parentem Virtutem omnes spectabiles spectantes, veneratione colite. Spectatores, sic itur ad astra.

Τέλος.

Bartholomaeus Francfordius[1]
Georgio Notario Crembniciensi.

Reversus ex Babilone bonis avibus te salutat tuus ille frater et amicus Bartholomaeus secum pleraque nova adferens. Sunt de hoste nostro rumores, qui occupacionem regni nostri promittunt; facit hoc eccitas nostracium, avexit proxime miseram plebem et barbaram croatiae catervatim, avexit ex Carintia plurimos magis miserandos, conatus proposito in mari ad Zegnium et Sanctum Vitum in flumine, repulsus tamen viginti galeis venetis contranitentibus de quo et ovarunt graviter. Gallus proximis diebus Mediolanum civitatem occupasse fertur, qui prius de castro triumpharat. Summus pontifex hactenus Romam cum Petro non vidit. Imperator cum imperio Neurembergae concionem celebrat, adest illic vocatus Lutterus noster, cui Dominus Jesus bene velit, cum nomenclator suus sit constantissimus. De rege autem nostro, quod scribo, accipe et hoc paucis. Diadema regium Sabbato ante Jubilate sponsae suae Mariae meritissime a Boemis concessum est, cujus reditus incertus est, nam nunc primum indicta est Boemis diaeta, cur, non satis constat, Deus tamen opt. max. bene vorsat. Vajvoda noster (vel suus pocius) ut alii referunt graviter Turcae contrasistit, ut alii transilvanis, qui se dice (?) presenti opponunt, sub pacto, quo nulla civitatum transilvanarum ab eis senciat, alioquin communi sententia cunctae reliquae in ultimum excidium frangentis tale fedus machinaturas constanter asseruerunt, placet hactenus cunctis sententia. Haec habui ad te, frater mi paucis babarie (sic) hac mea illota et quantumvis impolita scribere. Salutabis meo nomine (si apud vos est, nam ex fama quottidie huc ad nos expectatur) Conradum nostrum, ad quem littaras meas dedissem, ni eum expectarem, is tamen, si aderit, sit novorum presencium te indice particeps. D. Paulum volo salvere plurimum, sicque valebis

[1] A körmöczi városi levéltár Religionaria felirású csomagjából. Kiadta Botka is „Barsmegye Monographiája" p. 123. 124., számos hibával. Eltéréseit *B*-vel jelöltem.

foeliciter in Christo Jesu mei (ut scis memor) tu que si me amas rescribe familiarius et grandiloquentiam tuam erga me posthabueris, denuo. Vale. Datum Sembniciae XVIIII. Mai Anno Domini. MDXXII.

Tuus ut frater *Bartholomaeus*
Frankfordinus *Pannonius.*

Tot in litteris meis obeliscos ne abhorrueris, cum volanti et animo et calamo haec scripserim.

Kívül: Prudenti ac Ingenuo Georgio N. Notario Crembniciensi dignissimo suo amicissimo amico

Crembnicie.

Bartholinus Richard Odeporicon-jából. [1]

(quatern. C. 11a). Archiepiscopus Colocensis oratione satis erudita et gravi ex equo Gurcensem excepit.

(quat. C. III. fol. 2a). At si de aliis quoque iudicandum est, Sarmatae et litteris et moribus cultissimi sunt. Pannones multo asperiores. Bohemi illos magno, sed proximo intervallo antecellunt, cumque iis ut lingua ita et moribus nullam similitudinem habent.

(Joh. Dantisci „Sylva“ czimű költeményéből):

Attigit hinc fines, ubi praesul Thurso Moravo
Praesidet eximius, qui religione secundus
Est nulli pietate, nec est in rebus agendis . . .
Venit et antistes numeroso milite cinctus,
A templis magno decoratus nomine quinque,
Quem tulit ad tanti praeclarum culmen honoris

[1] *Odeporicon*, id est Itinerarium Reverendissimo in Christo patris et Dni. D. Mathei Sancti Angeli Cardinalis Gurcensis, coadiutoris Saltzburgensis, Generalisque imperii locumtenentis, quaequae in conventu Maximiliani Caes. Aug. Sereniss. que regum Vladislai Sigismundi ac Ludovici memoratu digna gesta sunt per *Riccardum Bartholinum* perusinum aedita (!). Cum Gratia et Privilegio.“ Végén : „Hieronymus Vietor opus impressit Viennae, impensis Joannis Vuideman Augustensis, quod impressioni XIIII. Kalen. septemb. datum est, absolutum vero Idibus septembr. Anno Dni. XDXV.“

Nuda fides, probitas, virtus, reverentia divum,
Et facile ingenium, rerumque scientia multa . . .
. . . . Legatus missus ab urbe
Cardines summique patris suffultus honore,
Pannonii Primas regni pervenit in isto
Conventu multa ingenio, qui multaque fido
Commoda consilio pro regni utriusque salute
Disquirit, velletque libens succurrere rebus,
Nec sic infectis hinc reges forsan abirent,
Nanque videt prudens per multa volumina rerum
Tot mala quae parvis ex orientia causis . . .
Balbus item Phoebi quondam, nunc rite sacerdos,
Et Jovis interpres veri, qui grandia facta
Hunniaci scribit regni, totque edidit olim
Quod sua non potis est unquam evanescere fama.
Piso etiam nostro vir in aevo doctus et acer
Magnorum nuper qui multa negotia regum
Tractabat, quod si stricto pede, sive soluto
Aggreditur quicquam nil est exactius . . .

(quat. kb. közölve van Ulászlónak egy Miksához intézett levele, mely kelt Posonii, prima die mensis Julii. Anni MDXV). Quibus perlectis Archiepiscopus Quinqueecclesiensis explosis iis, qui ex multis videbantur ex aula, orationem satis ornatam sed prolixiorem quam ipse fortasse locus exposceret, orsus est, in qua post gratulationem de Caesaris adventu regibus iucundissimo, eorundemque in Caesarem relatam benevolentiam atque officia, cum magnifice imperatoris laudes prosequutus fuisset, ad pacem concordiamque ineundam ac expeditionem in Turcas suscipiendam orationem convertit, medius fidius satis eruditam nisi hanc ultimam partem, quam ego in communem Regum conventum potius reiecissem, nimis Asiatice id est copiose tractavisset . . .

(quat. P. 11a). Epithalamium quod ego in Ludovici Regis ac Mariae matrimonio multo ante triduo effuderam, Vladislao patri regi, obferendum censui, ingressusque eius aulam, cum fratre Sarmatiae Rege subinde loquentem ita brevi affatus sum. Quae in laudem matrimonii Serenissimi

Ludovici ac Mariae, tuaeque Maiestatis multo ante triduo exaravi, ut hilari vultu accipias, rogo atque supplico. Haec enim si tibi placuisse intelligam, siquid dabitur ocii, rebus a te sapienter fortiterque gestis praelusisse videbuntur. Interim et tuae Maiestatis et dulcissimi filii felicitatem opto. Tu ut illi diu superstes sis, ille tui similis et vitae institutis et rerum gestarum gloria videatur. His breviter dictis versiculos cum epistolii praefatione obtuli subscribendosque putavi.

Serenissimo Principi Vladislao Boemiae et Pannoniae Regi Riccardus Bartholinus Aetruscus felicitatem.

Ut aliqua in parte salutandi officio, quod apud Persas peculiarissimus fuit, fungerer erga te, Serenissime Rex Vladislae, quae triduo a me et tempusculo subinde interpolato, in matrimonio Serenissimorum principum Ludovici et Mariae (quod faustum felixque fiet) effluxerunt, tuae celsitudini offerenda censui. Atqui carmen in laudem tanti coniugii maturius fortasse censes a me exaratum fuisse, oportere haud profecto inficior, sed laetitia quam ex tantorum principum futurae hymenaeo conceperam, ita afficiebar, ut multa succurrerent, quae ne mihi quidem impensius cogitanti oblata fuissent, tamen hanc meam mediatiunculam, quae quam tenuis sit non ignoro, satis placituram caeteris intelligam, si tu, iucundissime Rex pacato vultu accipiens non aspernabere.

Idyllium in Matrimonio Sereniss. Principum Ludovici Regis ac Mariae Reginae. [négy folium] . . .

Itaque hosce versiculos cum obtulissem, Adoros [igy] abii, nugae, nam principum fores pedibus (ut aiunt), non manibus pultandae. [1]

---

[1] A margón: „Damnat Principes sui temporis".

Benedicti Bekenii ad dominum suum [Verbőczi] Epigramma.[1]

Hos proprius delectat amor, sed gloria famae
  Hos iuvat, at mentis non colit ille bona.
Tu ratus, o nimium, nimiumque iterumque beatum,
  Cum patriis studeas moribus atque fide.
Lycurgus sanxit leges et commoda gentis
  Inachiae et Siculos perdocet alma Ceres.
At tu probatas multo discrimine leges
  Congeris et nostros patria iure doces.

Eiusdem in Ardelionem et Zoilum Epigramma.

Si tibi livor iners urit praecordia tantum,
  Ut patriis nolis consuluisse bonis.
Vel te dura silex genuit, seu torva Megaera:
  Vel si quid magnus saevius orbis habet.
Si pótis est iubeo liventem Zoile linguam,
  Comprime, vel si non pestis acerba voret.
Post ciner esque tuos frondes quot in arbore cernis,
  Plutonis poenas tot tibi regna parent.

Egregio Domino Stephano de Werbeucz, patrono suo inclytissimo Benedictus de Beken S. D.[2]

Diutius mecum deliberans, quam sit ingenio dignum, si quando nos nostramque patriam, laudum insigniori virtute accumulatiorem splendidioremque aspicerem, verum ut fatear, cum Martiale bellum laudis deliberatae desiderat praeconium, erit patria nulla praeter animosos Ansonios,

[1] „Tripartitum opus iuris consuetudinarii inclyti regni Hungariae: per magistrum Stephanum de Werbewcz personalis presentie regie maiestatis locum tenentem: Acuratissime editum." Végén: „Impressum Viennae Austriae per Joannem Singrenium. Anno domini M. D. XVII. Octavo die Maii".

[2] Ugyanazon kiadás elejéről.

quorum facta steligeri coeli petunt assensum, qua sudanti virtuti nostratibus certet. Quid autem pulchrius fieri potuisset, quam egregie gesta patrum, monimento litterario aere obduro perenniori, quispiam efficatiorem perspectabilioremque reddidisset? Penuria si quidem ingenio elucubratorum ex nostra gente taciturnitatem delitescentem genuit; exterorum vero vecors invidia pulcherrime factorum nostrorum non attendebat excellentiam. Sic sub tam rigescenti silentio, multa per tempora vitam sine celebri memoria duximus; non quia defuit nobis ingenii valor, non liberalitatis strenua majestas, qua sola via est ad undantis scientiae apicem, decentisque corporis decorata proceritas, quae omnia quam studiosis conveniat et decens sit, dubitat nemo; obfuit sed quoniam sangüinolenti belli continua exercitatio; illa enim majorum oblectabat animos. Devastantis omnia belli deflendam miseriam quantam fecerint, noverunt hi, qui vesana contumacia superbiae ducti, quippiam adversi eis moliti sunt. Cum vero pacis clementior ubertas, gloriam tum patriae, tum genti splendidiorem indidit, paulatim pallescentis Minervae dulciloqua speciositas nostros fulcivit homines. Quam brevi in eo studio, quo vita honestatur, gloria dilatatur, omnis denique floridae virtutis honos amplificatur, profecerimus, dat apertissimum argumentum Joannes Pannonius poëta gracili facultate sublimis, et citra Sulmonensis vatis deliciosam lyram resonabilis. Cuius nuperrime paucula carmina ad me misisti, quaequam Cecropidae cothurnata sint, erunt testes qui perlegendi favorem nostro indulserint poëtae. Quae inquam, carmina ob incuriae calamitatem cicatricibus duriusculis scatebant; praestantissimi attamen viri; praeceptorisque jucundissimi, Joannis Camertis sacerrimae Theologiae professoris inclytissimi cura usque adeo pristinae excellentiae redacta sunt, ut nos secus resonare videantur quam si emunctae naris auctor, mundissimo ore delicataque Camoena circum serpentis rivuli marginem reboaret. Scripseras siquidem brevi in curriculo longe maiuscula ex operibus suis mittere. Quod ut facias petimus non omnes, quibus amoenissimi poëtae evigilatum opus cordi est. Ne vero ut dicunt, in sinu gaudeamus, efficias, vel ob

tui sanctissimi moris et consuetudinis indelebilem pietatem. Habes enim pro arbitrio maximam ubicunque ad ea acquirenda libertatem. Si enim armorum fragoso strepitu alias terremus nationes, obstupescere faciamus, decens est, animi eminentia, qui quantum in utraque arte fulgeamus, virtutis est videre illos, qui praesentis saeculi fruuntur amicabili dulcedine; et non minus illos, qui post nostram peregrinationem subsequuntur. Ista vero praesentia, nominis tui titulo insignire curavimus, Camertis tui, ut mei curam velim suscipias. Vale felix. Kal. Martiis 1514.

Benedicti Bekenii Distichon ad Lectorem.[1]

Quom totiens Janum contendas improbe livor,
Nonne pudet talem dilacerare virum?
Porge manus igitur poscenti, mente benigna,
Jano, si Jani carmina culta placent!

Ad maximum Antistitem D. Petrum Archiepiscopum Colocensem Philippi Beroaldi epistola.[2]

. . . Tu perinde pythagorici dogmatis observandissimus cultor, ita religione praecellis, ita doctrina praepolles, ut nulli antistitum clarissimorum sis secundus, agisque Archiepiscopum ex omni prorsus parte absolutissimum, in quo consertus episcopalium virtutum chorus splendicat, et sacerdotalia ornamenta collucent . . . Tu sobrius, tu prudens, tu moribus deffecatis ornatus, tu castitate vitae sanctissimus

[1] Ugyanazon kiadás végéről.

[2] „Commentarii a Philippo Beroaldo conditi in Asinum aureum Lucii Apuleij.“ A könyv végén „Impressum Venetiis per Bartholomaeum de Zanis de portesio. Anno domini M. CCCCC. IIII die XI. mensis novem.“ (fol. 237. l.). Keménynél (Kalászatok p. 58—62), ki helyesen megjegyzi, hogy ezen kiadást kell hogy egy régibb (bolognai) megelőzte légyen, mert Váradi Péter, kinek a kiadás ajánlva van, 1501-ben már meg volt halva. A munka második kiadása 1501-ben jelent meg Velenczében „per Sim: Papiens: dictum Bevilaquam“, a negyedik 1521-ben.

frugalissimusque, doctrina vero tanta peculiariter excellis, ut non minus sis eruditione quam archiepiscopatu memorandus . . . Quae vero ad tuum sacerdotium pertinent divina misteria, ea tam diligenter, tam sancte, tam solemniter celebrantur, ut omnia in his maxime casta solemnia, religiosa sint, ut sacerdotes alii ex institutis tuis religionis colendae formulam mutuentur. Ad haec cum hospitalitas, quae principua virtus est, episcopum cum primis exornet, domus tua patet illustribus, humilibusque indiscriminatim; pauperes ad te perinde ac in asilum salutis confugiunt, tuis erogationibus sustentantur . . . Quantum vero illud est, quo praeconio, qua laude memorandum? quod militibus regiis annonam omnifariam, calceos, pilea, vestimenta large suppeditas, qui oppositi sunt veluti obices Turcis cohercendis, et sane decet episcopum orthodoxum nulli impendio parcere ad cohibendos hostes christianae fidei sempiternos, qui sanguinis nostri sitientes, christianique nominis delendi cupiditate flagrantes faciunt continenter in regionibus pannonicis incursiones, omnibusque vicibus expugnare contendunt propugnaculum in confinio Pannonia munitissimum, cui Belgrado nomen. Verum illic praesidium regium in procinctu expeditum semper est ad illorum impetum retundendum et ferociam suffrenandam. Hi autem bellatores limitanei tuis incitamentis excitantur, tua largitate fiunt in arma promptissimi, te opitulatorem, te parentem consono ore appellitantes; fit, ut te non minus auxilio pollentem, quam consilio experiantur. Cum autem summus honos sit, notum esse tantummodo amplissimis principibus, tu apud maximum Pontificem Alexandrum es impetrabilis, tu maximo regum regi Matthiae, cuius laudes nulla aetas conticescet, qui Alexandro magno caesari, dictatori Hannibali Poeno virtute imperatoria est comparandus, tam carus, tam iucundus olim fuisti, ut apud maximum regum honoratior fueris, quam apud Scipionem Panetius, apud Alexandrum Aristander (bizonyosan Aristoteles); nec immerito, ille enim maximas complusculas tuo consilio, auctoritate, prudentia, gloriose confecerat. Quamobrem maximis, sicut par erat, ornamentis te ornavit, et archiepiscopatus apice meritissimo condecoravit, quem tu tamen ante merueras,

quam acciperes . . . Denique nulla tranquillitas potest esse diuturna, nec ulla fere est tam solida felicitas, quam non fortunae turbo concutiat, quae semper virtuti adversatrix est, et contumax, cuius spicula aculeata cum alibi, tum in aula principali maxime perforant, ubi invidi calumniatores, atque malevoli criminatores dominantur . . . Horum itaque fictae criminationes te regi Matthiae fecerant suspectum . . . Tu sicuti in prosperis modestus ita in adversis constans procellam illam impetu vehementiore prosilentem (!) patienter pertulisti virtutis adminiculo fultus et conscientia immaculabili subnixus, qui ad unicum calamitatis levamentum, studia confugiens, id temporis maxime expertus est litteras sicut felicibus in rebus sunt maximo ornamento, ita in calamitosis esse maximo solatio, singularique perfugio, ex quo uberrimus est fructus iucunditasque sapienti. Verum cum maximum hominis propugnaculum innocentia sit, cumque virtus concuti possit, excindi funditus non queat, tu pristino mox fastigio restitutus, clarior illustriorque emersisti instar solis, quem nubecula obumbraverit, qua mox dispulsa purior, nitidior, flagrantior emicare consuevit. Impraesentiarum in maxima es, sicut merito esse debes, existimatione atque auctoritate apud sacratissimum et omni cum honore mihi nominandum regem Wladislaum, quem religiosissimum, sanctissimum, indulgentissimum regem sciunt omnes qui noverunt . . . quem mihi in animo et aliquando reverenter salutare, sed non sine munere carthacio . . . Tu apud summates, et proceres aulicos omnes es amabilis, atque pro ea, qua plurimum polles virtute es venerabilis, te omnes ubi parentem colunt . . . Quid memorem, quam probus, quam splendidus, quam inculpatus existas in vita interiore atque domestica . . . Et cum in familia numerosa plures habeas egregie fideles, inter caeteros probissimus est Martinus Arthandius, quo in negotiis domesticis obeundis nihil fidelius, diligentius, vigilantius novi, quem tu ex omnibus unum, utpote solertiorem maxime idoneum delegisti, cui arcana committeres, et negotio permagna concrederes, quem ad Pontificem maximum unicum nuncium renunciumque es expertus . . . Tu somni parcissimus vigilias de nocte, bonas-

que horas bonarum artium studiis impendens, ita vitam producis . . . Tu eruditorum benevolentiam studiose expetis muneribusque concilias. Nullus in Italia litterarum litteratorumque altrice ac parente est studiorum claritate paulo celebrior, qui non tibi sit glutinio amicitiae copulatus. Tu me perinde ac in studiis humanitatis neque postremum, neque imi subsellii professorem muneribus es prosecutus. Tu ad me crebras litteras dedisti, quo, Dii bona, lepore! qua verborum atque sententiarum amoenitate refertissimas, prorsus ut perfectus orator. Tu ad me veluti ad praeceptorem neque moribus neque doctrina poenitendum destinasti necessarios discipulos ut doctrinis expolirentur, et dolatrio eloquentiae levigarentur, inter quos eminet Michael Cheserius, quo in puero mirifica indoles virtutis apparet, et ingenii lumen elucescit, qui ad comendam linguam et capiendum facundiae cultum esse oppido quam docilis, haud quaquam degenerans a parente Stephano Cheserio viro clarissimo, qui ob probitatem atque virtutem agit istic Vicepalatinum, quod nomen est praefecturae in Pannonia honoratissimae, tertiasque a rege dignitatis partes gerit. Magnum ego hoc duco, quod archiepiscopo maximo, eloquentissimo, nostra quantulacumque est doctrina non sordet. Huiusce autem inter nos florentis in dies amicitiae conciliator et quasi conglutinator fuit discipulus meus Philippus Cylanus iuvenis apprime nobilis et impense doctus, qui auro pannonico merces latias, hoc est litterariam supellectilem, qua nihil preciosius, comparavit, et hac politiori eruditione suffragatus, pigmentisque oratoriis bene coloratus, in patriam ad suos remeavit. Et sane me plurimum iuvat cum ex gymnasio nosto litterario scholasticos conspicio non solum cismontanos, verum etiam transmontanos nobiles complusculos bene literatos prodiisse, quotidieque prodire repurgata linguarum vitiligine omnique detersa barbarie.

Achilles Bocchius versei közül.[1]

De poematis Jani Pannonii.[2]

Pannonius dulci Janus dum carmine nuper
Saxa, feras, volucres et nemora alta trahit,
Miratus Titan ait, aut non occidit unquam,
Orpheus, aut alium Calliopea tulit.

Tumulus Pauli Pannoni pro Seb. Magio Pannon. Discipulo.

Ergo jaces, Paule, et medio te flore juventae
Impia surpuerunt tam cito fata mihi?
Quid faciam infelix? omnes moriamur oportet,
Quos sors cumque vocat. Sic placuit superis.
Heu sortem indignam! I nunc et juvenilibus annis
Crede. Hodie vivas, cras cinis ater eris.

Tumulus Francisci Saxatelli pro eodem Sebast. Magio.[3]

Fama et Parcae colloquuntur.

F. Vosne meum, immites Parcae, valuistis alumnum
Perdere; nec pietas, proh dolor ulla movet?
Ac scelus infandum, quae vos truculentia adegit.
P. Fama, tace, quando sic fera mors voluit.

[1] E költemények a „Carmina illustrium poetarum Italorum Florentiae 1719" czímű gyűjtemény második kötetéből vannak véve. Megvannak a plut. XXXIII. cod. 42 jelű codex Laurentianusban is.

[2] p. 343. a kiadásban, melynek 357. oldalán „De Jano Pannonio Episcopo Quinqueeccles. Poeta clarissimo" czim alatt ismét előfordul, azon különbséggel, hogy az utóbbi helyen az első sor „Pannonius"-a helyett „Paeonius" áll. Az epigramm második sorában *fera* áll a kiadásban, negyedik sorában a *Calliope genuit*-et nyujt a codex.

[3] Saxatellusról vesd össze Jo. Antonius Haminius Seravallensis következő sorait (u. o. IV. p. 366.):

Francisci Saxatelli Epitaphium.

Si pensare brevis licet aevi tempora factis,
Et vixisse diu gloria parte facit;
Saxatelle, ducem Pylium, Francisc, Phrygemque
Aequasti, patriae militiaeque decus.
Vix quater exieras lustrum, cum laude perenni
Attulit in Venetis pugna cruenta necem.

Cui juvenis dextra dum forte insultat et armis
Iniicit huic rapidas illa repente manus.
F. Egregium vero facinus: per numina juro,
Nunc ego te perdam, mors violenta, magis.
Si vires[1] periere tuae, Francisce, decorque
Aeternum deinceps vivere te faciam.

Tumulus Margaris Germanae Pro Sebastiano Mago Pannonio Discipulo.[2]

Viator Famam sepulchro insidentem alloquitur

V. Quis tumulus? Quae tu vario depicta colore,
Os, aures, linguam maxima, crebra oculis?
F. Fama vocor; tumulus tegit hic heu Margaris, olim,
Qua nil Germano claris orbe fuit.
Quid fuit? immo etiam nec erit; sed plurima in una
Interiere fides et decor et pietas.
Quin etiam Charites ipsae, prudentia, dulcisque
Admixtus suavi cum gravitate lepor.
Huic me praefecit summi regnator Olympi,
Custodem tantum perpetuam tumulto.
Nomina ne pereant, quando tot numina in illa
Jam periere. Sat hoc. Dic pia verba, et abi.
V. Ergo levis tanto cineri sit terra precabor,
Spirantesque ferat semper ut[3] urna crocos.

Achilles Ph. Bochius Sebastiano Magio Pannonio S. P.[4]

Reddidit suavissimas mihi literas tuas Gabriel ille utriusque nostrum amantissimus, ex quibus quantum voluptatis acceperim facilius est tibi existimare quam mihi scibere.

[1] *vives* a kiadásban. [2] p. 358. [3] *et* a kiadás, *ut* (és *spiranteisque)* a codex. [4] Cod. Barberinianus XXXI. 48. tartalma miscellanea, nagyrészt Achilles Bochiustól. A mi levelünk, mely más tintával van irva, mint a codex többi része és valószinűleg autographon, miért is orthographiáját megtartottam, fol. 110a-n van. A levél jobb széle itt-ott meg lévén sérülve, egyes szavak leszakadtak, ezen helyeket pontokkal jelöltem.

Vidi enim, vidi, penitusque perspexi ingenuum illum tuum in me amorem benevolantiamque ab omni prorsus fuco atque fallatiis remotam nil deferbuisse, immo vero tanto magis incalluisse, quanto apud te me absentis desiderium (ut scribis) . . . Qua in re facis tu quidem ut soles, hoc est humaniter, et ut verum amicum decet. Ego tamen nunquam in amore vinci abs te patiar, quin semper (nam illud pulcherrimum duco) superare contendam; in cȩteris tibi cȩdere possum, in hoc minime, cum prȩsertim amoris mei semina non in steriles Adonidis hortos, sed fructuosissimos humanitatis et liberalitatis tuȩ campos iecisse cognoscam, unde fructus uberrimos me percepturum auguror. Dii modo cȩpta secundant. Itaque non est quod verearis quin tecum in Pannoniam veniam, qui paratus sum etiam tecum una orcum ipsum, si opus erit, invisere. Quamvis enim hic Romae nedum floream, sed regnem, quippe qui apud rarissimum principem Al. Pium Cȩs. Ma^tis apud Pont. Legatum, cuius a secretis sum, tantum iam gratia polleam, quantum etiam petere voto immodicum foret, usque adeo ut me omnes Albȩ Gallinȩ filium nuncupent; nihil tamen horum nec aliud quicquam sententia mea dimovere unquam poterit, nec persuadere quin Patroclum meum terra marique sequar, cuius amor tantum mihi crescit in horas, quantum vere novo viridis se subicit alnus (ut in affectibus etiam nostris Vergilianis deliciis obiter utamur).

Proinde bono sis animo. Sibi habeant regna reges, sibi divitias principes, dum me . . . frui possim felix sum et digito cȩlum attingo. Quid plura? Tu spes, tu decus n . . . tu animȩ dimidium, immo vero anima ipsa es mea. O si nunc dulcissimo aspectu tuo frui possem; quot darem amplexus; quantum suavissime, invicem de literis sermocinando temporis absumeremus? Sed dabitur olim hoc, dabitur, et mehercle cito. Certum est enim mihi ante mensem[1] (dum) vivam) ne hoc desiderio diutius macerer, patrios lares in-

[1] Hogy Bochius szavát tartotta, kitünik ugyanazon codexnek egy a mienket megelőző leveléből, mely Barth. Raimundus s Marius Siderotomushoz van intézve és kelt Bononię, Mense Octobri MDXIII.

visere. Sed de his alias. Quod mihi de propria liberalitate 140 obtulisti, gratias tibi pro tempore immortales ago, quas aliquando referam. C. Cornelium rebus nostris valere dixisse audio; hoc ego te prędicente cognoveram, non doleo . . . ἀπρακτότατος καὶ καχεκτής; probe hominem nosti. Valeat igitur Sol . . . Et ipse et sui similes. Nos hac à stabie tenemus ungues. Tu interea, mi Seb. cura ut quam bellissime cum parentibus tam tuis quam meis valeas. Romę, mense Augusto, MDXIII.

Divo Matthiae Ungariae et Boemiae Sereniss. Regi Principi Invictiss. Antonius Bonfinis Civis Asculanus et Recin. Translationem Hermogenis Praestantissimi Graecorum Rhetoris et Iureconsulti Excellentiss. Pie Dicavit.

Ad Mathiam Ungariae Boemiaeque Regem Antonii Bonfinis in traductionem Homogenis praefatio.[1]

Alexander cum adversus Persas traiiceret in Asiam, simulachrum Orphei quod in Libetris erat, sudoris multum emisisse ferunt. Quo quidem portento ut mox experientia docuit, sempiternae memoriae illius gesta futura maximumque laborem Musarum cultoribus allatura esse portendebantur. Resudarent hoc quoque tempore siqua colerentur divorum simulachra scriptorum, Serenissime Princeps, cum non minorem Latinorum ingeniis praebeas quotidie de te scribendi materiam. Nunc autem cum ubique illa defuerint, creberrimi rumores qui in dies quaeque faustissima et felicissima de maiestate tua e Septentrione ad nos deferunt, talem sudorem non modo significant, sed humana ingenia rapiunt ad scribendum; quid etiam quidquid scripserint serenitati tuae dedicare cogunt ac iure quidem. Nam cum duo sint, quibus caeteris animantibus praestare videamur, ratio inquam et oratio, quae et illis interdictae et nobis naturae privilegio elargitae sunt, quibus Rex quisque muni-

[1] Hermogensis Tarsensis ac Rhetoris acutissimi de Arte rhetorica praecepta. Aphthonii item Sophistae Praeexercitamenta. Antonio Bonfine Asculano Interprete. Apud Seb. Gryphium, Lugduni, 1538."

tus esse debet utranque ita in serenitate tua excellere novimus, in veteribus et iunioribus principibus illustrissimis, quod in Herodiani praefatione discussimus, iure debeas anteferri. Ex ratione sapientia provenit, quae cum aut in actione aut in contemplatione versetur, tu ita utramque complexus es, ut Alexandrum gentilem tuum, ut alibi ostendimus, ciuius magnanimitatem et gloriam a pueritia semper aemulari contendisti, aequare et superare videaris. Nimirum te illi consimilem natura finxit. Statura namque corporis utrique mediocris, speciosa membra eximia forma, tereti brachio, latis humeris, patenti pectore, obductus superciliis, item venustissima facies, subnigris oculis ac libere intuentibus ornata in leonis speciem, ex oculorum lineamentis et lenitate Alexandro persimilis, formosum denique corpus ac omni ex parte decens, cui color albus aeque ac illi cum rubore atque ingens a iuventute celeritas. Aspectus autem usque adeo serenus et gratus, ut non sine dignitate ac pergrata humanitate adeuntes statim in amorem alliciat, omniumque spectatorum solo obtutu gratiam sibi conciliet. Pectori immensa magnanimitas cum ingenti gloriae cupiditate coniuncta, item tantum roboris et virtutis, ut neque animi neque corporis laboribus superari possit. Accedit summa scientiarum omnium cognitio adeo exacta, ut sive de divino et humano iure, sive de coelestibus mortalibusve rebus disseratur de quoque disciplinarum genere possis acute et composite disputare. Alexander Homerum commilitonem habebat, contra tu sacra cum Aristotele monumenta. O rem summa admirationem dignissimam, nullo belli ardore nullo hostium tumultu, nulla denique mole rerum gerendarum a sanctissimis literarum studiis alienari potuisse. Auget etiam illud splendorem maiestatis et spectantium admirationem, quod et regiam illam magnanimitatem, sapientiam, celsitudinem, magnificentiam, decus gloriamque tuam non superbia, non animi elatio, non difficultas aditus, non custodum improbitus ambit, sed tanta mansuetudo, benignitas et clementia circumvenit ut nemo sanctissimam maiestatem tuam adierit, qui non modo gratia, sed solo aspectu se non beatum profiteatur. Quis liberalitatem profusamque munificentiam satis

poterit admirari templa aedificatorem, aedificia vetustate collapsa instauratorem, calamitosa paupertas maximum erogatorem, literarum studia indulgentissimum parentem, sacerdotum collegia profusum datorem, hominum vota piissimum servatorem te habent, noscunt et adorant. Nunquam virtutem passus es extingui, nunquam viros doctos et bonas artes mendicare. Ad te praeclarissima quaeque in remotissimas terras ingenia confluunt tanquam ad unicum optimarum artium parentem tutumque praesidium. Et quicunque re aliqua impediti remorantur, audita profusissima liberalitate et beneficentia tua, tuum nomen domi colere et adorare coguntur. Dices ad haec has mediocres in te esse virtutes, si de aliis ratio habeatur. Ego vero virtutem eam potissimam reputarim, quae deo propius accedit divinamque probitatem magis imitatur, quae cum sit ipsa beneficentia, quae ex nimia probitate promanat, hac quam maxime meremur Deum fieri propiores . . . Quid enim maiestati tuae gratius accidere potest, quam si vir quispiam literatissimus offeratur, aut si praeclara opera dedicentur? Ratae nullas imagines ac monumenta illis esse diuturniora. Inest praeterea tibi tanta pietas, religio et divini solicitudo cultus, ut domi militiaeque non secus ac Alexander dextera sinistra hastam feras. Gloriosissimus ac clementissimus ille servator mundi, ne talem quidem principem post tot secula nisi ad Christianae reipublicae salutem revocasset. In haec te secula produxit altissimus ea quidem sapientia praeditum ut scires, ea probitate refertum ut velles, ea denique fortuna munitum ut posses et tueri fidem Christi, et de humano genere bene mereri. Dedit consilium ad egregia quaeque facinora promptum, item consilio industriam audaciamque adiecit, ut nulla te pericula, nulla incommoda corporis, quae caeteros remorari et a gerendis rebus revocare solent, invictum animum deterrerent, adiecit pervigil studium et diligentiam et miram festinationem cum celeritate, ut cuncta facile obeas, quae aut strenuo milite aut summo digna sint imperatore. In subeundo labore incredibilis tolerantia, mira in ostendendis viribus fortitudo, et in quoque consilio acutissima mentis acies, propitia denique fortuna, quae ita consiliis

ubique tuis favet, ut ea nunquam detrectarit, quae quidem omnia te consummatissimum imperatorem reddidere . . . Ad haec non regius ille fastus te delectat, qui alios nostri seculi reges occupavit, non purpurae, non aureae trabeae splendor assiduus, non continuus tricliniorum et sellarum apparatus advenientium lumina ab aditu deterrent, non lictorum aut ianitorum turba, non scribarum amanuensiumque multitudo, qui diu multumque rogati vix tamen per literulas respondere dignantur, adeuntes tuo limine summovent, sed domestico saepe habitu te venientibus offers. Audis benigne supplicantes, comiter et per humanae loqueris ac omnium petitionibus clementissime satisfacis. Nunquam elatus inventus es, iocosis sermonibus libentissime uteris, colis amicitias, semper hilaris inventus et tam svavem ubique retines cum affabilitate comitatem, ut nemo a te tristis abeat et infestus. Nihil tibi gratius quam aut amicis, cum opus fuerit, praesto adesse, aut de Christiana republica bene mereri, aut regno bene consulere. Favere doctis et alienae miseriae mederi studes. Illam auream saepe sententiam dictitas, praeclarum esse regi insuperabilia hostium moenia expugnare, sed hoc multo praeclarius, se pecuniae, cunctis voluptatibus et timori insuperabilem praestare. Solent plerique nunc reges Persarum exemplo in hoc sibi nimium placere, si raro conspiciendi exeant et clam omnia gerant. Contra Matthias noster invictissimus in propatulo et oculis omnium assidue versari, publice aures benignissimas accomodare, convivari quoque publice ac loqui putans obscoenis actionibus tenebras convenire, honestae contra vitae lucem maiori ornamento fore. Facile omnes intro admittere et admissos continuo voti compotes reddere, non distrahere spes supplicantium, neque per varios aulicorum ordines expedire, sed ipse solus omnia dare gerere ac erogare. Item regnum excolere et officiosa gubernatione benignum reddere, hostes vindicta et excellentes animos beneficio superare. In secunda fortuna non efferri, sed deo gratias agere; plura considendo in prosperitate sacrificare, quam reformidando vovere, in metu hilaritatem praeferre, in felicitate benignitatem. Non irasci libere loquentibus, deridere iactatores, dissimulatores mentis

aequae ac insidiatores aspernari. Calumniatores maiore odio quam fures habere maiorem dicens esse iacturam, ut Agesilaus quoque Lacedaemonius dicere solebat, amicis quam pecuniis orbari. Privatorum errata aeque ferre, contra regum intolerabilia reputare, dicens ex illorum peccatis pauca ex horum erratis multa mala provenire. Post haec nullam cupere gloriam, nisi propria opera et virtute navatam. Sapientiam re magis, quam verbis exercere, amicis se benignissimum praestare, inimicis horribilem. Rei bellicae ac equitationis peritissimus, non destinato solum, sed ex itinere, occasione et spurcissimis tempestatibus cum hostis tutum se fore putaret, praelium saepe sumpsisse. Curuli praelio, velut in bello Troiano certare, saepe carris circumvenire hostem, quibus et pro vallo uti, item in arte militari ea commentari, quae aliis hactenus ignota fuerint. In obeundis expeditionibus dubium cautior an audentior, itinera incredibili celeritate conficere et centena in singulos dies rheda milia passuum percurrisse, laboris et vigiliarum patientissimus, pro tempore ac loco aeque severus et indulgens in milites, a desertoribus et insidiosis severius poenas exigere, connivere in caeteris. Ad iracundiam difficulter irritari et non sine magna causa, et irritatio nihil ardentius et acerbius esse, in praelio acerrimum pugilem, et victoria facilem et exorabilem imperatorem; contemnere superbos, se mediocribus humilem praestare, amicorum fidei credere, ab hostibus difficillime decipi, in stabiliendis rebus in delendis hostibus assiduo laborare; nihil denegare petentibus, de se bene merentibus memorem et periclitantibus se auditorem dare, ipse quoque neminem absque tristitia rogare, et sine alacritate nemini obsequi, ad augendam eius gratiam nihil cum fastu dare nihilque nisi ample suscipere, Regiae denique dignitati putare non astutiam, sed bonitatis excellentiam convenire, et, ut Porus ille rex inquit, dignitatem regiam omnia continere. Haec igitur omnia quae ad sanctissimum serenissimumque regem pertinent, sapientia tua tibi peperit ex animi ratione profecta, qua primum a caeteris animantibus separamur. Reliqua est oratio, quae dignitatem hominis maiorem in modum exornat, eaque ne quid tuae serenitati deesse

videatur, plurimum decoris attulit et ornamenti. Haec comitatem tuam auxit et affabilitatem vehementer excoluit et in concione militari saepe mirifice profuit. Nos autem cum perfectissimo dicendi genere serenitatem tuam magnopere delectari sentiremus, quo Messala Corvinus et caeteri maiores tui tantopere delectati sunt, Hermogenem Graecum Rhetorem, qui cuncta antiquorum huiusce artis documenta collegit ac miro ordine et acuto mentis acumine tradidit, multaque de formis orationis adiecit a Cicerone Quintiliano caeterisque Latinis Rhetoribus omissa, nuperrime traduximus tuoque minimi veluti caeteros labores nostros dicandum esse statuimus, ut cum immortali tuo nomine nos quoque aliquam immortalitatem inveniremus, Ennii poetae exemplo nimirum invitati, qui ut in Scipionis Aphricani sepulchrum benigne ab eius manibus admissus est, unde diuturniorem sibi vitam invenit; ita meum humile nomen, si his quae edidimus tuo nomini, monumentis per operis iudicem apponatur, poterimus fortasse per divinitatem Maiestatis tuae quam nulla secula conticescent nos quoque fieri immortales . . .

Divo Matthiae Pannoniae et Boemiae Regi, Principi Invic. Antoni Bonfin. Traductio in Architecturam Antonii Verulini Pie Dicata Praefacio feliciter incipit.

Credebam, dive Mathia, Princeps invictissime, ad aequanda tuorum Romanorum gesta et ad comparandam immortalitatem te satis ex arte bellica sapientiaque tua nominis tibi vendicasse, neque aliud quicquam Maiestati Tuae amplius requirendum, cum haec duo potissima sint Imperatorum ornamenta et expeditissimum iter ad gloriam praebeantim mortalem. Quem enim legimus aut vidimus, qui tot tryumphis (sic!) laruerit, tot opima spolia retulerit, tantum sanguinis pro christiana fide profuderit, tantaque strage barbaram infidelitatem affluxerit, qui tanta quoque sapientia regnarit, tanta prudentia cuncta disposuerit, tanta fortitudine pericula obiicerit, tanta animi magnitudine quaeque maxima gesserit, tanta tollerantia assiduoque labore regnum admi-

nistrarit, tanta iustitia crimina coercuerit, tanta beneficia et benignitate omnium hominum gratiam promeruerit? Nempe neminem. Non enim ut Julius Caesar aurea deorum simulachra conflanda duxisti, neque pro his adulterina supposuisti; non ex instituto Octaviani lassivo dodecatheon convivio te molliendum esse censuisti, quando nihil magis regium existimasti quam nullis servire voluptatibus, sed in laboriosa semper virtute versari. Neque nephario scelere, profanisque insidiis, ut illi, occupandum Regnum esse iudicasti, sed intellecta dei vocatione, qua ad imeprandum acciverat, nondum quartum decimum nactus annum, divino iussu oblatum regni sceptrum accepisti, quem ut fortuna gentibus spectatiorem efficeret se tibi a principio novercam praetulit, quo mox officiorum virtuti tuae obsequium se perpetuo praestituram esse intelligebat. Non Syllae (sic!) more concivium bona sub hasta collocasti, neque his qui inimicorum capita referrent praemia proposuisti, verum in sicarios severa perduellionis lege animadvertendum semper esse duxisti. Neque Marianam denique crudelitatem commendasti at religionem et magnanimitatem Scipionis, Catonis integritatem, et gravitatem Fabii, beneficentiamque Luctatii Saturnini, qui nihil sibi praeter coelum et cenum donandum reliquerat; praeterea fortitudinem Valerii Corvini, congentilis tui, Metelli pietatem, probitatem Antonini, Marci sapientam, clementiamque Caesaris te non solum quottidie aemulari verum et superari conspicamur. Et inter conspicandum dum memoria tua gesta repetimus, nimia saepe admiratione confundimur et animi obstupescunt. In Pannonia non aliter ac in area bellorum et palaestra Maiestatis Tuae solium deus ipse constituit, ut dum hanc Germani, Vindelici, Sarmatae, Turci, Thraces et Illyrici undique invadere conantur, te unicum propugnatorem offendant, et hinc per te immanissimae in Italiam infidelitati aditus obstruatur, sub tuaque demum dextera Christiana respublica conquiescat. O quam bene rebus Pannonicis fortuna consuluit, immo divina clementia prospexit. Nam quis divo Mathia praestantior Pannoniae praefici potuisset, qui immites et asperos Septentrionis populos, unde cuncta Pannoniarum et Italiae mala profluxere ne ulla erumperent,

melius coerceret? nempe nemo. Nimirum quis non noverit Maiestatem Tuam potius e coelo datam quam humana disquisitione delectam. Non humanae vires, non vincula, non carcer, ne ulla quidem angusta relegatio Mathiam ad imperium divinitus accitum et adhuc puerum (ne dixerim infantem) remorari neque destinato regno defraudare potuit. Non mendicatis suffragiis creatus non ambitis principibus optatus, sed anhelatus postulatus ense, item ereptus et redemptus ad fatale regnum evectus est. O, quantus princeps ille futurus erat, cui pueritiam regia dignitate divina clementia excoluerat, et qualis hic futurus erat, non modo ille sanctissimus vir Johannes Capistranus divino spiritu afflatus saepe praedixerat, sed ipse quoque illudentibus quandoque Viennensibus et eccum illum Ungariae Regem oblatrantibus, et vestrum quoque saepe respondit; quod deinde omnem exitus approbavit. Acceptis namque rerum habenis et pacato regno ne divinae vocationis inmemor esse videretur, adhuc puer in expeditionem Turcorum animum intendit, cum eorum imperatore semper dextro Marte conflixit, saepe castris exuit, saepe ad solvendam obsidionem et dimittenda impedimenta machinasque bellicas compulit, in Maesia saepe fudit et fugavit, et multo saepius inaudita strage confecit. Quod in Transilvanis adhuc campis instar montium cadaverum testantur acervi. Maumethes imperator ad suos quandoque versu. O, quam vereor, saepe dicere solebat, ne a fatali hoc Ungarorum puero, quem ex omnibus unum imperio dignum esse censeo turpissime caedi videamur. Proinde amicitia et officio potius conciliandum quam ad magna speranda incitandum esse arbitror. Is enim neque insidiis circumveniri, neque audacia deterreri potest, sed quottidianum ac familiare hoc bellum est, hereditarioque iure delegatum. Dum hoc geritur ecce a cardineo senatu et auctoritate pontificia accerrimum Boemiae bellum, quae tabifica haeresi ab orthodoxa fide defecerat, Maiestati Tuae demandatur. Quin etiam eo quidem fere tempore regnum Sarmatae invadunt, intestina tuorum principium coniuratione excitati. Paulo post Federicus imperator ac occidente hostili manu Pannonios aggreditur, passim igni ferroque crassatur (sic!).

Ab Illyrico incursabat quottidie Turcus. Intrepidus tamen Maiestatis Tuae animus tot bellis undique circumventus nunquam sibi defuisse visus est. Quin etiam tanta propagandi nominis occasione magis ac magis augebatur, inmortales deo gratias agebat, qui ne quo torpesceret ocio quottidianam inmortalitatem ausam sibi porrigebat. Quis hoc tandem credere poterit, quod hostes quoque barbari ingenue fatentur, Mathiam tot periculis obsitum saepe uno anno a quattuor mundi partibus rettulisse victoriam. Immo ne mensis quidem adhuc ullus sine victoria exactus est. A solis exortu profligasse Turcos, a Septentrione Sarmatas et Boemos, ab occasu Vindelicos et Alammanos, a meridie Illyricos. Atque de utroque mundi Imperatore saepe uno anno tryumphasse (sic!) alterum denique ad indutias redegisse, ad magnam imperii iacturam alterum. Quis igitur prae nimis livore denegare ausit, eum qui de duobus orbis Imperatoribus tryumpharit et saepe tryumpharit, non iure verissimum ac maximum Imperatorem appellari opportere. Hic verus est Caesar et verus Augustus, qui Boemos domuit eosque in provinciam redegit, qui Austriam in ditionem accepit, qui Sarmatas cum magna strage abegit et ad amicitiam redegit, qui Turcis munitissima oppida eripuit et intra proprios fines occlusit, qui Dacis et Getis iura dedit, qui Maesiam et Peoniam ab infidelium incursionibus vindicavit. Quorsum igitur haec? inquies invictissime princeps; nempe ut intelligeret Vestra Maiestas sibi satis ex arte militari et insita sapientia nominis et inmortalitatis comparasse, quibus Romanos progenitores tuos a te non solum aequari verum etiam superari confitemur. Accedunt et alia quae Maiestatem tuam non minus illustrant teque et Corvinum et Romanum Caesarem esse plane testantur; praeclaris enim delectaris aedificiis et his praesertim quae vetustatem aemulentur. Nam cum Syllam, Pompeium, Lucullum et Agrippam, item Augustum, Corvinum Messalam, multosque Romanos insana opera fecisse lectitaris, quae illorum magnificentiam refferrent, non sane aequo animo pateris, Princeps invictissime, te hac aedificiorum magnificentia superari, sed priscam architecturam in lucem revocasti; et hoc praesertim tempore, dum breves

utriusque Imperatoris exiguntur induciae ne ingrato otio cessare videaris, quando nemo te unquam impune vidit otiosum, ad excolendas politicas artes animum convertisti. Et quamvis his artibus belli pacisque tempore, quam nunquam fortasse praelibasti, confectus curis animus tuus mirifice recrearetur, quia ab aedificando nunquam desistere visus est, nunc tamen vel maxime his operibus incumbit quae cum antiquitate decertent, ne qua in re illi cessisse videatur. Disquiris statuarios, plasticos pictoresque optimos undique accersi iubes; coeunt undique topiarii atriensesque fabri; lapidicinae studiosius quam aurifodinae quaeruntur; scalpuntur ubique marmora ut maximis satisfaciant operibus. Pannoniam olim barbarorum aream, ac gentium ludum undiquae incursantium, in qua praeter temporarios pagos vastationisque nihil fere cernere erat, tot praeclaris aedificiis exornasti, ut ea potius destinatione aeternitatis, quam temporaria mora erecta spectentur. Apud Vicegradum arcem cum rure aedificasti, praeter quam Danubius defluit, tanto sumptu et amoenitate praeditam, ut Lucullanam villam superare videatur. Distinctae sunt ibi regis et reginae mansiones; distincta sunt triclinia cubiculaque cum procestriis, diurna et nocturna; magnificae coenationes collaqueatis contignationibus irradientes. Ad haec auratae porticus et amoenissimae zetae (=diaetae), marmorei fontes magno sumptu absoluti, fenestrae superbissimae et cratefactae, iocunda sphaeristeria, munitissimaeque regalis gazae apothecae, elata item subdivalia marmoreis ornata fontibus. Neque horti desunt et xisti violis odorati amoenaeque gestationes buxetis undique conviridantes. Ad haec frigidariae atque caldariae [1] cellae; item hypocaustum et cum unctuario baptisterium. Nonnullae zeteculae specularibus et velis obductae sunt, et necubi relligio cesset, aedicula ornatissima. In prelisque locis marmorea et aurata podia prominent, unde late prospectari licet. In villae latus regalium amphibolarum gyneca [2] secedent. Dietae multo auro corruscant. In hortis viridantes perpetuo scenae tanto laxamento spatientes,[3] ut volenterii vicem praestare possent.

[1] ęque caldari *a codex*, et caldaria *Morelli*. [2] gynaecea *Morelli*, *helyesen*. [3] spatiantur *Morelli*.

Neque minus spectatorem distrahunt virides euripi, piscinae, gymnicus agon, et hyppodromi praeter Danubii ripam longe producti. Verum haec omnia non ad Visegradum, sed Cumarae, Budae et in multis fere locis longe maiora spectantur. Quid Budensi arce superbius inveniri possit haud facile dixerim, ubi subdivalia plura, fons in area elaboratissimus, aream porticus laxa complectitur, supra porticum obambulatio duodecim coeli signis illustris. Ibi bibliothecam statuisti, ubi non modo quaeque scientiarum volumina, sed stellas et sydera recensere licet. Auget huius gratiam Danubii aequorisque subiecti longus latusque prospectus. Dimitto regales hortos hortorumque domos et topiaria opera; dimitto Herculeas statuas in propyleo stantes; dimitto valvas aeneas tanta arte elaboratas, quae si prosequerer, viderer fortasse potius Maiestati vestrae blandiri et detrahere vetustati, quam vera scribere, quae denegari nequeunt. In arce Viennensi pensiles hortos erexisti pensilique porticu obduxisti, ne corpus die noctuque defatigatum intempestive confici videatur. Caeteri principes cessante Marte aut venatione aut spectaculis choraeisque sese recreant, tempusque quo nihil praeciosius hac sterili recreatione terunt! Tua Maiestas non ad feras sed homines venandos et aucupandam inmortalitatem tantum est intenta, o divinum indefatigabilemque animum, cui si par corpus obtigisset tot bellicis laboribus attritum nihil super esset quo amplius posset gloriari vetustas et pro dignitate commemorare posteritas. Sed refocillat adhuc refovetque corpus ingens animi magnitudo. Quid dixeris iam viso hoc libro, quem in Latinum mihi traducendum demandasti? Nonne statim, visa pontium ichnographia, de traiiciendo marmoreo ponte Danubio, Traiani exemplo, ac de aedificandis plerisque urbibus in Pannonia cogitasti? Quid erecta in sano sumptu sub tuo nomine templa commemorem? Sat pro me Basilicae Albanae Budensesque loquentur, pro quibus sacrorum regum manes pientissimae Serennitati Tuae gratias quottidie agere videntur et beneficentiae tuae se mirifice debere fatentur. Secundum Danubium vivaria tam ampla, et tam perpetuo aggere statuisti, ut inundantem exciperent. Quis non si loci ac temporis ratio habeatur, hoc Romano-

rum Principum in aedificando audaciam fateatur? Quas ob res cum omnes bonas artes colas, et in primis architecturam, qua nihil ad principalem magnificentiam magis pertinere videtur et Bandinus, mira ingenii dexteritate suavissimus, tuoque numini deditissimus, Antonii Averulani (sic) civis Florentini opus mirabile de architectura nuper ad Maiestatem Vestram attulerit; haud ab re fortasse factum esse putasti, quod e vernacula lingua in Latinam quam primum traducendam curasti, quandoquidem hinc magnam cum Romana antiquitate certandi copiam tibi oblatam esse duxisti et hoc[1] enim Tua Serenitas omnem symmetriae rationem omniumque aedificiorum structuram accipiet. In qua quidem traductione, ne opus evilescat, si Latinis aliquantum vocabulis inhaesero, patitur quaeso aequo animo Vestra Serenitas me non minus doctorum quam imperitorum et Vestrae dignitatis ac mei nominis habere rationem: ego autem in traducendo hoc utar temperamento, quo dilucidati simul et latinitati satis facere studebo. Quod etsi severa lividave potius censura me praestitisse negarit, officiosae tamen voluntati est aliquid indulgendum. Illud saepe memoria repetat Maiestas Vestra, quod publice quandoque dictitat, verecundiam proba debilitare ingenia, et audatiam confirmare perversa.

Antonii Bonfinii Praefatio in Symposion de virginitate et de pudicitia conjugali.[2]

Cum Italia, parens artium et scientiarum officina (in matronarum genere) nihil habeat, quo tantum hoc tempore gloriari possit, quantum tui serenissimi nominis celebratione, quod caeteris externarum nationum laudibus cuiusque virtutis excellentia suo iure debet anteferri, felix ac fausta

[1] ex hoc *Morelli, helyesen.*

[2] Ábel e mű 1514-iki velenczei kiadása után közli e *praefacio*-t; de meg nem nevezett könyvtár (alighanem a Laur.) 2365. számú codexének eltérő lectióit is jelzi. Ez eltéréseket én zárjelbe tettem, a könnyebb áttekintés czéljából.

A codexeket Ábel így irja le:

A codexnek igen gazdagon diszitett czímlapja van. Négy oldalról

tua serenitas et celeberrima fama, quae totam iam diu et adhuc personat Hesperiam, me in Latinarum ocio literarum (litterarum) diutius torpere non permisit, cum celebratorem tui nominis, quantuluscunque forem, esse coegerit. Ac ne inmerito quidem. Sperabam enim cum divino ac beatissimo tuo nomine humilitatem quoque meam illustrare ac tradere immortalitati (inmortalitati). Nam cum aliis facta, aliis dicta naturae beneficio concepta (concessa) sint quamvis in utroque genere praestas quia quicquid sanctitatis et gloriae in foemineo sexu concipi potest, indulgentissima tibi natura tribuit, ego tandem (tamen) dedi operam ut quaecunque faustissimi de serenitate tua a Septentrione ad aures meas suscitati rumores attulerint, ea dicerem praedicaremque, ac demum literis (litteris) commendarem et non solum de te, sed de divo quoque Matthia invictissimo ac sanctissimo rege, coniuge tuo, pariter scriberem, cum potentissimo utriusque numini imbecillum (inbecillum) hoc meum insudaturum esset ingenium. Quin etiam antequam ad senium declinarem, utriusqe serenitatem praesens omnino visitarem, ne tam divo spectaculo, quod raro Deus mortalibus exposuit, mea lumina defraudarem. Quodsi huiusce laboris causas Celsitudini tuae intelligere libuerit, ab utriusque nomine profluat argumentum. Mathias enim Dei donum Hebraice interpretatur, de cuius sapientia, virtute, ac gloria alibi dicere non solum est animus, sed in celebrationem serenitatis eius (suae) ad senium usque meum desudabit ingenium. Beatrix vero quid significet, facile quisque Latinus intelligit: cui quidem nomini tantum numinis inest, ut non solum te beatum (beatam), sed quae alios beare possis, ostendat. Singularis ordo virtutum et sanctissima pudicitia te beat universam. Clementia vero ac pietas et profusa

virág-guirlande, jobbfelöli fensö sarkában harkályhoz hasonló madár, ez alatt virág, ez alatt juh vagy marha zöld mezöben, görög körirattal (MALLON ΘΝΗΣΚΕΙΝ Η ΜΙαΙΝΕΙΝ), ez alatt ismét virág, ez alatt sárkányhoz hasonló állat. Lenn a közepen Hunyadi-czimer hollóval. Ettöl jobbra-balra virág. A guirlande balfelöli oldalán és fenn kis virágok vannak közbeszöve. A „Cum“ C-jében koronázott nöi mellkép. A *C* maga aranysárga mezöben. Chartaceus. Egy oldalon 30 sor.

munificentia non mediocrem aliis beatitudinem elargitur. Serenitatem tuam excolit et beat non solum completissima turba virtutum, sed corporis forma cum ingenti venustate coniuncta, divina quaedam serenitas vultus et hilaritas (claritas) in cuius conspectum nemo venit, qui non aut reverentia nimia confundatur, aut mox serena alacritate recreetur. Nam si a prudentia sumatur (summatur) initium, quae omnium virtutum moderatrix et magistra esse censetur, quid ingenio tuo sagacius? quid perspicacius? quid circumspectius? quid consultius invenietur? quod virorum pace dixerim, ne inter eos quidem alterum poterit inveniri, quippe cuius tanta videtur esse dexteritas, ut ex tempore semper veluti ex proxima officina cuncta sapientissime dicta ac facta depromantur. Dictorum argutia homines obstringis. Lenitatem pro loco praefers, spem ostendis, gratias pro dignitate impartiris, severitatem pro tempore induis, cunctaque prudentissime operaris et dicis; prospicis futura et incauta nunquam inveniris, cui promptum consilium semper et perquam salutare. Abominaris inconsultum verbum, praecepsque consilium, quod mox poenitentia (pęnitentia) subsequabatur (subsequatur). In consultando semper imprimis quid aequum sit et sanctum intendis; quin et numina consulis semper aequitatis. Ex quo fit, ut neque dictum, neque factum de serenitate tua possit intelligi, nisi quod in annales referri debeat. In disponendis autem rebus et in regendo regno tanta sapientia uteris et diligentia, ut ad Salutem gentium et gubernationem nata videare. Gravissimam regni molem cum invictissimo viro pariter subivisti, qui cum sapientiae tuae altitudinem iam diu habuerit exploratam, et in gravissimis belli curis semper occupetur, commissa tibi gubernatione in dies imperii fines amplificat, amplificatosque tibi regendos instituendosque relinquit. Expugnavit rex ille invictissimus Vianam (sic!) Austriae metropolim et Rhetos Vindelicosque pene totus occupavit, te autem Vianae reliquit, subactaeque provinciae curam dispositionemque dimisit. Insuper bellantem saepe regem in expeditionem sequeris, castraque duplici (dupplici) ductu auspiciisque reguntur. Saepe educta acie, cum est cum hoste conserenda manus,

in uno Rex, in altero Regina Beatrix cornu praefuit, et habita concione (contione) milites cohortata suavissime, vehementia orationis usque adeo ad bellum militum animos irritavit, ut de pari quandoque victoriae laude cum dulcissimo rege suo contenderet. Obsidebatis quandoque pariter oppida (opida), et oppidani concitatissima regis oppugnatione perterriti, deditionem tibi faciebant, ad te aeque ac ad Deam dominamque mitissimam confugiebant. Saepe, qui obstinatius restiterant, et saevientis regis praelium ultra tolerare non poterant, suae imprudentiae poenitentia ducti, e moenibus (menibus) clementiam tuam elatis manibus invocabant. Saepe mulieres quae viris liberisque timebant, sparsis crinibus et profusis ululatibus e muro tuam opem et misericordiam implorabant, et intercessione tua a servitate regia incolumitatem, patriam et fortunas impetrabant. Tu autem Mithridatis Hypsicrateam aemulata amantissimo regi semper aderas, et te suavissimam domi forisque sociam comitemque praestabas, et ita praestabas, ut gravissimos belli labores praesentia tua redderes longe leviores. At hoc iure quidem, cum domi militiaeque consilio nimium valeas et sapientia. Quanta autem iusticia (iustitia) et aequitate polleas, nimirum referre est prorsus impossibile. Omni officiorum genere (generi) cumulatissime satisfacis. In Deum namque religiosissima et in caetera numina piissima esse praedicaris. Omnes profecto sacerdotes sacrae orationis assiduitate et innocentia vitae omnium iudicio superasti; quin etiam Eleusina sacra, quibus nemo nocens adesse poterat, si repeterentur in usum, tuae potissimum innocentiae ac puritati committerentur. Nullus dies praeterit quo rite non supplices, templaque frequentes; ne hora quidem, qua divinum non celebres officium. Mentem impollutam sanctamque conservas, in qua verum Dei tabernaculum statuisti, ubi Jesus inhabitat et immaculata virgo, unde tanta lux, splendor, sapientia et gratiarum copia tibi defluit, ut et Beatrix et beata possis a cunctis gentibus appellari. In tuos autem parentes usque adeo pia, ut pro alterius anima pro vita quoque alterius rem divinam quotidie (quottidie) facias. Qua quidem pietate Martium Coriolanum et Epaminundam superasti item Cleobi et Bitoni fratri-

bus anteponenda es, qui tardantibus bobus ipsimet submisso collo parentem suam curru insidentem ad Junonis templum et sacra traxere. Quare usque adeo Ferdinando placuisti patri, ut cum te ad virum profecturum [sic] (profecturam) ex Neapolitana arce spectaverit deosculantem parietes, iannasque, et triumphales maiorum imagines amplexantem, prae nimia paene charitate expiravit (expiaverit), nec migranti filiae praeter osculum (obsculum) quicquam proferre potuerit, ac relatus in Regiam vix caeterorum liberorum amplexu refoveri, vix sapientum optimatum consilio resipiscere potuit, exclamans Beatricis abitu sibi quoque animam et potissimas vitae delicias (delitias) obiisse. Item in fratres caeterosque tuos usque adeo pia, ut nihil unquam sit visum benevolentius (benivolentius). Ad mentionem nominis et victoriarum Alphonsi (Alfonsi) ducis exultas, quem unicum habet Italiae defensorem, bellatorem acerrimum nostri seculi, quem Ecclesia Romana Apostolicusque senatus propugnatorem summae (suum ac) perpetuum Ecclesiastici exercitus imperatorem elegit. Commendatione Friderici (conmemoratione Federici) praefecti Regiae classis admodum exhilararis (exilararis). Cardinalis modestia et sanctitate gloriaris, nec minus Francisci tui mansuetudine gaudes et affabilitate, qui quando in tuo gremio et apud tuum regem educatus est, divinos utriusque maiestatis mores refert. Ad illustrissimae Leonorae sororis mentionem prae nimio pietatis affectu collachrymasti (collacrymosti). Contra vero hi omnes ad memoriam tuae maiestatis et viri praegestiente laeticia (lętitia) exhilarantur (exilarantur) et plaudunt, atque non solum exclamant, sed nomen utriusque venerantur et adorant. Qua fide, prudentia charitate, sanctimonia et ingenii dexteritate cum divino viro versere, ne illa (ulla) quidem composite et copiose eloquentia dixerit. Nam quando tui similem divino consilio vitae fortunaeque consortem sortita es, quo quidem felici coniugio („quando" közbeszúrva) non solum utriusque beatitudo, sed Italiae gloria et populorum ac gentium incolumitas oritur, nihil unquam coniunctius, nihil amantius, neque flagrantius unquam.

Epitomate additi sunt cum bona parte Tertii libri. Erat enim hic sine capite, quo factum est ut iidem fere hi existimari possint, qui erant integri, quoniam ea est materia, ut non multa subtrahi ex eis potuerint. Habes igitur integros Athenaei libros. Dabuntur ut spero, et alii, qui desyderantur Authores, vel brevi faveat Deus. Quamobrem omnia tibi abunde erunt, ut Musas Atticas in patriam tuam gloriosus referas. Vale.

Venetiis Mense Augusto. M. D. XIIII.[1]

(Antonii Bonfini) Ad Divina Uladislaum Serenissimum Ungariae Boemiaeque Regem Praefatio.

Contemplanti mihi saepe, quam felix et fausta universae Pannoniae Maiestatis vestrae fuit electio, Princeps Serenissime, et quantum illa utilitatis affert, in dies profecto maior occurris, opinionem superas et animum in altiorem trahis admirationem. Jam illud sat exploratum habeo, quod ex apostolico ore proditum est omnem a Deo esse potestatem ... Quorum igitur haec, Rex inclyte, nisi ut te, quod quotidie facis, non tam haereditario iure et humana opinione, quam divino iudicio, tot gentibus ac regnis intelligas esse praefectum? Per me Reges regnant et imperant, inquit Deus. Quanquam prae competitorum invidia bello carere nequivisti, a pace tamen et pietate, item religione, clementia et mansuetudine fluctuantissimi regni gubernationem auspicatus es, atque vita quam his tuarum virtutum comitibus, carere maluisti. Contra nonnuli a ferocia et crudelitate sumendum initium esse duxerunt, diutinoque bello defatigandos et exhauriendos populos arbitrati sunt. Tu quum nihil pace ducere antiquius, laboriosa quietis fundamenta iecisti, et duobus circiter annis effoetae Pannoniae, quod antehac nunquam illa noverat, otium peperisti. Tanta in omnes a Maiestate integritas cum aequitate est exhibita, ut ab aequo nunquam examine declinaveris. Obaudis factiosos, delatoribus aures

[1] E két utolsó kikezdéshez széljegyzetben Ábel odateszi: „Ez persze nincs benn".

ambitionem reiicis anhelantem. Deprehendis artes hominum deprehensisque subrides. Ad haec inter omnes proceres amorem concordiamque disseminas, non mutua refers odia, sed exulcerata curas pectora; quod plerique principes, qui tyranni potius quam reges appellandi sunt, ut inter discordes et infectos proceres facilius imperarent, sane contempsere. Dum hac fida uteris taciturnitate, quae certo paterna dici potest, exploratas tibi omnium mentes habes. Dum reconditum tuum et occultum semper habes animum, mentemque omnibus abstrusam, cum mira gravitate coniunctam, nimirum nemo est, qui sapientiae tuae altitudinem expiscetur. Accessit ad haec clementia singularis ac mansuetudo ingens, qua omnes, qui a tua fide defecerant, et qui adversariorum partes sequuti sunt, haud difficulter sunt impunitate donati. Ex quo factum est, ut haec pientissimi tanquam patris indulgentia omnes sibi conciliaverit inimicos, qua quidem indulgentia, si quis inposterum abutatur, is profecto ne tam aliis, quam sibi parabit interitum. His igitur artibus, Princeps serenissime, aestuantem Ungariam pacasti et longae quietis fundamenta iecisti, Numam Pompilium imitatus . . . Nemini bellum praeterquam Turcis immanibus indixisti, quibuscum perpetuo dimicare decrevisti. Ne satis quidem adhuc tuae pietatis officio factum esse putabas, nisi de mortuis non secus ac de vivis hominibus bene mereri viderere, divi Platonis verbis admonitus, qui si vita defunctis, inquit, ex inferis redire liceret, nulla profecto re alia mallent, quam ut, si bonum inter vivos nomen haberent, melius praestarent, sin vero malum, mutatis moribus bonum efficerent. Servatis ditionis tuae populis, qui nunc vivunt, ad antiquorum memoriam revocasti, effecistique, ut cum his illi aeque viverent, quin etiam perpetua vita fugerentur. Nam Unnorum Historiam, qui Ungarorum fuere progenitores, a Mathia Rege mihi delegatam et paulo ante eius obitum initam, ut conscriberem, ab origineque mundi ad haec usque tempora, quaecunque memoratu digna intercessere memoriae traderem, iussu tuo factum est. Omnia facile interitura reputabas, occludis, non credis quicquam temere, multa dissimulas, dissidentes componis animos, inexplebilem avaritiam coerces,

nisi quae literarum viverent monumentis. Eo tandem tuae gloriae nomen evectum est, ut omnes te vivos et mortuos iuxta promeruisse praedicent et utrique immortales beneficentiae tuae gratias debere, ingenue fateantur. Opus igitur hoc Maiestati tuae, summa eloquentia et eruditione praeditae, ut par est, iure dicamus, ut cuius beneficentia singularis ad scribendum impulerit, id eius Principis numini dedicetur. Sed utinam materiae dignitati, auribusque tuis labor iste satisfaceret. Verum quum te non tam iudicem elegerim, quam appellaverim assertorem religiosa hac dicatura ne parum quidem fortasse proficiam, quippe quae omnem iudicii severitatem, et invidorum maledicentiam inclinabit . . . Proinde, Princeps pientissime, opus tibi dicatum aequo animo accipe, et immortales Deos imitare, qui parvo thure placantur, nec minima quaeque sacris operantium munuscula abominantur, ubi si quid laude dignum inveneris, id Serenitatis Tuae numini tribuendum quae ad scribendum impulit et aspiravit, sin vero quid ineptum, rei magnitudini, imbecillitati meae ac temporis brevitati imputandum, quae foetus edidit immaturos. Vale igitur felix, et libros perlege, ubi cuncta maiorum tuorum gesta non sine voluptate summa recognoscere licebit.

Ad Divum Matthiam, Ungariae, Bohemiae, Austriaeque Regem, Principem Invictissimum, Antonii Bonfinis Traductio In Philostratum Lemnium, Sophistam Praestantissimum, Et In Primis Praefatio Feliciter Incipit.[1]

Non erubescat amplius ipsa posteritas beneficio tuo, Dive Ma*th*ia, postquam oper*e* (opera) et virtu*te* tua factum est, ut cum gloriosa vetustate certare jam audeat: quod, *cae*teris pr*ae*termissis, ex bello tantum Ala*manico*, ne in caput excrescere videamur, planius ostendetur. Nam cum profuso

[1] E praefatióhoz Ábel czímlapul adja: „Analecta Monumentorum omnis aevi Vindobonensia. Opera et studio Adami Francisci Kollarii Pannonii Neosoliensis Mariae Theresiae Aug. A. Consiliis, et Aug. Bibliothecae Vindobonensis Primi Custodis.“ Tom. II. 814—28.

serenitatis tu*ae* nomine succensi in Pannoniam trajecissemus, compluraque volumina Maiestati tu*ae*, ac Div*ae* Beatrici, Filioque Joanni, faustae indolis adolescenti, dedicassemus; dum trans Istrum tua castra sequimur, ea victoriae tuae signa et perpetua quidem monumenta vidimus quae potius Julii Caesaris, et Augusti, veterumque Principium, quam aetatis nostrae gloriam decuiss*et* (decuissent). Ibi *nam*que (nanque) expugnatas passim urbes et opida spectavimus; quae non solum arte, sed loci natura, munitissima videbantur: quibus neque imposita a Friderico Imperatore praesidia; neque munitiones, et propugnacula; neque auxiliares copiae; neque Noricorum Suevorumque exercitus; neque Augustales legiones subvenire et prodesse potuerunt. Miserari potius, quam ab oppugnatione vindicare licebat. Si qua auxilia, subsidii necessitate coacta, in certamen descendissent; uno eodemque tempore et se poteri, et sua o*p*pida acerrime oppugnari, expugnarive conspicabantur. Quare ita Alamannorum animi consternati, ut non modo patentem Pannoniis Austriam tueri despe*rave*rint; sed sat sibi fuerit, intra Nori-

Antonii Bonfini Praefatio, Philostrati senioris operibus, in Latinum sermonem ab eodem conversis, praefixa, ad Matthiam Corvinum Hungariae Regem. Monitum.

Hozzácsatolva találtam egy jegyzetet, mely a bécsi császári könyvtár Philostratus codexéről igen érdekes följegyzést tartalmaz. Álljon itt e följegyzés:

„Mihi hunc librum dari jussit serenissima regia maiestas Hungariae et Bohemiae, Wladislaus in praesentia D. Wolfgangi Pülsperger camerarii intimi et generosi Stephani de Zintzendorff. anno XIII (= 1513) penultima Decembris."

Utána más kézzel: „Post hoc jure testamentario a gremperio ad ine Cuspinianum hic liber venit."

Ezután következik egy följegyzés, mely szerint Faber János bécsi püspök a maga pénzén szerezte meg e könyvet és hagyta a Szent-Miklós-collegium könyvtárára. E följegyzés ered 1540. jan. 10-én.

Ugyane följegyzés csekély változattal a könyv utolsó lapján is előfordul.

Ábel másolásának lapszéli jegyzeteiben találtam a bécsi codex lectióinak följegyzését. A szokottabb helyesírási eltéréseket — például ceteris, pretermissis, tuę, diuę, audatia, opida stb. — mellőzve, szemlélhetőbb alakban zárjelben az illető szó után iktattam be a jellemzőbb eltérést.

eorum montium claustra se suosque fines tueri posse. Immo si quid obstinatius audere perrexerint, profecto verendum, ne ita aliena defendere contendant, ut pro suis demum dimicare cogantur. *Ham*burgum captum vidimus, in Danubii ripa situm; expugnatam quoque ejus arcem suspeximus, monti impositam *edi*tissimo; quam non solum humana, sed ne gigantea quidem auda*c*ia occupare potuisset. Con*tra*ctam (confractam) Lavam, Retiam, Engeburgamque spectavimus; quae non tam pertinaciae po*e*nis, quam erubescentiae stimulis *au*gebantur (angebantur). Pleraeque sese victoris gloria et clementia consolabantur; quandoquidem cum his, quae facilem dedi*cio*nem (deditionem) fecis*set* (fecissent), benigne actum esset, et in pertinaces haud se*verum* (seuere) animadversum. Ulteriorem Austriam, *fel*icia castra secuti, lustravimus; ubi pagos, et opida, quae plus aequo restiterant, omni*ae* (omnia) ferro ignique vastata passim cernere erat. Sed quid haec? ecce Viennam venimus, Flaviam olim appellatam, et concinna aedium, templorumque structura usque adeo mirabilem, ut cum ornatissima quoque Italiae urbe se conferre non pudeat: ita aggere, fossa, muro quo*que* duplici *moni*tam (munitam), ut vix arcta triennii obsidione, erectis undique turribus quae commeatus inhiberent, et eam inedia afficerent, capi potuerit: cujus quam gloriosa fuerit expugnatio et quam gloriosus subinde triumphus, hinc conjectari potest; ut cum honori et utilitati simul consuluisse videatur, non minus urbs universa tanto victore, quam victor victoria tanta congaudeat. Paucis post diebus ad Civitatis Novae, acerrime resistentis, expugnationem serenitas vestra properavit. Hanc annum obsessam arctius ad deditionem adurgere studuit; castra continuo instauravit; copias undique concivit; turres urbi propius admovit: atque ne quid inferri, efferrive posset, fossa valloque perpetuo circumsepsit. Nihil hac obsedione (obsidione) tempestate nostra praeclarius usquam visum est. Urbs est in profusa patentique planitie sita, uliginoso palustrique loco, et aquis undique emergentibus circumfusa: praeterea, duplici fossa, scaturiente aqua completa, in vasti gurgitis speciem. Duplici quoque muro amneque, et frequentibus undique turribus, propugnaculis, aggereque

5*

munitissima: arce denique praedita, qua nihil in orbe terrarum mirabilius: quando tota pensilis, et supra culmina pensiles quoque hortos habet: altissima circum munita fossa, quadrato lapide constructa, et aquis circumventa in insulae similitudinem. Augebant haec imposita praesidia; munitiones innumerae; obstinati opidanorum animi. Nemo ad secundum lapidem tuto oppropinquare poterat. Tria quoque suburbia munitissima urbem protegebant: quare partim palustri solo, partim amnium propugnaculorumque difficultate, urbs hosti adiri non poterat, neque diverti flumina, neque cuniculis m*oe*nia subiri.

Ubicunque effodiebatur, latices emergebant: proinde nihil arte, naturaque munitius poterat excogitari. Accedebant Noricorum munimenta montium, qui urbem in theatri speciem circumstabant; unde ab imminentibus undique castellis subveniri poterat, *et* circumspectu (*e* circumspectu) obsessorum animi confirmari.

Tua autem serenitas, quia videbat nihil in Austria esse gestum, nisi haec civitas, Austriae caput, Imperatoris Regia, Patria Augustorum et sepulchrum, atque munitissima denique spes et tutela regionis, in ditionem tuam pervenisset: tam vehementi animo oppugnationem adorta est, ut nunquam sit die noctuque cessatum. Primarium nocte suburbium vi captum; ubi tui milites, *ho*merotenus (humerotenus) aqua caenoque trajecto, tam praeclarum ausi facinus non mediocrem sibi laudem compararunt. Expugnato suburbio, varia tormentorum genera urbi propius admota; *in*primis sex insanae belli machinae, ex aere conflatae, profligatis olim Turcis ereptae; quae urbem ita quatere *coe*perunt, et ea potissimum parte, quae spectat ad Viennam, ut omnes illinc turres, murosque protriverint. Mox tormenta undique moenibus adacta, et ita proxime circumerectae turres castellorum instar, ut cominus cum *opp*idanis, nisi interjecta fossa prohibuisset, manus conserere potuissent. Quare *nium* (nimium) *oppi*danorum attritae vires, et consternati animi, superba ubique fastigia machinis deturbata: contra illi nullum defensionis genus praetermittere; diruta moenia aggere reparare; quassa et nutantia succidere, ne foras devoluta fossam ample

complerent. Ita infestis aliquamdiu pugnatum animis, ut multi vario insidiarum genere utrinque *occi*derint (ceciderint). Ad trajiciendos gurgites, qui muros circumfuderant, et ad urbem expugnandam, varia instrumentorum excogitata genera, quae nulli bellicae artis autores tradiderunt. Sed Majestatis Tuae clementia, cum *oppi*danos, ob impositi praesidii vim, deditionem facere non posse, neque urbem sine magna caede capi, intelligeret; quamvis expugnare posset, si voluisset; tamen maluit septimo mense per inediam ad deditionem cogere, quam cum magna suorum, hostiumque caede urbem capere: quam quidem captam a militari deinde incendio, et saevitia eripere nequivisset: immo uno eodemque tempore civitatem et cives, opes et ornamenta, ac denique oleum, ut ajunt, et impensas perdidisset. Ut militum opidanorumque saluti consuleret, sex mensibus obsidionem non sine magno im*pendio* prorogare, quam utrosque simul perdere maluit. Idibus circiter Augustis, Augusta civitas, vero Augusto deditionem facere coacta est: ut qui Augustis auspiciis natus erat, superato toti*es* (totiens) Augusto, de Augusta civitate Augustis quoque idibus triumpharet.

O Clarissimum, dignissimumque *trium* (triumphum), legitimo bello comparatum, et tantarum vindicem injuriarum! o divum honorem, divo Matthiae bene merenti jure traditum, et ab urbe Roma, unde oriundus est, merito usurpatum! tribus ante diebus sanctissimam Beatricem tuam cum universis legionibus praemisisti, quae Caesareae urbis imperium iniret, et te triumphantem exciperet. Spectavimus, inquam, spectavimus *de* (te) triumphali Sacerdotum, civiumque pompa; in qua non signa, non tabulae, non spolia hostium, cum quibus prae victoris indulgentia clementer actum, sed victricia tantum vexilla ferebantur: praecedentibus innumeris equitum turmis, et acclamantibus undique fausta militibus, sub umbella aurea in urbem candido equo invectum: ubi variae nationes, suis *quae*que *signis* (linguis), Te Caesarem, te jure Augustum, te verum Imperatorem exclamabant; quando de duobus primariis aetatis nostrae Imperatoribus claram victoriam saepe *retu*listi. Ingeminabant omnes Io triumphe! Io Corvine! et apud omnes aras *tua* (pro tua)

passim victoria supplicatum. Succedebat Hippol*y*tus Aragonius, Divae Beatricis ex Sorore, immo trium quoque Regum nepos; beneficio vestro, et pontificia *aucto*ritate, pro faustissima sua indole, decimo aetatis anno Strigoniensis *Metro*polita (metrapolita) designatus. Stephanus *Bathor* (Batyr), Dacorum praefectus; religione summa, incredibili continentia, et ingenti rei bellicae disciplina, gloriaque praeditus; quem veneris penitus expertem affirmant omnes, te cum ingenti et *cata*phracto (catephracto) equitatu sequebatur.

Caeteri legionum legati, equitumque praefecti, ut Petrus Gerebus, Stephanus Comes Regius, Tetaurus, et Jacobus proxime anteibant. Item Bertoldus Comes Regius, et Ladislaus, *Ga*tarum (Getarum) accolae, ingenti mole corporis, ac mira fortitudine spectatissimi. Sed illud profecto ne minus quidem mirabile visum est; nullam vim, nullam insolentiam, ne minimam quidem contumeliam et convitium, neque publice, neque privatim victis illatum. Item ubique honeste sancteque versatum. Ille melior esse videbatur, qui pallentis longa fame hospitis ora citius refocillaret. Quin et ex *oppi*danis aliqui *inconsi*derata colluvie distenti expirarunt. Venere congratulatum ex universo fere regno optimates; imprimis Urbanus, pater ille optimus, Pontifex Agriensis; vir probitate, magnificentia pietate, fideque praestantissimus; tolerantissimus laborum; tuorum consiliorum minister fidelissimus; exactissimum et generale artificii tui, ut ajunt, instrumentum; nullius *otii* particeps: ut in regia gratia conquiescat, ex Ungaria gratulabundus occurrit. Item paucis post mensibus e Gallia rediens Joannes Varadiensis antistes, magnanimitate, ac fortitudine summa praeditus; ubique referens, quanti principis fuerit alumnus, non minus armis, quam toga clarus: cui nulla unquam demandata legatio, quam non fide, magnificeque gesserit. Id ipsum urbes ceterae factitarunt. Quis igitur haec omnia cum antiquitate conferri posse denegarit? Quis haec gesta Romanae propaginis esse inficiabitur? quis Matthiam Corvinum, Principem invictissimum, Romanam gloriam *aequiparare* (ęquiperare) non dixerit? Proinde resumat animos ipsa posteritas; neque religiosae tantum tribuat vetustati, ut sibi omnia detrahat. Habemus *nam*que Matthiam, quem,

ut pau*llo* infra disseremus, non minus modeste, quam vere cum universa antiquitate conferre possumus. Perquam mirabilis fuit novae Civitatis obsidio; ne Trojana quidem Numantinaque ignobilior. Mirabilis quoque triumphus, cum Aemiliano aedepol conferendus. Sed ne inferior quidem fuit eo die acierum instructio; quo, compositis rebus novae Civitatis, ad Scaeam Viennam castra movisti, quae in faucibus montium Noricorum sita est: et uno die adita, visa est, et capta. Ante urbem obsessam in patentissimo campo legiones omnes explicuisti; redigisti in aciem: ubi, quaecunque apud veteres legeram de disciplina militari, recognoscere licuit. Ibi te non modo Regem sapientissimum, potentissimumque Principem, sed Imperatorem quoque *consum*[1] (cõſum — consummatissimum) esse intellexi. In qua*t*uor agmina dis*tribuens* (distribueras) equitatum, velites ac equites levis armaturae in duas tantum alas; ut brevi distributione copiarum multitudo facilius *te*geretur (regeretur), et confusio evitaretur omnis.

Exercitus, qui e castris prodiit in campum, ut instituto agmine ad occupandas Noricorum furcas, faucesque contenderet, ex octo *milli*bus peditum et XX. *milli*bus equitum, sine pueris, calonibus, et *lixis* (lissis), item ex carris circiter novem *milli*bus sane constabat. Tua autem Serenitas suis manibus agmina cuncta instituere voluit, et Castrensia munia pro meritis ipsa distribuit. Cuique agmini vexilla sua esse: ubi imprimis Christianae fidei; mox vestrae domus; deinde invictae gentis Ungaricae; postremo Dalmatici, *Bohe*micique (Boemicique) Regni, et Australium insignia spectari. Neque praefectorum, equitum, militumque deesse vexillationes; immo viritim quisque equitum praefixa hastis vela ferre; quod ad militare ornamentum maxime faciebat.

*Inpri*mis (imprimis) ubi inter turmas illa prodiit, silentium in*du*ctum (indictum); non solum viris, verum etiam equis religiose servatum. Allata primi agminis signa in medium; ea manu vestra praestantissimo veterano non sine diligenti praecepto *co*missa. Ille calcaribus carere; quod mihi non sine admiratione spectatum: id factum rebar, ne in maximo

[1] pro consummatum, vel summum.

conflictu, concitato equo fugeret, suaque fuga superstitum ani*mon* (animos) consternaret. Mox duodecim enses; totidem secures, et clavae benemerentibus datae; securiferi, ensiferi claviferique vexilliferum circum*flare* (circumstare). Deinde turmarum ordines ante vexi*la* constituti: horum singuli ex quinque et XX. equitibus plane constare: ut numerus equitum cum turmis consentiret. Proinde turmae, circiter octoginta equitum, ante signa miro ordine praecedere; subsequi totidem. Ibi antesignani, et postsignani vite conspici; reliqua demum agmina eodem modo institui: ita quisque ordinem servare, ut si digito plus alius alio processisset, Imperatoris, quam maxime circumpecti, saevitiam reformidare cogeretur. Tantum ubique obsequium, timor, et reverentia esse cum Imperatoris amore conjuncta, ut dicto citius imperata quisque praestaret, vitam, dum imperio satisfaceret, pro nihilo duceret. Tantum ubique silentium, ut non modo praeter vestram nulla hominum vox, sed ne ullus quidem equorum inhitus (=hinnitus) quam sit auditus. O admirabilem Imperatoris observantiam, Potentissimumque numen! quando equietiam tuae serenitatis imperia et *in*dicta (edicta) religiosius observarent. Institutum quodque agmen, ubi aliquanto processerat, dato signo, ante Principis ora belli simulacrum agere; et modo in cuneum, modo in orbem, modo in trigo*nia* (trigona), tetragonave; modo in forficem, et serram, mutata acie, verti. At ubi satis superque, nemine suum locum deserente, summa peritia et dexteritate lusum; ut serenissimae Beatrici ostenderet evidentius, quomodo instructa acie pugnaretur, repente agmina cuncta disposuit. In utroque cornu duo validissima cataphractorum equitum agmina collocavit, turmatim constituta; duo quoque in medio statuit: his etiam militum agmina interjecit. In primo horum ordine gravis armaturae pedites; deinde hastatos; sagittarios, ferentarios, *ce*terosque levis armaturae milites rite disposuit. In tertia acie triarii praesidebant, et extrema signa tuebantur. Item ante *utrum*que cornu duas velitum alas extendit; qui quidem quini ordinem servabant; tanta pernicitate praepollentes, ut aves cursu adhibere posse viderentur. Ego autem Beatricem, dominam deamque meam

secutus, dum me ad exercitum spectandum converto, tanquam manum jamjam cum hoste conserturum, maxima sum continuo admiratione percitus; nam veri scorpionis imaginem praeferebat. Post ubi satis superque a Diva conjuge spectatum, ordina*tum* (ordinatim) agmen quodque iter facere *coe*pit (cepit). Carri pariter a latere agi; quibus pro fossa valloque ex instituto tuo Ungari non modo castra munire, sed falcatis in pr*oe*lio uti, hostesque iis circumvenire saepe solent.

Miranda sunt profecto, quae diximus; quando nunquam in *Itali* (Italia) videre licuit. Sed cum disciplinam militarem, moresque sanctissimos, quibus Ungaros educasti, mecum ipse con*s*idero, aliquamdiu in castris diversatus; ne minore quidem admiratione conficior. Nusquam mihi milites spectare licuit caloris, et frigoris, item laboris, et inaediae tolerantiores; qui studiosius imperata faciant; qui libentius, dato signo, pugnam ineant; qui se morti promptius exponant; qui militarem seditionem magis detestentur; qui in castris quietius, honestiusque vivant; qui sese religiosius agant; qui tumultus ac rixas magis abominentur; qui temperantiam et castitatem magis colant, ab omni blas*ph*emia, perjurio, illegitimaque venere penitus alieni. Maxima pars equitum, quibus uxores sint et liberi, triennium quandoque assiduo militare coacta, nunquám conjugii fidem violasse creditur. Si quis cum militari scorto deprehensus est, perpetua *fugil*latur (sugillatur) infamia. Fortitudinis et pacientiae sunt plus quam Lacede*moniae*. Hyeme aeque ac aestate castra frequentant; et quod meis hisce oculis saepe vidi, sub nivibus ac terra, ne obsidionem deserant, toleranter hibernant, unde murum saepe more prodeunt.

Stationibus totam noctem tes*se*riorum (tessariorum) jussu equites adsunt; neque loco moventur, neque rigenti algore queruntur: et quamvis plerisque membra *vel, saeviente* (vel saev.] nesequiente) frigore obstupescant invicto tamen animo cuncta patiuntur. Liberos in castris alunt, ibique militaribus studiis informant: ex quo fit, ut *Ungarica* (gens vngaria) bello aspera, ita institutis, ductu, auspiciisque tuis creverit; ut quae *modo* (non modo) paternam glebam in Pannonia

possideret, sed vix intra hostile pom*oe*rium se sine sanguine tueretur, tantum fecerit accessionis: ut a Sarmatis ad mare usque Adriaticum, et a Mysiis, atque Macedonibus ad Noricos usque ac Germanos sub ditione tua imperium propagarit. Erubesco equidem, ne quid patriae gentis gloriae detraham, ea dicere, quae veritas meis e faucibus exerit; haud parum veritus, crimen impietatis, assentationisve calumniam. Sed numine veritatis adactus, neque Matthiam, Dominum, Deumque meum; neque benemeritos Ungaros vera laude defraudabo. Existimabam nuperrime ex Italia in Pannoniam profectus, veluti in quoque scientiarum genere, caeterisque artibus, ita est in re militari, morumque praestantia in caeteris ei nationibus esse cedendum: sed ubi tua castra lustravi, ali*quam*diu inter stationes et contubernia versatus, ea profecto ibi spectare et admirari contigit, quae me invitum sententiam mutare cogebant. Utinam tam validos, et munitos equitatus, tam probos, fidosque animos, *tantam* (tantantam (!) rei militaris peritiam, ea corporum robora, eam denique fortitudinem, continen*tiam* (continentia (!), et religionem apud Italos hac tempestate, quam in vestris castris vidimus, invenire liceret! In vestro *nam*que exercitu, quod non sine pudore dici potest, multos Curios, Camillos, Fabri*cios*, Fabios, Scipiones et Aemilios cernere erit. Quis Paulum Genisium (= Kinizsi) ducem hercle fortissimum? Quis Stephanum *Bathor* (Batyr) sanctissimum? quis Stephanum *Scepus*iensem (Sepus.) tanta fortitudine, ac regiacharitate *pre*ditum, ut in Alamannico bello inter con*ser*tissimos (confertissimos) hostes captus, caesis, qui late*re* (latera) clauderent, se incolumen receperit ad suos. Quis Petrum et Matthiam Gerebos, accerimos belli duces, miro robore praestantissimos? Qui cum consobrini Majestatis vestrae sint, alterum *vero* (uere) clypeum, ensem alterum possumus appellare. Quis Franciscum Aristum, indomitae fortitudinis equitem? caeterosque innumeros, quos recensere otii foret longe majoris, negare ausit, de prisca Romanorum gloria non modo gesta, sed vultuum quoque referre Majestatem? O *fae*cundissimam bellatorum gentem, ubi mul*tos* (multo) intueri licet militari imperio dignos! O effaetam exhaustamque Italiam, tot Imperatorum olim officinam!

Quae praeter illustrissimum *Alphonsum* (Alponsum) Aragonium, neminem hoc tempore apud se invenire poterit, cui tuto exercitus committi queat. Deploremus igitur Hesperiae orbitatem, et divae huic Corvinae Serenitati congratulemur; quippe quae jacturam nostri temporis, gestarum rerum gloria ita res*arsit* (resarxit), ut haec aetas habeat, quod universae ita possit objicere vetustati, ut illa saepius obmutescat. Hoc ex Philostrati lectione cognosces, Princeps invictissime, quem Poëtarum interpretationi maxime necessarium, in Novae Civitatis obsidione, dum cum Diva *Regia* (regina) Beatrice, omnium nostri saeculi mulierum sapientissima, nostris studiis pro fausta benignitate sua admodum delectata, haud procul a castris hibernaremus, inter tumultus hostium, Machinarumque fragores, tribus fere mensibus e Graeco in Latinum sane traduximus. Nam cum Tideus noster, arguti compos ingenii, et vir apprime eruditus, me *otio suo* (ociosum) offendisset, hunc librum obtulit; quo ingratum meum *otium* consolarer. Accessit Julius Aemilius, vester Medicus, de valetudine vestra semper optime meritus, et Poëta sane non contemnendus. Item Stephanus Crispus, Protonotarius Pontificius, et non solum probitate ingenita, sed Latinae linguae elegantia praestans; qui me in traducendo saepe usque adeo adurgebat, ut quandoque admodum timerem, ne e festinata hac foetura quicquam ederem inmaturum. Proinde Trojani belli Vestra Majestas *impris* (imprimis) heroica legere dignetur; unde faci*lle* intelliget, pensitatis Graecis Trojanisque Heroibus, qui plus mendacio, quam veritati debuerunt; *se* (te) plus nominis ex Austriae tantum, quam illos ex Trojano bello promeruisse. Utinam igitur, utinam! quando temporum maturitas advenit, et omnium est vicissitudo regnorum, legitimos, nuncupatis votis, quaesumus, illa vivat annos! quousque usurpatum utr*um*que a duabus barbaris nationibus imperium, in tuam, ut par est, *redigatur* (redigat) potestatem. Sed antequam haec legas, de Philostrati vita est aliquid disserendum. [1]

[1] Következik Philostratus életrajza, „quae tamen in iuniorem potius quam seniorem convenit" — mondja Kollar.

Vind. 25. A czimlapon pompás festésű alakban:

DIVO MATTHIE COR
VINO : PRINCIPI INVI
CTISS : VNG : BOE : Q RE
GI . PHILOSTRATI HER
OICA : ICONES . VITES
OPHISTARVM . ET EPIST
OLE AB ANTONIO BON
FINE : TRADVCTE : ET IN
COR : BIBLIOTHECA RE
GIA IMPENSA RELATE.

Coelii Calcagnini Ferrariensis, protonotarii Apostolici opera aliquot ... Froben. Basilea MDXLIIII. [1]

Epistolarum liber IV. p. 51. *Caelius Cal. Joanni Manardo S.*

Quom essem nuper in Gracchovia, quae urbs in extrema Germania ipsiusque Vistulae ripa sita est, in comitatu amplissimi principis mei ad regias nuptias invitatus, contigit ut cum viro bene docto et ... verba facerem de re literaria ... MDXVIIII. Agria.

[1] Calcagnini pártfogóját Estei Hyppolytot követte Magyarországba. A baseli kiadásban, melynek czimlapján a Froben jelvénye van, Epistolarum questionum et Epistolarum familiarum liber XVI-ban találjuk Egerben kelt leveleit, melyeket olasz- és magyarországi barátaihoz és jóltevőihez irt. Az Apponyi Sándor gróf könyvtárában szép példánya van meg a kiadásnak. Utalunk e helyen Apponyi kitünő jegyzetére, melyet „Hungarica. — Magyar vonatkozású külföldi nyomtatványok" czimű, Budapesten 1900-ban megjelent, nagytudományú tájékozottsággal szerkesztett katalogusában *ad I. 208—209., ad 296.* Ábel e kivonata felette becses.

Calcagnini munkáit Antonius Musa Brasovolus adta ki, mint a II. Estei Henrikhez intézett ajánló-leveléből kitünik. Ebből megtudjuk, hogy a két évvel korábban (1542) elhunyt Calcagnini munkáinak örökösévé a ferrarai herczeget tette és egyben megjelölte munkái kiadására Jacobo Boiardot, Hieronymus Monferratust és magát az előszó iróját. A levelek nagyobban 1518-ban és 1519-ben keletkeztek.

p. 54. 55. *Caelius Cal. Jacobo Zieglero S.*

. . . Atqui literas tuas principi meo reddidi, et commodissimo quidem loco, id est quom daret ille operam studiis secretioribus abdicatis omnibus arbitris, essetque summa loquendi impunitas. . . . At ille tum literis tuis, tum mea commemoratione mirifice visus et amore ac desiderio tuo accendi, et actutum Meteoroscopium de quo mentionem, feceram, accersi iussit; quod saepe manu tractans miris laudibus commendavit, cui quaeque portio speculationi inserviret perquirens. Libellum etiam enarrationis (melyet Ziegler irt) suggessi, quem evolvit saepius, seque ad ea studia (si quando ocium suppetet) anhelare significavit. Mandavit etiam mihi ut ad te sciberem, ut isthic Budae hoc ipsum organum, id est Meteoroscopium aereum sibi procurares apud quem piam industrium artificem, in quo symmetria ad amussim respondeat, et de precio ante omnia convenias, de quo quom nos admonueris statim ad te dabitur . . . Quartodecimo Calendas Novemb. XVIII. Agria.

p. 56. *Caelius Cal. Jacobo Zieglero S.*

. . . Nihil autem existimarim commodius ad hoc votum nostrum feliciter obeundum, quam ut tute ipse ad nos animi saltem gratia diebus proximis nataliciis recipias, quod et principi puto fore gratissimum; tum spero coram nos constituturos, quod in rem potissimum et saluberrimum fore videatur. Nec te moveat viarum dispendium. Bidui enim est iter homini etiam impedito. Erimus autem una quotquot dies ipse volueris. Interim specimen et gustum dabis ingenii coram, de quo quom multa praedicaverim, non dubito quin me in ea praedicatione parcum fuisse princeps sit arbitraturus. Cuius etiam itineris occasionem vel hinc potes arripere, quod nuperrime princeps mihi iniunxit, ut ad te scribam, des ei operam in emendandis quibusda mvoluminibus, Ptolemaeo scilicet novissimae impressionis Romanae, quem etiam curabis eleganter compaginari. Est quidem alius apud nos, sed foedissimae omnino impressionis. Item sphaera, tam materiali quam conscripta, eius notae quam tu ipse optimam

iudicabis. Platone et Ludovico quodam Caelio Rodigino, qui superiore anno edidit librum Antiquarum lectionum. Pecunias autem erogabit principis nomine Franciscus Castilio aurifex Italus, ad quem perscribit princeps, quot eas enumeret ex tuo iudicio. Haec igitur tecum ipse convehere poteris, si veniendum putaveris... Octavo calend. Decembres. MDXVIII. Agria.

p. 58. *Caelius Cal. Nicolao Leoniceno S.*

Eram Budae, quom flos e campo ad me allatus est, a rei herbariae studioso . . .

p. 76. (Epistolarum liber VI.)
Caelius Cal. Francisco Perenni Episcopo Vuaradinensi.

. . . (Tu) Qui ortus clarissimis natalibus magna fortuna, summa fortuna, summa virtute ac dignitate praeditus, ad me hominem peregrinum et multo citra mediocritatem studiorum constitutum, nullo praesertim provocatus officio, tam dulces ac familiares, tam eruditas et Hyblaea quadam svavitate perlitas literas dederit; quarum absolutam elegantiam si cumulatim velim perstringere, rem sane ridiculam faciam, qui todidem verbis tuas ad te literas rescribam, et laudes quas in me indulgenter nimis congessisti, ex merito in te regeram. Quem enim possum te uno instructiorem laudandi magistrum invenire? qui tam graphice ac luculenter doctissimi hominis simulachrum expressisti literario penicillo, ut non modo summam mihi iniceris admirationem, set tuis literis perlectis, quasi hausto quodam magico philtro ita mihi placerem, ut me iam non nihil putarem; ut vix nunc demum collecto animo intelligam tantum me ab iis laudibus abesse, quantum tu es illis undique ornatissimus. Ut de te id facile possimus suspicari, quod de Q. Ennio traditum fertur, qui sub Semini Servilii persona picturam morum et ingenii sui aliquando fecisse existimatur. . . . dabo operam, ut haec inter nos teneris adhuc incunabulis nata benevolentia in dies magis ac magis adolescat. Et ne perpetuo mihi sit frons perfricanda, enitar, ut qui in amore conciliando postremas tuli in conservando primas feram . . . Maro ille

meus plane natus et educatus in Musarum sinu, tam te amat ac observat et de literis quas ostendi, multum admiratur; rogavit etiam ut suo nomine multam tibi salutem reponam. Pridie idus Januarii. M. D. XVIII. Agria.

Az ezután következő és Estei Herculeshez intézett levél kelt Pridie Idus Januarias MDXXV. Agria.

p. 77., 78. *Caelius Cal. Jacobo Zieglero S.*

. . . In exscriptione Ptolemaei deferbuit plane recens ille impetus, vel sapientissima admonitione tua suffrenatus, vel destitutus ingenti illa spe, quam maiorem absens conceperat, quam praesens offenderit. Puto tibi satis compertum esse, custodiam a Balbo gubernatori Agriensi resignatam esse. Dignus digno erit. Illa itaque spes effluxit, de qua praesens locutus fueras, et ad dominum Vatiensem scripseras . . . Illud abs te imprimis procurandum diligentissime, ut in nobilitatem huius regni quam primum asciscaris, et in eam rem praerogativam amplissimam assequaris; quando externos homines optimates isti fastidiunt, eosque sine exceptione reiicere contendunt a sacerdotiis, id quod et mihi in omnem eventum rerum impetratum velim, qua in re autoritatem domini Vatiensis implorassem, eius mihi aures faciles futuras existimassem . . . Ego te propridiem videbo nam omnis animus iam in Italiam atque adeo Romam anhelat . . .

p. 78. *Caelius Cal. Ladislao Episcopo Vatiensi S.*

Accipio quotidie eminentissime Antistes, singulare aliquod bonitatis et absolutissimae humanitatis tuae testimonium . . . Hoc scilicet deerat cumulo tuorum in me officiorum, ut schedica etiam carmina et quasi abortus meos approbares, atque ita probares ut nobilissimo regi et maximae indolis principi tuo iudicio conciliares . . . Tua vero illa plena gravitate et amoenissima quadam svavitate condita epistola mirifice me oblectavit et tenuit. At carmina in tantum admirationis rapuerunt, ut nondum plane ad me ipsum rediverim. Quom enim mecum cogito, quantae sint occupationes atque avocationes tuae, vix mihi ipsi persuadeo te vel succisivam aliquam diei partem posse studiis impartiri. At quom incredi-

bilem ingenii tui ad omnes res magnas nati felicitatem cogito, nihil est tam arduum tam operosum, quod de ipsa mihi non facile spondeam. Sane quom illustrissimus princeps meus, cui epistolae et carminum tuorum elegantiam quasi emblemata et delicias quasdam obtuli, ea legisset, gratulatus est Pannoniae, quae tantum virum non modo genuerit, sed educaverit et ad summam usque auctoritatem provexerit, ut ab eo, cui natales dedit, ipsa splendorem et lumen aliquando mutuetur . . . Proinde quom tu, vir amplissime, breves et laconicas, sed, Di boni, quam graves ad me literas dederis, ego longiores, sed multo incultiores reddo. Tu Octostichon regio nomine scripsisti; ego profusius in regii muneris commendationem lusi, et iam nunc trino epigrammate ad fastidium prolixo aures tuas fatigabo . . . et . . . me ac fidem meam pro auctoritate qua polles, digneris summo regi commendare. Bene vale. Idibus Jan. M. D. XXVIII. (!). Agria.

p. 79. *Caelius Cal. Camillo Vistarino S.*

. . . ego procul a patria, procul a studiis meis . . . in mediam quasi Scythiam relegatus, et paucorum commercia agnosco, et quod atrocius putabis, pauci illi longe a moribus meis dissidentes, faciunt ut huiusce magis naufragii vim et vulneris acerbitatem intelligam. Tu vero mihi principis praesentiam obiicis. At hoc est plane exornare meas calamitates, et post caetera infortunia libertatem etiam adimere. Vide, quo loco sim et quam capite diminutus . . . XI. Calendas Februarias. M. D. X. VIII. Agria.

p. 80. *Caelius Cal. Lilio Gregorio Gyraldo S.*

. . . Paucis diebus Budae fui, ibique Manardo nostro perfrui licuit; quom primum ab homine amoenissimo discessi, esse desii. Ille ut te salutarem suo nomine, si forte isthuc literas dedissem, rogavit . . . XI. Calend. Febr. M. D. XVIII. Agria.

p. 80. *Caelius Cal. Sebastiano Magio S.*

Salve, mi frater praestantissime. Ego ille Caelius, cuius tu olim nugas putabas esse aliquid, et qui te aeque atque

oculos suos amabat et cui praeter Italicum caelum quondam nihil arriserat, nunc inter provinciales tuos versatur; et homo alioqui frugi iam philotesiis et συμπεριφοραῖς provocat, nec rursus eludit provocantes. Quod si te unum ex omnibus propriorem haberet, multo amoenius saevientem hyemem . . . traduceret. Quod cum locorum intervallo utrique interdictum sit, fac ambo, mi Sebastiane, ut tam molestam absentiam creberrimis saltem literis sarcias . . . . XI. Calend. febr. M. D. XVIII. Agria.

p. 80. *Caelius Cal. Episcopo Vatiensi S.*

Accepi epistolam et cum epistola carmina nomine regio scripta. Quorum utrumque ita me gravitate et mellita quadam svavitate tenet, ut vix adhuc mentem colligam. Hoc ergo quicquid est, quod tumultuarium rescribo dominatio tua ne responsum putet, sed responsi auspicium . . . Agria.

p. 81. *Caelius Cal. Reverendiss. Episcopo Varadiensi S.*

Bis accepi literas abs te, vir multo mihi literatura, quam Antistitii dignitate observande nec ex iis ullas aquis vexatas animadverti. Qui enim fieri potest, ut tam bellas literas, tam elegantes Musarum delicias, impii imbres conspurcent? quare nihil est quod hac parte expostules. Illud animo mihi plane reformidandum, ne literae meae quas proximis diebus ad te dedi, deperierint, quom de iis nihil mihi tua epistola significaveris. Quae sane jactura non multum me moveret, nisi subvererer futurum, ut tantae tuae im me humanitati ingratum vocares, qui me doctissimis literis ad amicitiam invitaris, ego vero quasi osciator non intelligerem tibi quantum deberem, atque adhuc insinuatis manibus tacerem . . . Carmina quae postulasti ad te mitto, qualiacunque sint. Malui enim auctoritatis periculum adire, quam tibi non obsequi. Habebis posthac Maronem virum clarissimum ut plane ad poeticam natum, apud te. Octavo idus Febr. M. D. XVIII. Agria.

p. 81. *Caelius Cal. Sebastiano Magio S.*

Agnovi, agnovi plane ex literis quas nuper accepi, dulcissimi Magii mei imaginem, id est summam literaturam cum summa humanitate coniunctam, quare mihi iure gratulatus sum, apud te tam doctum et praestantem virum nostrae amicitiae memoriam adhuc esse superstitem. Quae vero fumea in te merita commemoras, ea minime agnosco, tuaeque incomparabili bonitati accepta refero . . . Vale, et clarissimum virum Maronem toto animo amplectare, qui quoniam abitionem festinat, me Laconismo uti oportet. Reverendiss. antistiti Vuaradinensi et clarissimo Philippo nostro me commendatissimum facito. Octavo idus Febr. M. D. XVIII. Agria.

p. 81. *Caelius Cal. Philippo Albaregalio.*

Salve mi Philippe svassime. Laudes, quas in me parum merentem literis tuis congessisti, fuerunt mihi omnino gratissimae, ea imprimis causa, quod vim tui erga me amoris intelligebam . . . Breviores autem literas scribo, quod doctissimus vir Maro, qui ad vos proficiscitur, iam petasatus interpellat . . . Octavio idus Feb. M. D. XVIII. Agria.

p. 82. *Caelius Cal. Timotheo Manardo S.*

Ὀδοιπορικὸν tuum Germanicum et Pannonicum multum mihi voluptatis attulit Timothee mi svavissime, quom id perlegens et exhausti laboris meminissem, et loca quae raptim percurrimus in tuis literis multo commodius viderer remetiri . . . Ex clarissimo parente tuo literas accepi, quibus de stomacho agit doctissime . . . Hodoeporicon remitto. Literae, de quibus Nicolaum Montium mecum verbo facturum scripsisti, vel post longam indaginem nusquam compertae sunt. Si qua in patriam scribenda sunt tibi, para. Nam post paucissimos dies nuntius iter capesset. Qui quoniam Budam adibit, ut R. D. Istrigonensis literas accipiat, dabo operam ut obiter et vos adeat . . . Ibid. Febr. M. D. XVIII. Agria.

p. 82. *Caelius Cal. Nicolao Bacchio Regio Secretario.*

Accepi literas tuas mihi longe gratissimas, quom apud te mei memoriam vivere testarentur. Quae autem officia a me profecto commemoras, ea humanitati tuae tribuo ... Ibid. Febr. M. D. XVIII. Agria.

p. 83. *Caelius Cal. Ludovico Bagno S.*

Quam fortunate agis in Pannonia, mi Lodovice, quam tibi bene convenit cum barbaris? an elegantiam tuam illam pristinam, an illas delicias, quibus in Italia commode perfruebare ad hoc didicisti, ut huic vivendi generi tam foedo, tam sordido, tam inhumano assvescas? at tibi Di meliorem mentem. Nam tunc apud me fides erit te hanc barbariem induere posse, quom virtutes moresque tuos, id est te ipsum exuere poteris. Bene vale. Idus Martii. M. D. X. VIII. Agria.

p. 84. *Caelius Cal. Jacobo Zieglero S.*

... De meteoroscopio omnia integra iudicio tuo relinquo, ut mittas vel teneas apud te, ut lubebit, incolume mittatur ... Nonis sextilibus. M. D. X. VIII. Agria.

p. 85. *Caelius Cal. Reverendissimo Episcopo Vuaradinensi S.*

Ego, mi amplissime antistes, ita multitudine literarum tuarum, ita magnitudine humanitatis tuae me urgeri sentio, ut qui alios scribendo vincere soleam, simque omnium impigerrimus ad literas, iam mihi aliquot optem amanuenses, qui mihi in hoc scribendi studio operam commendent, quando tu tam frequenter, tam facile, tam docte literas scribis, ut multi invidere possint imitari possit nemo. Sed quid ego literas eas appello? quae merae deliciae sunt, in quibus omnia emblemata Musarum, omnia Gratiarum narthecia relinis ... Legit literas tuas illustrissimus princeps meus, et quidem quom inter secretiora studia versaremur; quarum genium mirifice commendavit, prae se tulitque in te singularem quandam benevolentiam et incredibilem animi inductionem. Optaret, si quo modo id fieri posset salva autoritate tua et parentis gratia, eximere ex ipsis cancellis,

in quibus indigne admodum tam excellens ingenium includitur. Sed spero deos aliquando nostris votis affuturos. Quod ad libros attinet, scito omnem hanc bibliothecam, quantulacunque sit, nam sane perexigua est, totam esse tui mancipii. Sed unus omnium Maro, Maro inquam ille optimus et doctissimus, florem librorum habet. Nam quo est iudicio praestantissimos quosque auctorum secum advexit. Livius prope diem ad te ibit. Qui apud nos est, nihil habet neque in interiore pagina, neque in umbilicis, quod ad amplissimum patronum mitti deceat. Caeterum animi mei erga te observantissimi testes mitto ad te Diodorum Siculum de gestis Philippi regis; Senecae opusculum, si modo Senecae est, de morte Claudii; Synesii de laude calvicii; et Erasmi Moriam cum commentariolis non omnino aspernandis. Quae quom in hoc primo itinere sese mihi obtulerint, putavi saltem propter novitatem tibi non displicitura. Quod si quid erit praeterea quod tibi gratum fore intelligam, minime id desiderabis, quom praesertim Caelius sua omnia tibi perpetuo nuncupaverit. Quae de versiculis meis scribis plus nimio amanter, laudes illas omnes bonitati tuae acceptas fero. Verum nescio an dolendum gratulandumve mihi putem, quom clarissimorum virorum censurae ea subieceris, qui omnes (mihi crede) non sunt Perennes, id est candidissimo ac syncerissimo animo praediti; praesertim quo tempore praestantissimo Maroni mellitissima carmina Musae dictabunt, quorum svavitatem videor mihi vel absens delibasse; quibus si mea conferantur, video quam inertia et quam explodenda censeantur . . . Vale. Agria.

p. 84. *Caelius Cal. Jacobo Zieglero S.*

. . . Illud etiam non mediocriter animum perstrinxit, quod quom Ursinum accersi iussissem, ut tuum ei ministrum summopere et ex officio mutui inter nos amoris commendarem, respondit se in colliquationibus aquarum et odoribus quibusdam condiendis in gratiam principis occupatum non potuisse commeatum impetrare . . . Dabo . . . operam ut vel absens Ursinus, quid subinde opus sit facto, consulat, neque ulla parte deero, qua sperem tibi aliquo modo meum erga te

animum incomparabilemque benevolentiam posse declarari. Quod si commode fieri posset, uti cum ministro tuo huc vel paucos dies migrares, futurum spero, ut eius saluti et meo voto quam maxime consultum intelligeres. Agria.

p. 86. *Caelius Cal. Jacobo Zieglero S.*

. . . Ursinus accitus a principe curriculo isthuc se recepit. Hominem ante recessum alloqui non potui; spero tamen, quae illius est humanitas, si eum appellaveris, operam omnem tibi atque aegro ministro tuo navaturum, praesertim quom me hoc nomine maxime posse obstringi intelligat. Ad amplissimum antistetem Vatiensem scribo, ut tu et prudenter et amice mones, hospitiique conditionem accipio quoties me istuc contulero, cuius causa ipsi multam gratiam habeo. Ridiculum quoddam oposculum non multae rei nuper condidi; cogito ad illum mittere in observantiae et amoris mei testimonium, si tu hoc indicium meum probaveris. Rescribe igitur actutum. Non puto homini ingratum fore si non alia causa, hoc uno saltem patrocinio, quod eius gravissimas occupationes, si non exterget, qui enim hoc fieri potest, levabit saltem aut remorabitur . . . Agria.

p. 86. *Caelius Cal. Reverendissimo Episcopo Vatiensi S.*

Quom animadverterem gravioribus te in dies negotiis urgeri et maiores curas undique circumstrepere, nihil minus putabam curari abs te, quam studia haec nostratia, omnemque tibi prorsus Caelii tui memoriam excidisse arbitrabar. Quae mea opinio effecerat, ut iam dies plusculos in te colendo ac salutando fuerim multo negligentior, quam vel institutum vel meam summam observantiam deceret. Improbum enim putabam seria agentem et tanti regni in tanto periculo constituti salutem procurantem avocare; eramque futurus in proposito diutius, nisi supervenissent mihi nuperrime optatissimae literae Jacobi Zigleri familiaris tui. In quo uno quid prius mirer non habeo, literaturam an probitatem, facundiam an reconditarum artium peritiam; profecto ut eo facile Platonis illud agnosci possit, quales sint domini tales castellos esse consvevisse. Ille vero me tuo nomine

tam comiter ac benigne in hospitium tuum invitavit, ut facile intelligam te licet more rerum obrutum a pristina tamen humanitate ac bonitate non descivisse, et clientum tuorum non omnem tibi prorsus memoriam deperisse; id quod non mediocriter tibi gratulandum duco. Postquam enim in hanc provinciam perveni, nulla in re maiore ambitione laboravi, quam ut ego te tantae auctoritatis virum et tam in omni genere virtutum excellentem plurimum colerem, tu me vicissim tibi deditissimum plurimum amares. Quae res quoniam minus mihi ob occupationes tuas ex voto procedebat, hanc peregrinationem infestam infensamque mihi existimabam. Nunc vero postquam non nihil spei affulsisse sentio, et laetor, et lubens hospitii conditionem accipio. Et quotiens istuc venero, quantum mihi per principem meum licebit operam dabo, ut scias te non minus a me absente quam praesente familiariter observari. Vale. Agria.

p. 87. *Caelius Cal. Hieronymo Balbo S.*

Ad optimates Pannonios dissidentes inter se, De Concordia nescio quid commentarii conscripsi, quod Reverendiss. Quinqueecclesiensi principi dicandum putavi, si tu, vir doctissime, album calculum adieceris huic sententiae. Eum commentarium primogenium et tumultuarium adhuc ad te mitto, ut expugnas, interlinas, aboleas; quod abs te factum erit, factum approbabo . . . Agria.

p. 87. *Caelius Cal. Joanni Baptistae Bonzagno S.*

Quom superiori die mecum verba feceris de nepote R. D. Cardinalis Istrigoniensis, quem ille in Italiam capessendum cultum ingenii mittere destinaverat, inter aliquot praeclaros praeceptores, qui ad id munus subeundum accomodati videbantur, Baptistam Pisonem hominem bene literatum, qui Ferrariae studiosae juventuti ludum aperuit, nuncupatim appellavimus. Qui quom nuperrime ad me literas dederit, etsi fortuitas, utpote qui nihil minus quam hoc negocium cogitat; eruditas tamen, eas ad te mittendas duxi, ut si opportunum videatur, possis eas communi nomine eidem R. D. ostendere; ex quibus quasi gustum et specimen quod-

dam ingenii et eruditionis Pisonianae capere possit. Opto enim mirifice, ut ex eadem fidelia (ut est in proverbio) duos parietes dealbemus, id est eadem opera duos promereamur, R. D. Istrigoniensi optimum praeceptorem et Pisoni maximum antistitem conciliantes. De qua re poterit R. D. etiam cum illustrissimo patrono nostro sermonem habere. Nam et ipse mecum de hoc negocio locutus est, quorum utrique cupio diligentiam meam probatum iri. Bene vale. Agria.

p. 87. *Caelius Cal. Reverendissimo Episcopo Vatiensi S.*

(Ennek ajánlja ‚de pulice' czímű művét. Agria.)

p. 89. *Caelius Cal. Joanni Manardo S.*

. . . Tuas itaque literas actutum principi reddidi, et accuratissime cum eo de tuo negotio sum locutus. Ille vero se tua causa omnia facturum recepit, nec modo perdiligenter ad R. D. Istrigoniensem daturum esse literas, verum et coram verba facturum in proximis comitiis affirmavit. Eius consilium est, quod ut ibi communicarem mandavit, ut istam tuae abitionis sententiam in eius adventum integram sinas. Quom enim semel D. Istrigoniensem et procuratores regios de tua re fuerit allocutus, hinc commodius atque maturius consulere poteris, et quicquid agundum constituere. Nullo modo probat, ut de recuperanda pecunia animum despondeas neque ut re infecta aut saltem non apparata decedas, quando id tibi uni et malo et dispendio, debitoribus autem tuis et voluptati et lucro futurum putat; sed omnia pertentanda et omnem lapidem movendum svadet. Aut enim exorabitur Istrigoniensis, ut praesentem pecuniam det, ipse se regium creditorem statuat; vel si omnis ratio nos destituerit, ipse princeps meus numeratae tibi pecuniae praetextu utetur, ut subinde sibi certi reditus ex aerario praescribantur ex quibus pecunia exprimatur, tibi postmodum resolvenda. Illud etiam addit nullo modo placere, ut quasi re desperata isthinc abeas non rediturus . . . Agria.

p. 89. *Caelius Cal. Joanni Baptistae Pisoni S.*

. . . Quom ego ipse coram non possem rem conficere apud R. D. Istrigoniensem, dedi literas ad praesidem Agriensem, qui cum de te ac virtutibus tuis saepius verba feceram, ut quoniam mihi per valetudinem Budae esse non licebat, ipse apud eundem Istrigoniensem negotium hoc accuratissime procuraret. Misi etiam priorum literarum tuarum exemplum, quibus tarditatem meam accusas in scribendo, ut ex iis ingenii tui non antea nisi meo testimonio perspecti, elegantiam colligerent, ne me plus amori quam iudicio tribuisse existimarent. Is se diligenter officio perfunctum significavit, sed biduo antequam meae literae allatae forent, puerum tibi contubernalem designatum cum nescio quo Ragione Bontempo Etrusco summi Antistitis familiari in Italiam discessisse, verum non ante reditum meum futurum in cuiusquam contubernio Ferrariae; et rem totam integram servandam esse in meum adventum, ut ex consilio deinde meo geratur. At nunc ideo festinasse, tum quod certi comitis affulsisset occasio, tum ne diutius tardantes in hibernas tempestates inciderent. Quae res profecto praeter expectationem et cum summa animi mei molestia contigit, qui tibi omnia bene cupio, et summopere optabam quamprimum tibi hunc quaestum et tam excellentem amicitiam conciliare. Non deero tamen huic negocio vel absens, quom primum fuerit mihi copia alloquendi dominum Istrigoniensem, enitarque pro virili, ut statim puer ad te mittatur. Quod si spes absentem fefellerit, certe nisi me omnino fides barbara frustretur, operam dabo ne redeuntem fallat . . . Idibus Sextilibus. M. D. XVIII. Agria.

(A levelek hetedik könyvéből.)

p. 92. *Caelius Cal. Joanni Baptistae Pisoni S.*

. . . Quom proxime de nepote amplissimi Cardinalis Istrigoniensis sermo haberetur, quem patruus ad capessendum animi cultum Ferrariam mittere decrevit, ego te unum proposui huic provinciae accomodatissimum, tuasque laudes

largo pectore explicavi. Quod si mihi significaveris tibi esse paratum diversorium, quo puerum quatuordecim annorum (ut audio) excipias, idque tuo et pueri commodo fieri possit; dabo operam ut res cum summa utilitate tua conficiatur. Stati erunt et praescripti in annum non plures quinquaginta, nec pauciores quadraginta aureis; accedent munuscula, accedet inita tanti pincipis amicitia . . . Vale. Agria.

p. 92. *Caelius Cal. Francisco Episcopo Cenadiensi S.*

Quom se mihi certi nuntii occasio obtulerit, nolui praetermittere, quin D. T. salutem dicerem, eique testarer memoriam adhuc eius observantiae constare apud me, quam in Italia cum ea contraxi. Ego enim ille Caelius Ferrariensis sum, qui eam saepius ex oculis laborantem illustrissimi D. Cardinalis Agriensis nomine salutavi; quem illa tam comiter, tam benigne excipiebat, ut nunquam tam excellentis eius in me humanitatis recordatio sit intermoritura . . . (Felajánlja neki szolgálatait.) . . . Rogo etiam ut Nicolaum praesentium tabellarium mea causa commendatum habere velit. Calendis Octobris. M. D. XXVIII. (!) Agria.

p. 93. *Caelius Cal. Jacobo Zieglero S.*

Si animum induxeris ut ad nos venias, rogavi Pythagoram virum optimum et mihi summo amore coniunctum, cui ad te nuperrime literas dedi, meo nomine operam faxit ut te secum adducat. Sic enim et securitati tuae et desiderio meo consultum putabo. Vale, et ut te quam primum perfrui possim enitere. Calend. Decemb. M. D. XXVIII. (!) Agria.

p. 94. *Cael. Cal. Timotheo Manardo S.*

Quod tu cum optimo parente incolumis Ferrariam perveneris, gaudeo et gratulor. Di faxint ut prope diem (quod futurum spero) vobis istic perfruar, ut Budae olim svavissime perfruebar. Nam quod nonnulli me proxime rediturum augurantur, ut votum meum testantur, et laeti ominis loco esse velim . . . Notam acceptae pecuniae non dedi ad te, quod Thomas nondum eam summam persolverit, quam se

daturum recepit; alioqui quom multa prius recepisset, postquam vos hinc abiistis, commutata sententia se ad XVII tantum aureolos prolaturum affirmat, exceptis iis quos antea erogaverat; nec enim se plures reverendo Michaeli Vitesio debere testatur. Quotquot ille dederit accipiam, totidemque ad plenum vobis istic repraesentabo in reditu meo, qui si in longam diem diffindetur (quod non puto) accepti syngrapham mittam. Vale. Agria.

p. 95. *Caelius Cal. Episcopo Vatiensi S.*

Literatura et eruditio clarissimi Jacobi Ziegleri familiaris tui satis erat mihi antea perspecta, nondum comitas, nondum ingenua quaedam in homine probitas et modestia erat explorata, quam paucis his diebus quibus liberalitate et indulgentia tua apud nos fuit, comminus expertus sum. Nihil illo doctius, nihil acutius, nihil humanius aut candidius, ut facile intelligere possim, illum tibi plane alumnum et familiarem, tuisque coloribus (ut aiunt) depictum . . . Sed me plane insipientem, qui quom antea apud te multarum literarum creditorem ex rationario me putarem, nunc demum unis his literis, sed vivis sed spirantibus, additis intelligam me ita aere obrutum, ut obtorto collo necti possim . . . Agria.

p. 96. *Caelius Cal. Reverendissimo Episcopo Vuaradinensi S.*

Qui scribere iam tot menses desino, amare atque observare nunquam desino, quin in dies magis ac magis refricatur optimi ac doctissimi Antistitis mihi recordatio, cuius excellens humanitas, cuius illustris literatura ita mihi potest excidere, ut potest ille unquam bona studia et praeclaras artes intermittere. Quod si mihi in tam honesto amoris studio respondere, atque adeo observantiae meae memoriam in eius animo vivere intellexero, non iam Caelium, sed plane caelitem putabo. Bene Vale. Agria.

p. 96. *Caelius Cal. Sebastiano Magio S.*

Hui (!) post annum versiculum ad me unum, neque eum quidem integrum, et de me quereris quod nihil ad te scribam, Sebastiane omnium olim officiosissime, nunc vero

plus nimio de amicitia secure; nec enim lubet negligentem appellare. Tu vero mecum expostulas, quod nihil ad te literarum dem. Age si lubet, ad calculum rem vocemus; profitere nomen, amabo, uter nostrum prior scripsit, uter posterior. An vero mihi se unquam nuntius obtulit, quem ad te profecturum existimarem, cui literas non crediderim? sed ut de literis ignoscam, an vero caeteris in stipulationibus conventa servasti? Num tu ille es, qui superiore hyeme sanctissime recepisti te ad me venturum, quom ego iam venire ad te statuissem. Quae inanis expectatio fecit, ut quom munuscula quaedam parassem, quibus amoris summi erga te mei memoriam immortalem testarer, et tum in tam longam diem distulerim, et nunc misera ex chartabula cum pulvere et blattis luctentur; quae si veneris, id est si promisso steteris, situm protinus excutient ac iuvenescent. Vide quantum discupiam te videre, te amplecti, te perfrui, mi svavissime Sebastiane, ut quom te videam paulo tardiorem quam velim ad promissa obeunda, studeam proposita mercedula allicere, quam si aspernatus non fueris, te de me quam optime meritum putabo. Vale. Agria.

p. 96. *Caelius Cal. Philippo Albaregalio S.*

Etsi rariora sint inter nos literarum comercia, quam mutuus amor exigere videatur, nunquam tamen desino amoris officio defungi, idest te amare, tui meminisse, te non solum animo, sed oculis etiam ferre. Ut mutuas mihi in hoc stadio operas reponas et peto, et obtestor, Philippe omnium humanissime. Accepi te optare venaticum catulum ex seminio summi et amplissimi principis mei, dabo operam ut electissimum habeas. Quod si quid est praeterea in quo tibi possim accomodare, me tui semper cupidissimum ac studiosissimum experiere. Bene vale. Agria.

p. 96. *Caelius Cal. Jacobo Zieglero S.*

Attulit mihi plurimum laetitiae tua epistola, qua significasti te salvum Budam pervenisse, et res domesticas ac ministrum tuum multo meliori conditione offendisse, quam absens reliquisses. Quae omnia tibi gratulor, optoque in

posterum, dei benignitate fieri auctiora. Lucianum et Vernerum obvius accepi, accepi et codicem Graecum Ptolemaei mihi longe gratissimum, cuius nomine gubernatori omnia debeo. Domino Vatiensi nihil debeo, qui quasi scepticus negabat; et quom ego vidissem, legissem, tractassemque eum codicem in regia bibliotheca, ipse tamen putabat minime in ea reperiri. Excuso tamen summi antistitis ingentes occupationes, qui nobis extremae classis homuntionibus operam et studium praestare non potest. Gaudeo Castilionem suscepisse conditionem et curam organorum in mathesi fabricandorum. Tuum est urgere hominem dum res calet. Ursinus, Caelius ministro tuo cumulatas reddunt, quas acceperunt salutes et se ad eius commoda propensos offerunt. Illustrissimum dominum meum tui amantissimum reverenter salutavi tuo nomine. Ptolemaeus hic recens contubernalis meus omnino posset esse levigatior et emunctior, mangonissatior tamen est in pallio hoc transmarino, quam sit in toga. Opera omnino gravior est, quam animo concepissem, verum nullus labor me deterrebit. Sed heus tu Zieglere, hominum optime ac doctissime, quid tibi venit in mentem, quom glossema illud secundo capiti adscriptum de sciothero non modo damnaveris, sed omnino exploseris? Atqui Graeca autoritas illud tuetur in haec verba: σκιοθήρας ἔστι σχῆμα πυραμίδος, ἐκ τεσσάρων τριγώνων περιεχόμενον, περὶ ἱστάντων ὀρθογονίαν τῶν τριγώνων, δι' οὗ λαμβάνομεν τὴν μεσημβρίαν. Sciother habet formam Pyramadis. Ea quatuor triangulis constat, qui rectum angulum triangulorum ambeunt, ex quo meridianum captamus. Quare in iudicio tuo amplius dico, tantisper dum rursum tecum litem certaverim. Nam proverbium vetus est δεύτερα ἀμείνω; id est, secunda meliora. Bene vale. VI. Calendas Martii. M. D. XIX.

p. 97. *Caelius Cal. Joanni Baptistae Pisoni S.*

Quae ad me scripsisti de adolescente illo, quem tibi optabam contubernalem fieri, fuerunt pergrata. Quando si istic est, neque longe evectus, ut verebar; iam spes affulget non facilius omnia ex sententia confecturos esse. Quom enim quidam mihi renuntiasset, ab Etrusco illo, de quo

antea scripseram, longe abductum, pene animum desponderam; sed tuae literae mihi difficultatis suspitionem magna parte exterserunt; quare hoc agemus. Decreveram quidem ad Federicum, mei (ut ego puto et tu scribis) amantissimum, super ea re literas dare; quando tu hoc non plane petis, sed furtim innuere videbare. Atqui video rem per literas, ut tu prudenter ariolaris, dificulter explicari posse, tu si qua spes quaestus arrisit, reliquum cogita. Proinde mihi a capite, id est a pueri patruo res videtur excutienda et retexenda. Tu interea quid agatur, a quo instituatur, ubi edocetur, locupletius admonebis. Ego ex re et ex tempore consilium petam; neque quicquam praetermittam quod ad votum aut commodum tuum pertinere confidam. De adventu meo in Italiam nihil habeo praescriptum quod tibi significem. Nam licet ego maxime festinem, tamen princeps hic meus nunc in literis prope nimius, me diutius remoratur, quam velim. Spero tamen Dis faventibus ante Idus Apriles te ac tua dulcissima consuetudine posse perfrui . . . Agria.

p. 97. *Caelius Cal. R. Episcopo Vuaradinensi S.*

Postquam ad nos allatus est nuntius de illustr. parentis tui obitu, dolui quantum par fuit hominem tibi addictissimum dolere, et mecum ipse excogitabam quomodo in tam insperatum inopinatumque casum consolationem afferrem. Sed quom tuam praecocem sapientiam agnoscam, veritus sum ne in me vetus illud iaciatur, sus Minervam . . . Di faxint ut te, id est optimum ac doctissimum Antistitem, antequam in Italiam revertar, amplexari et coram venerari possim . . . Feb. M. D. XIX. Agria.

p. 100. *Caelius Cal. R. Ladislao Episcopo Vratislaviensi S.*

Licuit tibi quidem, Antistes eminentissime, praevertere officium meum, non dicam incomparabili ista bonitate ac benignitate, quae te pridem apud omneis celebrem reddidit, sed bonitatis ac benignitatis potius felicitate. Nam dum ego summas occupationes tuas vereor, dum recuso obstrepere magna et ardua molienti, atque interea libros quosdam cum tineis et blattis rixantes in Bibliotheca regia excutio ecce . . .

pudore undecunque suffuso manum iniicis . . . Bene vale, et primum hunc Selectorum meorum libellum, quasi tenuem gustum quendam tibi nominatim dicatum (nec enim tumultario plures exscribi potuere) in caeterorum qui mox ad te ibunt pignus et veluti arrabinem laetus ac foelix accipias . . . M. DXIX. Buda.

p. 100. *Caelius Cal. Matthiae Squaquarae S.*

Pergratae mihi fuerunt literae tuae, in quibus ingenium et eruditionem singularem iuxta perspexi. . . . Ostendit mihi Thomas pigmentarius syngrapham, de qua mentionem habes in literis, quom primum accepero te Budae esse, ut ad te incolumis perferatur curabo, quo diligentiam quam recipis commode praestare possis. Quare in te unum hoc omne onus inclinabit . . . R. D. Istrigoniensi me ac servitutem meam reverenter commendato. Nec minus praestantem Joannem M. Physicum meo nomine plurimum salutato. Bene vale. VI. Calend. Maias. M. D. XIX. Agria.

(A levelek nyolczadik könyvéből.)

p. 107. *Caelius Cal. Gaspari Seredio Pannonio S.*

Redditae sunt mihi, Gaspar ornatissime, tuae literae, quae me mirifice oblectarunt, tum quod elegantiam et humanitatem tuam prae se ferebant, tum quod apud te nostri memoriam adhuc vivere, necdum absentiam ei quicquam detrivisse testabantur. Quod vero tertium ad me scripseris, id fuit permolestum, quando literae in manus meas minime pervenerunt. Nam postquam a nobis abscessisti, plane abs te nihil literarum accepi, mirabarque quomodo tam impiger in scribendo, tam officiosus in salutando protinus factus esset cessator . . . Quod itaque nihil tibi rescripserim, non est quod aut occupationes meas causeris aut studia, sed in hos ipsos aversores interceptoresque literarum omnem stomachum effundas licet, qui utrique nostrum tam insignem iniuriam fecere. Carmina quae petis emitti, opus est ut seligantur, rescribanturque, ut minus ingrata et incompta ad te proficiscantur . . . Caeterum quod te ingens nostrae

consvetudinis incessat desiderium, agnosco bonitatem tuam, et mihi gratulor, quom pares operas des in amando. Ego enim te semper tanti feci, ut unam tecum deambulatiunculam aut familiarem inter nos commentatiunculam omnibus longe voluptatibus praetulerim. Accedit illud molestiae, quod in tam cruenta urbe verseris, in qua passim et impune caedes committantur, quas tu mihi adeo graphice descripsisti, ut dum modo tuas literas legerem, rei indignitate permotus exhorrescerem, nunc vero nihil prius habeam, quam ut te horter ac rogem vehementer, ut omni studio caput et tuam salutem tuearis. Vale.[1]

p. 114. *Caelius Cal. Gaspari Seredio S.*

. . . Ratio . . . tam diuturni silentii mei inde profecta est, quod provinciales tui, qui hic sunt mihi fidem fecerant, te iam menses aliquot in Urbem abscessisse. Ob id non prius ad te scribendum putaveram, quam tu de profectione tua significasses, et quo literae perferendae essent, si quid tua aut nostra interesset, quod scribi oporteret, commonefaceres. Quom in hac igitur forem expectatione, iidem illi qui discessum tuum nuntiaverant, me adeuntes accepisse abs te literas testati sunt, quibus et te adhuc Bononiae agere et ex patria non satis felices nuntios accepisse profitebaris. Atque iccirco tibi protinus esse ad componendas res tuas in patriam properandum, teque paucissimos post dies ad nos adfuturum. Quorum hominum commemoratio etsi mihi animum perculisset, ea tamen spes me sustinebat, quod te visurum brevi sperabam. Interim tuae ad me literae perferuntur, in quibus de adventu tuo ne verbum quidem, nullam de rerum tuarum perturbatione mentionem faciebas, quod sane mihi iucundissimum contigit, et Di immortales faxint, ut illorum hominum obnuntiationes in auras dissipentur, et nihil plane ad te pertineant. Tu vero tam modeste silentium meum perstringis,

[1] Minthogy Calcagninus leveleinek sorrendjében a chronologiát követte, ezen levél Idibus Jan. M. D. XXII és VI. Calend. Octob. M. D. XXIII közt Ferrarában kelt. Így vannak ugyanis keltezve a kérdéses levelet megelőző és követő levelek.

ut nisi mihi essem conscius meae innocentiae, non potuerim non suppudescere. Alioqui haec ipsa cessatio non omnino male cecidit, quae tam acre tui erga me amoris testimonium expressit, et te literas meas tantopere optare declaraverit. Sed et ea quae de rebus publicis seorsum in pagella adscripsisti, tam grata mihi fuerunt officium tuum spectanti, quom dura et permolesta magnitudinem periculi et pulcherrimi regni calamitatem reformidanti. Caeterum quod me ad lucubrationum mearum editionem hortaris, agnosco bonitatem tuam.[1]

(A levelek tizenharmadik könyvéből.)

p. 175. *Caelius Cal. Jacobo Zieglero S.*

Postquam illustrissimus princeps meus in Italiam venit, atque eum reverenter salutavi, nihil prius mihi fuit quam de Zieglero meo percunctari, a quo nullas accepisse literas mihi summae admirationi fuit . . . Impetravi itaque, ut quoties tu animum veniendi ad nos induxeris, et de ea re Alphonsum Cistarellum commissarium Agriensem certiorem per literas feceris, ille tibi rursus significet, quo tempore id commode facere possis; de tuto etiam comitatu et viatico abunde tibi ac ministro tuo provideat. Quom vero ad nos perveneris, caetera quae ad victum et necessitates tuas erunt opportuna, ita in parato offendes, ut nihil sit quod Pannoniam aut Budam multum requiras . . . Quare nihil est quantum video, quod adventum tuum in Italiam remorari debeat.[2]

(A Pullicio Encomion előszavából.)

p. 404. *R. D. Ladislao Episcopo Vatiensi, Serenissimi regis Hungariae, Vicecancellario S.*

. . . At nostra aetas miratur Vatiensem Antistitem amplissimum, ita sua nihil curantem, ita sui obliviscentem, ut

[1] E levél kelt VII. Calend. Martias M. D. XXIIII és VI. Idus Jan. M. D. XXV közt Ferrarában.

[2] E levél kelt Idibus Januariis M. D. XXXVII és X. Calend. Decemb. M. D. XXXIIII (!) közt Ferrarában.

dum rem communem agit, dum destituti pene regis negocium procurat, multo plus aliis omnibus, quam sibi natus videatur. Quare ego illum, quom testimonio aliquo meae summae observantiae donandum putassem, quod aliquo modo gravissimas eius occupationes levaret, et quasi minus in proscenio vel risum excitaret, vel arduis et seriis inducias afferret, nihil se mihi promptius obtulit, quam ἐγκώμιον, seu mavis declamantiunculam dicere, super laudibus pulicis, quam modo dum aeger cubarem, lusi . . . Bene vale. Budae. Calend. Junii M. D. XIX.

p. 408. *R. D. Georgio Episcopo Quinqueecclesiensi Caelius Calcagninus S.*

Quom in Pannoniam profectus ab iis, qui de meis studiis nonnullam opinionem conceperant, studiose et amice admodum fuissem exceptus, nihil occurrit mihi commodius, quo existimarem ei animi mei gratitudinem posse testari, quam si intestinis factionibus et simultatibus distracta nobilitate non sine maximo regni descrimine, ad eos de concordia conscriberem; non quia me existimarem ea facundia excultum, ut eis id possem persvadere, quod imminens periculum et communis salutis studium persvadere non possunt, sed ut eos benevolentiam et votum meum testatissime relinquerem. Jure autem te unum, Antistes amplissime, ex omnibus elegi, cui commentationem hanc dicarem. Vel quod me singulari et incomparabili comitate ac benignitate promeruisti, vel quod unus maxime omnium optimates in concordiam revocare, et partes dissidentes conciliare adnitaris; vel quod absens olim in Italia autoritatem et magnitudinem tuam audieram, mox in Pannonia (!) veniens de illustrissimo et reverendissimo principe meo, et clarissimo viro Hieronymo Balbo familiare tuo, exploratissimum super sapientia et acumine ingenii tui testimonium acceperam. Ego vero coram quanta esset bonitas et humanitas tua perspexi, ut tu longe inter omnes istius regni optimates eloquentia, prudentia, caeterisque summis humani animi bonis excellere videaris. Cum in te itaque omnium faces virtutum promi-

neant, et apud me clarissimum totius nobilitatis Pannoniae instar obtineas, non iniuria hunc tibi commentarium nuncupans, caeteris omnibus regni proceribus abunde satisfecisse puto. Budae. M. D. XVIII.

p. 409—415. *De Concordia commentatio Caelii Calcagnini ad Pannonios.*

p. 494. *In Sacramentum Eucharistiae Sermo tumultuarius Caelii Calcagnini, per eum in cathedrali ecclesia Agriensi publice habitus.*

p. 503., 504. *Caelii Calcagnini in funere Beatricis Pannoniarum Reginae, oratio.*

p. 504. (Beatrixhez szól.)

Haec tua tota sunt: pudicitiam non constanter modo servare, sed etiam in aliis vindicare; gravitate citra regium supercilium uti; adeuntes ac supplices non solum comiter excipere, sed confirmare atque ad meliorem spem revocare; iustitiam admirabili condire clementia; disceptationes dexteritate incomparabili sedare, populorum et civitatum saluti ac securitati consulere, bonisque artibus regna instituere. Efferatos animos emollire, bene educatis ingeniis favere, literatos undecunque accersere, eosque omni munificentia honestare; quo factum est in Pannonias omne ferme Latium ea tempestate migravit, atque in media barbarie Athenae excitarentur. Haec vero illi tantum benevolentiae, tantum admirationis apud eas nationes latino nomini perpetuo infensas peperere, ut eam unam quasi caelitus demissam, qua Pannonias illustraret, colerent ac venerarentur.

Joannes Camers, Ordinis Minorum sacrae theologiae professor, Egregio Viro Domino Stephano Verbeutio S. D. P. [1]

Relegi diligenter, Stephani humanissime, decem Jani Pannonii Quinque ecclesiarum praesulis Elegias, quae (absit

[1] Janus Pannonius 1514-iki kiadása végéről.

adulandi suspicio) splendore carminum cum antiquitate non longo intervallo certare videntur. Condolui, Deum testor! poëtae facundissimo, quod eius digna posteritate carmina, merita laude privarentur, ac nescio quorum vitio, tam inversa e turpi situ prodirent in lucem. Has siquidem elegias jamiam nomine tuo excusas typis optimis, ita depravatas mutilasque accepimus, ut in locis plurimis vix earum sensus integer posset percipi. Dedimus tamen, amore tui operam, ut eo nitore, quo a vate Jano conscriptae sunt, ab his qui docta cupiunt, legerentur. Tuum deinceps erit, (quoniam impense doctis faves) ut si qua Jani opera delitescunt, ob Pannonum gloriam, Jani meritum et tuam tandem in hisce rebus vigilantiam ostendandam conquirere, conquisita huc transmittere; ut transmissa ope nostra castigentur, et suo denique nativo restituta candori, studio demum tuo in manus exeant peritorum. Vale. Viennae Pannoniae. pridie Idus Martias. 1514.

Ioannes Camers Ordinis Minorum Sacrae Theologiae Doctor Stephano Verbeucio Pannonio, bonarum artium cultori optimo S. P. D. [1]

Communis peritorum nec ab re quidem, sententia est, Stephane humanitatis exemplar, Caium Plynium secundum fuisse sui temporis peritissimum . . . Has studiosis non inutiles (ut credimus) vigilias pro incoepta nos inter amicitia, tibi dicavimus, maiora deinceps (nam plura sunt in manibus) deo comite dicaturi. Viennae Pannoniae Anno a Christi natali. M. D. XIIII. Pridie Kaleñ. Septembris.

---

[1] „Prima pars Plyniani Indicis editi per Joannem Camertem ordinis Minorum, sacrae Theologiae. D. In qua, tabellae pictae instar, mira litterarum connexione, dicuntur ea omnia, Geographiam praeter, quae toto Plyniano volumine continentur. Cum gratia et privilegio, ut mox sequitur."

Joannes Camers Ordinis Minorum sacrae Theologiae D. Stephano Verbeucio Pannonio, virtutum ac virtutes colentium insigni cultori S. D. P. [1]

. . . Sed quom (teste Platone) non nobis solum nati simus, vigilias hasce nostras spernendas fortassis multis sub tuo nomine aliis communicare statuimus . . . Viennae Pannoniae, Anno a Christi natali. M. D. XIIII. Sexto Calendas Augusti.

Joannis Camertis, Ordinis Minorum, sacrae Theologiae professoris, ad egregium virum Dominum Stephanum, Maecenatem alterum Hexastichon. [2]

Virtus magna fuit versus scripsisse disertos,
  Turpe sed hos longo delituisse situ.
At tua cura diu nos est id passa nefandum,
  En relegunt vates carmina, Jane, tua.
Multum igitur Janus, Multum Pannonia tellus,
  Debebit Stephano, docta Minerva simul.

Francisci Zelei, Waciensis et Posoniensis Ecclesiarum Canonici carmina ad lectorem. [3]

Pegasei quantum latices, quid vivida laurus
  Vatibus attribuat plectra sonora simul
Praesulis hic Jani modo Pannonis indicat orsus,
  Terse qui Latio carmina more dedit.
His patriam illustrat, generi et laus maxima cedit,
  Et sua perpetuo nomina clara manent.
Quippe tibi ille favum pulcherrima praemia, lector,
  Spondet, et armigerae se duce castra Deae.

---

[1] „Pars secunda Plyniani Indicis, eiusdem Joannis Camertis, Geographiam idest Terrae, et in ea regionum, montium, promontoriorum, specuum, sylvarum, fontium, lacuum, fluminum, marium, insularum, oppidorum, populorumque descriptiones continens copiose, secundum inter seriem litterarum. Cum gratia et privilegio orbis Principum ut supra." Nyomatták Bécsben Victor és Singrenius, az Alantsee tesvérek költségén 1514 sept. elsején.

[2]–[3] Janus Pannonis tiz elégiája 1514-iki, bécsi kiadása elejéről.

Joannes Camers ordinis Minorum, artium et sacrae Theologiae doctor praestantissimo ac doctissimo viro, domino magistro Stephano Verbeucio Pannonio, inclyti Hungariae regni Maiestatis locum tenenti, perpetuam felicitatem deprecatur et optat.[1]

... Non possum non meminisse saltem paucis Reverendissimi Joannis Domini Turzonis Vratislaviensis praesulis, ac principis illustrissimi, qui licet divinis literis noctesque diesque incumbat, succisivis tamen horis Ciceronem, Salustium, Livium, Senecam, Plynium, Aulum Gellium, Columellam, Virgilium, Lucanum, Papinium, Horatium, Juvenalem, Claudianum, hunc ipsum Solinum nostrum, ac huius genus authores alios tractat et relegit accurate. Eius pecularis audita tantum virtus, humanitas passim nota, vulgata circa meritos beneficentia, in studiosos multis expertus favor, me ad tantum talemque principem diligendum merito compulerunt ... Non absimilis in iisce studiis germano suo Reverendissimus Dominus Stanislaus Episcopus Olomutzensis, qui moram omnem periisse existimat, quae non sit bonis literis destinata ... Similibus te quoque lectionibus oblectatum fidem faciunt inter caetera tot ad me variis temporibus scriptae literae, quibus animi tui integritas ingenii solertia, sermonis comitas, rerum multifariam experientia, dicendi concinna facilitas, a quovis politioribus studiis bene instituto vel primo aspectu deprehenditur. Pannonicae insuper institutiones a te nuper docte et eleganter aeditae (!) legisse te diligenter nobiles authores, id est Juris peritos primarios, ac optimos historiarum scriptores efficax perhibent testimonium. Quam bene studiosis consultum foret, si id tempus quod curis ad regnum maxime pertinentibus assidue a te impenditur, in revolvendis bonis authoribus,

[1] „Joannis Camertis Minoritani, artium et sacrae Theologiae doctoris, in C. Julii Solini πολυΐστωρα enarrationes. Additus eiusdem Camertis index, tum literarum ordine, tum rerum notabilium copia percommodus studiosis. Cum gratia et privilegio Imperiali.“ Végén az Index előtt: „Excusum est hoc opus Solinianum cum enarrationibus egregii sacrae theologiae doctoris Joannis Camertis Minoritani, anno nativitatis domini M. D. XX. Viennae Austriae per Joannem Singrenium, impensis honesti Lucae Alantse, civis et Bibliopolae Viennensis.“

ac scribendis libris contribuere licuisset. At non omnia possumus omnes . . . Has igitur paucarum noctium vigilias libuit sub tuo tantum nomine publicare, quibus affectum erga te meum, tu ipse in primis, demum lecturi eas alii agnoscerent passim omnes. Rati exiguum hoc munus nostrum tuae excellentiae futurum non omnino ingratum, quod probe intelligas donum quodlibet vel ex largientis animo, vel ex suscipientis conditione trahere qualitatem . . . Vienna Pannoniae. VI. Calendas Februarii, anno post Christi natalem. M.D.XX.

Franciscus Lado Siculus Transsylvanus ad Lectorem.[1]

Perlege narrantem vasti miracula mundi
  Solinum, lector, perlege sed reducem.
Reddidit Hippolitum vitae titanius heros,
  Quem dedit indignae dira noverca neci.
Dicitur et gelidos animasse Caducifer artus
  Et recidiva bonus vulnera Phillyrides.
Tempus edax pariter lento Polyhistora morsu,
  Ad prope tartareas praesserat (!) usque domos.
Hunc sed enim vindex tandem miserata Camertis
  Cura vel ad superos extulit usque deos.
Quin etiam docti spaciosa volumina Plynii
  Facta Camertino pollice clara nitent.
Hinc varias rerum, lector studiose, latentum
  Naturas facili scire labore potes.
Eia age nunc illi, meritorum parva suorum
  Praemia, sed grates dicito perpetuas.

Joannis Camertis Minoritani artium et sacrae Theologiae Doctoris in C. Julii Solini ΠΟΛΥΙΣΤΟΡΑ enarrationes . . .

p. 163.

Qui hac tempestate Pannoniam incolunt a Scythis se traxisse originem praedicant et Hungaros ab Hungaro eorum Rege nomen habere. Qui plura cupiunt, legant epistolam XXI. 34 epistolarum libri Francisci Philelffi viri undecunque

[1] Ugyanonnan.

doctissimi . . . Quantum nostra quoque tempestate Pannonii bello valeant, inter plurima argumenta maximum illud est, quod atrocem Turcarum impetum frequenter reprimunt. Essent utinam inter se eius regionis primates unanimes, ea enim ratione nedum illatam ab iis iniuriam repellerent, sed ultro non minorem vim hostibus inferre possent. Inter Pannonios non paucos reperies, qui bonis disciplinis omnem operam collocant. Mitto alios huius professionis complures, est inter Pannonicam nobilitatem Stephanus Verbeutius, vir, si humanitatem quaeras, humanissimus, si ingenium expostules, ingeniosissimus, si studiorum amatorem exquiras, is huius genus hominum amantissimus, si in rebus agendis consultorem expetas, Stephanus se offert consultissimus. Id fatebuntur profecto omnes, qui eius Pannonicas institutiones nuper ab eo editas introspexerint. Praetereo eius in Deum ac sanctos alios cultum solertissimum, pietatem in Deo dicatos homines, in cunctos reliquos charitatem, eos praesertim quos praeditos bonis moribus animadverterit. Eius munificentia tanta est, ut non aliam ob causam divitias expetendas existimet nisi ut eas ad beneficentiam liberalitatemque conferamus. Taceo praesentia quantis qualibusque is me muneribus honestaverit. Non mirum igitur, si ob tantas talesque virtutes Pannoniorum Regibus optimisque regni principibus semper fuerit acceptissimus. Sed condignas amici laudes locis oportunioribus reservamus.

Ingenio Iuveni Benedicto Bekenio Pannonio, amico, ac discipulo quam gratissimo. (Joh. Camers.) [1]

. . . Hunc qualemcunque laborem nostrum amico tibi ac Romanorum gestorum ab incunabulis . . . studioso dica-

[1] „Sexti Rufi consularis de tribus Romanorum imperandi generibus deque Romani imperii accessione libellus aureus, per Joannem Camertem ordinis Minorum, suo nitori quantum fieri potuit, novissime restitutus. Eiusdem Camertis quorundam obscuriorum locorum Scholia adiuncta paucula." (Camers Lucius Florus kiadása után.) A könyv végén: „Impressum Viennae Pannoniae per Joannem Singrenium. Anno 1528." Negyedrétben. (Keménynél: Kalászatok, p. 69., 70.)

mus, ut cum Livianos spatiosos campos per occupationes adire non poteris, habeas saltem Rufum hunc ipsum, qui te unius horae studio quicquid unquam memoria dignum a Romanis gestum est, mira quadam svavitate reficiat. Vale, Viennae Pannoniae, pridie Nonas Januarii 1518.

Eustachii Candidi Bononiensis canonici Regularis Judicium. Anni M. CCCCLXXXVI. Ad Serenissimum ac invictissimum Mathiam Ungariae Bohemique Regem.[1]

Consideranti mihi, serenissime ac invictissime rex, neminem fato nescio quo huius nostri temporis astronomorum extitisse, qui Maiestati Tuae hactenus sui ingenii monumentum ullum dicaverit, etsi huiusmodi scientiae studio te oblectari et omni virtutis genere te esse praeditum nemo ignoret, quod tui nominis immortalis ac perennis gloria asseverat, — statui ingenioli nostri primitias[2] ac lucubratiunculas nonnullas ad Maiestatem Tuam[3] mittere. Non quia illas sacras manus substantiae[4] dignas putem, quas tumultuarie ac pro tenuis ingenii facultate compositas rudes et incultas esse non sum nescius, sed ut et animi meaeque erga Maiestatem Tuam perpetuae observantiae testes aliqua in parte esse possent, eas qualescumque destinare[5] visum est et potius temeritatis ac ignorantiae vitio abs te accusari: quam silentio pretereundo non meae constantissimae servitutis erga Maiestatem Tuam tuosque omnes immortalem animi affectum apertum iri. Sed ne longiore ac inculta oratione aures Tuae Serenissimae Maiestatis offendam ad rem ipsam descendam.

(fol. 2a). *De serenissimo Ungarie Rege.*

Rex mi in aeternum vive. Tu rex regum in bello victor eris et fortunatus, dominium magnum habebis propter mortem imperatoris ob coniunctionem Iovis Saturni et Martis in prima Capricorni. Dubium est de filio, ne aliquod impedimentum

[1] Ősnyomtatvány a bolognai egyetem könyvtárában. [2] permitias *C.* [3] tuan *C.* [4] talán sacratissima Maiestate Tua? [5] destinate *C.*

patiatur propter quadraturam Martis et coniunctionem Solis et Saturni.[1] Caveat Serenissima Maiestas Tua a veneno propter mulierem nunc nobilem quae non erat nobilis propter incarceratum, quod si evaserit, Tua Serenissima Maiestas damnum consequetur ob triplicitatem Solis et Martis et quadraturam Saturni[1] et Veneris circa tertium decimum Iulii et primum Augusti.

(fol. 3b, 4a). *De eclipsi futura.*

De futura autem eclipsi solis et lune in mense Februarii et Martii[2] nullum verbum facio, quoniam illius effectus ad M. CCCCLXXXVII produci intelligo, nam magna eclipsis solis superioris anni nondum cursum ad[3] finem suum peregit. Superfluum esse existimo Maiestatis Tuae aures pluribus obtundere; tempore enim suo, si vitam omnipotens annuerit, haec omnia aperientur. Praetermitto et mi invictissime rex iudicium lunae crescentis deficientisve et annorum[4] ac mensium fertilitatem et caritatem pluviarumque et sereni temporis iudicia, quoniam haec ipsa vel agricolis nostris non ignota esse solent, et tantummodo attigi quae ad rem ipsam et ad Maiestatis Tuae dignitatem pertinere intellexi, scilicet de Italiae aliarumque provinciarum potentatibus. Vale, serenissime mi ac invictissime rex, Candidi Eustachii servuli tui non immemor.

Ludovici Carbonis Carmen ad Franciscam Fontanam amicam doctissimam et speratam suam.[5]

. . . Legati veniunt finibus Ungaris[6]
Quaerentes aliquem ducere praeditum

[1] Saturnii *C.* [2] Marzii *C.* [3] ac *C.* [4] nnorum (igy) *C.* [5] Cod. Marcianus lat. cl. XII. cod. CXXXVII. saec. XV. fol. 8b. Carbo Lajos levelei, költeményei és halotti beszédei közt idézi e verseket, de hibásan, nem tudom milyen kéziratból, Baróti is, Memor. Istor. de Letter. Ferrar. I. p. 50. és utána Carlo de' Rosmini, Vita e disciplina di Guarino Veronese e de' suoi discepoli. Brescia, 1805. III. p. 157., 158. [6] *Ungares* volt a codexben a javitás elött, *Ungari* vagy *Ungaris* van benne a javitás után.

Humanis studiis rhetoricum bonum
Aptum legitimas,[1] tradere litteras,
Qui linguam valeat pellere barbaram.
Hortantur capiam tale negotium
Promittuntque mihi praemia maxima
Affirmantque brevi me fore divitem . . .
Fontanina vetat insita pectori,
Quae fixa est animo et visceribus meis.
Fontanina facit, ut maneam domi;
Fontanina facit, ut patrios lares
Desertos fugiens linquere cogitem . . .

Ioannes Capellanus Aldus Manutiushoz intézett levele.[2]

Scripsi iam pridem ad te, vir doctissime, de Serenissime regine nostre in hungaria susceptione cum nominibus quorundam librorum grecorum qui multi sunt in ea bibliotheca quam magnificentissimus rex Mathias olim construxerat. Regina nostra optime valet et quod plurimum te delectabit iam in ea de conceptione magna apparent indicia, quod toti regno gaudium incredibile pariet. Tantus inter eam et regem mutuus est amor, ut vehementior esse non possit, ita ut uterque felicem se pro sorte sua reputet, estque multis principibus usque adeo grata ut magis regina hungarie nulla fuerit unquam ita ut tota hungaria meret potius quam inter eos (quocunque fortuna vertat) aliquid incommodi pateretur. Sepe meminit de tot tantisque honoribus a magnificentissimis venetis eidem exhibitis, quorum non immemor erit quamdiu vivet. Quemadmodum in aliis litteris ad te scripsi redire post hiemem decrevi et inter redeundum te visitabo, tunc quoque de rebus omnibus latius commentabimus. Etenim hic nulla est mihi cum hungaris consuetudo nec ulla mihi esse potest cum eis in bonis litteris exercitatio, itaque quantocius potero reditui me disponam. Regina iam multum profecit in latino sermone, que se quam pluri-

[1] *legiphimas* van a codexben. [2] Ezen autograph levél a Bibliotheca Ambrosiana *E* 30 inf. jelű codexének hetedik kötetében találtatik.

mum tibi commendat estque in quibus poterit tibi obsequi paratissima. Rogo me commendes dominis meis illi doctori medico cum quo Venetiis erat mihi gratissima consuetudo paulo domino Joanni sculptori diligentissimo, et principaliter domino andree bibliopole compatri tuo. Vale feliciter. Ex buda Decembris 19.

Tuus ex animo servulus
Joannes Capellanus.

Ad Reverendissimum dominum Georgium Episcopum Quinqueecclesiensem Michael Chesserius Bosnensis Episcopus S. P. D.

(fol. 147.)

Apud Graecos vice proverbii usurpatum esse video R. D. ανω ποταμων ιερων χωρουσι παγαι, hoc est: sacra retro labuntur flumina. Quod in me forsitan dici merito posset, quia homo alioqui barbarus et latinis camaenis vix quantum sat est idoneus, tam subito graecarum factus sim musarum interpres. Huic inquam adagio obnoxius videri possem, si hoc a me factum fuisset, quasi latinae linguae pomerium proferre vellem. Sed cum eo id fecerim nomine, ut meum privatim expergefacerem ingenium, simul ut diutini mei ocii non integram saltem aliquam redderem vobis rationem, non video, cur audaciae vicio mihi vertere hoc quisquam possit, ac Thucydidis illud obiicere η αμαθια μεν θρασεις οκνηρους δε το λελογισμενον απεργαζεται, id est audaces inscitia, timidos uero (!) efficit ratio. Sed utcunque res cadat, vulgi judicium non flocci faciam, si nostras qualescunque nugas a te probari animadvertero, cui ut munusculum hoc deferrem, innumera erga me beneficia compulerunt. Nam cum apud hungarie (!) Regem Vulatislaum non sine honestissima praefatione nominandum, tanquam Eumenes apud Alexandrum, agas arhigrammateum (!), me semper non protexisti nudo, sed et honoribus ita auxisti, ut extremae ingratitudinis culpa cariturus non fuerint (!), si non aliquo pacto id posteris testatum saltem reliquissem, quo tibi ac ceteris appareret, non semper id perditum iri penitus, quod

gratis confertur beneficium. Vale, et me, ut consuevisti, foveas amesque.

Isocratis oratio, quae Nicocles, sive Symmachicos inscribitur, per eundem Michaelem Chesserium latina facta.

Fr. Chrysologi de valle marie tractatus specialis de linguarum scientie utilitate iucunditateque exemplis sat plurimis illustratus. [1]

(fol. 5.)

Quid de Simone de Buda dicam, qui aliquando regi suo Pannoniae denuntiatus ex patria sua exul ad Sevillam non ultimam Hispaniarum regis urbem perveniens pauper et inops ibidem invictissimam eiusdem regni maiestatem septem linguarum, uti: latie, graece germane, polonice, gallice, ungarice et thurcice versibus elegantissime per eundem compositis cum adstantium maximorum quorumque virorum applausu salutatus est, moxque munificentissime auro donatus, ad praesens usque feliciter in eadem regione moratur, prout mihi illustrissimus vir Stephanus de Werbeucz, qui ipse non solum summe eruditus est, sed et linguas plures uti: latiam, graecam germanam ungricamque fluenter perinde ac eleganter loquitur, quemque nuper in aedibus compatris et fautoris mei honorandissimi domini Joannis Singrenii saepius videndi et colloqui fortuna mihi contigit, retulit, postquam videlicet intenti huius scripti mei mox secutura elaboratio in antecessum ab amicis ei innotuisset.

---

[1] A könyv végén: „Imprimebat Vienne Austrie Joannis (!) Singrenius propriis impensis. Anno Dni. M. D. X. VIII." Negyedrétben. Azon példány, melyből Kemény (Kalászatok, p. 113.) közli a föntebb közzétett részletet, a nagy-enyedi könyvtárban idősb Páriz Pápai Ferencz könyvei között a 39. szám alatt találtatott.

VII. Kelemen pápának II. Lajos királyhoz intézett levele.[1]

Regi Ungariae Clemens PP. VI. Carissime etc. Dilectus filius Georgius Logus Silesius subditus Serenitatis tuae, cum ad almam Urbem religionis et veniae a Domino Deo consequendae gratia se contulisset, ac propter ingenium et litteras a doctissimis huius civitatis viris in honore esset habitus astitit etiam coram nobis: ex quo nos praesente melius quoque cognovimus, quod sermonibus multorum ad nos fuerat perlatum, summum in eo esse ingenium, summum graecarum et latinarum litterarum studium, in quibus adeo nobis profecisse visus est, ut carminibus praesertim pangendis paucos cuiuslibet aetatis et nostro et aliorum iudicio haberet pares. Quodque nobis mirifice placuit, primariamque in eo laudem obtinere visum est, ea pietate cum intelleximus praeditum, ut doctrinam suam vellet potissimum cum Dei honore et cultu verae religionis esse coniunctam. Is nobis narravit se biennium sane in Italiae gymnasiis litteris operam dedisse, adiutum liberalitate et munificentia Serenitatis tuae, quod ei annuum subsidium ducatorum (!) aureorum constituisses: gratissimoque animo sese opus tuum et abs te factum esse praedicavit. Quod nobis de tua Serenitate semper optime sentientibus auxit etiam opinionem benignitatis tuae, cum videremus te id, quod maxime est regium, de animandis ad optimas artes his, qui in regno tuo nati sunt, eis et cura et sumptu elaborare. Cum autem is ad Serenitatem tuam rediturus esset, etsi supervacaneum iudicabamus tibi eum commendare (propterea quod satis sua virtute et tuo in illum iudicio esset commendatus) voluimus tamen has ad te scribere litteras, quae pondus haberent potius testimonii nostri quam commendationis, ut cum tu sponte ad hunc iuvenem ornandum et fovendum te dedisses, primum intelligeres praeclare abs te et operam et liberalitatem tuam fuisse positam, magnamque tuae Sere-

[1] Kiadta Theiner „Vetera Monumenta Historica Hungariam Sacram Illustrantia. Romae 1860. II. p. 654. „Ex Reg. orig. An. II. brev. (litt. Sadoleti) lib. IX. fol. 235.

nitati laudem ex eo accedere; deinde ut nostra quoque causa, qui eum tamen tibi commendamus, esses erga eum etiam propensior. Quod etsi intelligimus te per te fuisse facturum, erit tamen nobis pergratum, ut ipse sentiat et re ipsa experiatur hanc nostram commendationem non mediocri illi usui apud Serenitatem tuam extitisse. Quod ut faciat, eandem Serenitatem tuam magnopere in Domino adhortamur. Datum Romae etc. die XXIIII. Novembris MDXXV. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Serenissimo atque Invictissimo Regi Mathie etc. Pannnonie dignissimo etc. Anthonius Constantius phanensis se comendat.[1]

Pannonie armipotens Rex et clarissime gentis
Et decus ac blanci glora summa patris,
Presidium Hesperiae fidei spes sola cadentis,
Qua datur aethereas scandere posse domos,
Rumor ait, latias nuper diffusus in urbes
Quod fera pro nobis inclite bella moves.
Ex te belligeri proceres comitentur et omnis
Gens tua nunc Thurcos sanguinolenta petit,
Quantam Pannonii numquam meminere parentes
Quamque alacrem domino se sociasse suo,
Proh pudor intrepidi minimum secura quiescit
Hostis Roma sui Parthenopeque simul
Nulli arma in Thurcum Latii rapuere tyranni,
Atque fluentini classica nulla sonant,
Nec iuvat armatas Pellago deducere classes
Trinachriam et merces dedidicisse[2] suas.
Gallia dormitat, nec curat Hiberia Christum,
Hei michi, verus amor spesque fidesque perit

[1] Ábel e költemény kézirati forrását nem nevezi meg. E költeményre válaszol Janus Pannonius (Elegiarum I., 8. Teleki). Mindkét költeményt leforditottam és bevezetéssel ellátva adtam ki az „Irodalomtörténeti Közlemények" XIII. 1. f. (1903.) 79—85. lapjain.
[2] declinuisse? delituisse? (sic!?)

Nam quid ego hic referam divisos orbe Britannos
 Aeterni populum destituisse dei.
Finitimos certe tecum tractasse decebat
 Theutonicos sumpta casside, tela manu
Proque fide et patria vitam pro laude pacisci
 Esset ut exemplo postmodo quisque pius.
Hii cessant omnes, soli tibi, maxime Regum
 Dant Veneti innumeros gens veneranda rates.
Nec mirum nec enim tantum iustissima regem
 Res Veneta in dubiis destituisse potest,
Cuius nunc sancto pelagus dictante senatu
 Yonium remo scinditur Ausonio
Calcidicusque tenet tuto sua menia sompno
 Quique per Aegeas incola currit aquas.
Hostes nempe suam Neptuno inducere classem
 Extimeant. Marci dum mare signa tenet
Hinc modo (si cunctis lacii iam sparsa per urbes
 Non est mendaci fama locuta sono)
Adversas perhibent. Vulcano occumbere gentes
 Atque hausto mergi corpora multa salo;
Hinc furor hinc rabies Thurcum male sana lacessit
 Quod premitur. Terra pulsus et ipse mari.
Praesertim horrisono quod tu *premis*[1] petis ense nocentes
 Atque agis intrepida praelia dura manu
Atque data est moles cui tanti et sarcina belli
 Cuius et auspiciis credita summa rei.
Quod scit magnanimo non degenerare parenti
 Qui merito excelsi nunc videt ora dei.
Nam quater ac decies fudit certamine Thurcos
 Nescius infestos ociaque nulla pati.
Bisque tulit septem partos virtute triumphos
 Quos numquam taceat sedula posteritas,
Intonsus qualem proles Semelei Liber
 Duxit de populis Yndia vasta tuis
Hec tamen a viridi lustratus tempora lauro
 Intumuit, victis sed minor ille fuit.

[1] fölösleges; a glossa került a szövegbe.

Iure igitur genitor potitur nunc Blancus Olimpo
  Tuque iter ad superos iam tibi nate paras.
Cuius honoratos claro diademate crines
  Non sine praesenti numine prospicimus.
Scilicet ut regeres patria virtute potentem
  Pannoniam arbitrio indicioque tuo.
Hoc agis et superas procerum pia vota tuorum
  Nam tibi parta ferum oppida plura manu.
Quis regum ulterius solio processit avito
  Et tibi iam crevit gloria, crevit honos,
Quid q', te memorant musas coluisse latinas,
  O decus o regni Pannonii columen,
Harum dum medio cristatus in agmine poscis
  Numina, quid praestet teque tuosque sequi.
Consilio Nestor dextraque es dius Achilles
  Et tua vis toto non habet orbe parem
Hei michi. Non Elegis haec decantanda fuerunt
  Versibus; altiloquo sed referenda pede
Non erat haec nostro res carmine digna. Sed illo
  Quo vivunt Rutulus Dardaniusque duces
Vel quo Maeonides nimia consumpta ruina
  Aeacide ad Troiam bella cruenta refert.
Aut si defuerant hac tempestate poetae
  Maeonidae ingenio Virgiliique pares.
Corduba Lucanum debuit genuisse secundum
  Aut iterum nasci furtulus[1] ipse tibi,
Ut meliore lira post divi gesta Iohannis
  Parta tua caneret clara trophaea manu.
Quamque avidus Thurcos ruis atque horrendus in hostes
  Pro sancta cupiens religione mori
Quanta tibi est animi quanta est praestantia formae
  Et quantus belli es qualis et ipse toga.
Te duce quam populus Christi non corruat omne
  Te duce non pereat nunc decus Ausoniae.
Denique quisquis adest toto iam liber in orbe
  Te propter memoret ius retinere suum.

[1] Bizonyosan *Silius Itaticus*-t érti.

Quare ego, perque tuam quae nota est dextera Marti
  Perque fidem obtestor, per diadema tuum
Consilio.[1] Desere ne Italiam dira atque infanda timentem
  Consilioque illam praesidioque iuva.
Sic tu alter Macedo, sic Caesar et alter haberi
  Sic poteris divo carior esse patre.
Postque obitum illustri caput innectere corona
  Et medium ascendes stella benigna polum.
Iamque vale, et belli cum cessant classica, nobis
  Anthoni interdum non memor esse tui.

Oratio in exceptione Reverendiss. Domini Dni. Gregorii (!) de Frangepanibus Archiepiscopi Colocen. in Conventu Caesareae Maiestatis cum tribus Regibus nomine Academiae Viennensis per Magistrum Leonhardum Coturninum habita. [2]

. . . Obquam rem Gregori, maxime antistes commendanda laudanda ac veneranda erit tua reverendiss. dignitas, quae summis viribus a teneris annis ea animum concernentia curavit acquirere bona quae nec igne nec ferro nec aqua unquam perire possunt, quorum Atheniensium philosophorum tanta cupiditas acquirendi fuit, ut nec vitae quidem periculo territi nec maximis adversitatibus aversi fuere, uti in remotissimis territoriis ea nobilissima bona non quaererent, quibus mentem alteram hominis portiunculam decorare possent.

[1] E szó a következő sorból dittographice ismétlődik.

[2] E beszéd ama beszédek során jelent meg, melyek 1515-ben azon alkalommal tartattak, midőn a magyar és lengyel királynak találkozója volt Miksa császárral. Fényes kiserettel jelent meg mindenik uralkodó. Rendre üdvözölték őket magukat, valamint a kiséretben levő püspököket. Így Frangepan Gergely kalocsai érseket Leonhardus Coturnius üdvözölte, Szakmári György pécsi püspököt pedig a budai Kresling János. Apponyi Sándor gróf könyvtárában szép példánya van e gyűjteményes munkának, melynek czíme: „Orationes Viennae Austriae ad Divum Maximilianum Caes. Aug. aliosque illustrissimos Principes habitae, In celeberrimo trium Regum ad Caes. conventu. Anno M. D. XV." *(A végén):* Impressum Viennae Pannoniae per Hier. Vietorem. Expensis vero Leonhardi et Lucae Allanse fratrũ. Mense Januari. Anno M. D. XVI. — V. ö. Apponyi: *Hungarica* I. 89. lap. 117. sz. alatti jegyzettel.

Quot Pithagoras propter scientiae amorem pericula sustinuit, quot Plato . . . ambo Aegyptios petiverunt ut doctrinam aliquam graecis incognitam discere valerent, te similiter ea nostrae mentis bona nulli variationi supposita ingenii acrimonia clarissima cognoscens, omni labore tuam nobilissimam animam illis ipsis ornare curasti, ne mens tua excellentissimo suo lumine orbata esset, et delectatione splendidissima, qua rerum causas, amaenitate iucunditate et omni dulcore contemplari diu noctuque laborat . . . Nullis in tua iuvenili aetate laboribus pepercisti, nulla vitae pericula timuisti, nullas calamitates, quae continuo tibi imminebant, fugisti, sed audaci animo singula praemium sperans quod magnifice tibi contigit, aggressus fuisti rei illius testimonium veridicum videtur vultus tui maiestas prae se ferre excellentissimum namque scientiarum thesauri in te absconditi indicium pariter facie comparere solet, non hic nimirum abest doctissima litterarum cognitio, non veri a falso discretio nec sermonis elegantia ornatissima. Hic haud deest numerosa quantitatis doctrina, nec recte sophiae cognitio scitu facile dignissima, non sacratissimi eloquii fundamina, nec ac quae virum in hac terra faciunt sapientissimum. Nihil autem omnium doctrinarum praecepta sine opere et usu prodesse posse sole meridiano clarius conspiciebas, quare opus consummatum atque philosophiae praeceptis arquisitum (!) cunctis tuis tum dictis tum factis adhibere soles, ut non minimum certe absque peculiari ratione facere videaris, in te Gregori glorisissime Antistes, omnium virtutum nobilissima frugalitas, quae temperantia dici potest, conspicitur.

Paulus Crosnensis Ruthenus Inclyto et Magnifico Domino Gabrieli Perenaeo, Cubiculariorum Regalium Magistro, et Comiti Ugochensi ac Marmarusiensi, Domino ac Patrono suo gratissimo S. D. P.[1]

Quom tuam incredebilem in me humanitatem vel potius pietatem ac munificentiam, Domine Magnifice et patrone mihi perpetuo observande, considero; qua re tuis in me

[1] Janus Pannonius 1512-iki kiadásához.

meritis gratas aliquando referam gratias, certe nescio. Tantum enim me tibi debere fateor, quantum nunquam persolvere potero. Nullae namque mihi sunt possessiones, nulli divitiarum cumuli, nullaque opum ac pretiosarum rerum gazophylacia; nec tua magnificentia re ulla indiget, sola bene faciendi contenta laetaque conscientia; quod templa tuis sumtibus erecta, coenobia tuis impensis extructa, muneraque in religiosos assidue collata, liquido testantur. Ut merito dicendus sis perfugium calamitosorum subsidium inopum, bonorum sustentaculum, splendor Pannoniae, omniumque virtutum sanctissimum exemplar. Quid enim referam tuam in omni re modestiam, continentiam, normamque vivendi exactissimam? Quid mansuetudinem, facilitatem et clementiam? qui nemini, neque diviti, neque pauperi accessum ad te prohibes, aut aures benignas claudis. Quid in rebus humanis solertiam et prudentiam? qui arces munitissimas et propre inexpugnabiles construxeris. Sed in primis, in vitifero colle Zeules, quae subtiliter et magnificentissime extructa, praetereuntibus viatoribus magnum praebet forinsecus oblectamentum, tum ob moenium aedificiorumque altitudinem, tum pinnarum turricularumque elegantiam, ut quivis non humanis manibus sed divinis artibus illam perfectam existimet. Quid memorem pulcherrimum Divae et intemeratae virginis, cum coenobio amplissimo, templum, quod Deo Optimo Maximoque, et suae beatissimae Genetrici in pignus tuae salutis et perpetuum tuae famae monumentum condidisti consecratisque. Sed ut (quoniam epistolium, quod Laconismum amat, non historiam sive orationem longiusculam scribere proposui, et alibi, ut spero, commodius uberiusque laudes tuae decantabuntur) gratiae referendae nulla in re, quoad possim, deficiam; venit diebus paullo ante transactis in manus meas opusculum Joannis Pannonii Quinque Ecclesiarum olim Antistitis, quem omnibus veluti polyhistoria seculi nostri prudentissimis, integerrimis, scientissimisque facile praeponendum contenderim. Qui inter praeclara ingenii sui monimenta, quae in chartophylacio situ et pulvere obducta veluti carcere quodam tenebroso clauduntur coercenturque Panegyricum quendam de laudibus Baptistae Guarini

Veronensis praeceptoris sui condidit . . . Quod quom incuria inscitiaque transcribentium blaesum, barbarum mancum, mutilum, ac longo situ lacerum sordidulumque et a nativa penitus venustate deformatum (ut plerisque in locis coniectore Oedipo foret opus) offendissem, multijugo tandem studiosorum suasu ac impulsu,, tuis denique innumerabilibus in me meritis poscentibus, in pristinum nitorem, genuinumque candorem restaurare curavi. Quod eo feci libentius, quom rem patriae tuae nobilissimae non minus utilem quam jucundam me facturum perspicerem; exteris quoque et remotissimis declararem gentibus, ad Pannonios etiam ipsos humaniores et suaviores migrasse Musas. Quo munere te praecipue dignum esse existimavi, qui crebro huiusce viri quem noras tibi familiarissimum, ingenium, vigilantiam, doctrinam, sapientiam, mihi commendaveris; qui litteras quam studiosissime foves litteratosque et litterarum cultores magno et honore et praemio prosequeris, amplecterisque. Quapropter Ioannem Pannonium, tibi Pannonio merito dedico, nuncupatumque consecro. Quem si subsicivis evolveris temporibus, non parum voluptatis et fructus tibi allaturum spero. O utinam reliqua tanti vatis opera tuo studio, tuaque diligentia in lucem veluti e tetro carcere surgerent, et in communem studiosorum utilitatem emergerent, optime profecto litteris litteratisque ipsis consuleres. Suscipe igitur, Domine Magnifice, hocce clientuli tui munusculum fronte hilari et serena, tanquam pignus et monumentum singularis meae erga te observantiae; munusculum breviculum, minutulum et pusillum, attamen jucundum, nobile et pretiosum; quem paullo post grandiore ac locupletiore dono donare curabo. Vale faustiter cum coniuge tua Magnifica, forma eleganti, probitate insigni, nobilitate generosa, et non tam pecunia quam pudicitia bene dotata. Meque clientulum tuum, si non amare saltem diligere non dedigneris, qui te veneror, colo et observo. Data Cracoviae, mense Julio MDXII.

Magnifico Domino Gabrieli Perenaeo Cubiculariorum Regalium Magistro et Comiti Ugochensi, domino et Patrono suo gratiosissimo Paulus Crosnensis Ruthenus, artium liberalium magister et collega florentissimi studii Cracoviensis Salutem. D. P. [1]

. . . Exinde ut e Gymnasio nostro Cracoviensi pestilentiali saevitia pulsus in Pannonios quaerendae salutis gratia fines me contulissem, tandemque sub sydereum magnificentiae tuae conspectum invitamento quodam invitabili delatus venissem in viridantia Nympharum viridaria, et secessus in explicabili voluptate delectabiles ilico divorti; inibi Panegyricos hosce geminos exhilarandi et vegetandi ingenii gratia, et quo tuae magnificentiae gratificarer auspicatus sum et intra sesquimensem succisivis temporibus te duce et auspice concinnavi, absolvique. Quos magnificentiae tuae, Gabriel beneficentissime peculiariter adscribo, nominatimque dedico, non ut hisce tibi famam, laudem, aut honestatem comparare coner, qui famigeratissimus laudatissimusque es, et omni honestatis genere demonstrabilissimus; sed ut illis fulgentissimo nominis tui splendore, faustoque et felici auspitio gratiam concilies, et vitam sempiternam impartiaris, utque clientuli tui et mancipii iam pridem magnificentiae tuae addicti, animum, fidem, studium, laborem, vigilantiam, observantiamque perspicias et cognoscas. Esset quidem voti et desyderii mei Gabriel, Perenaeae gentis specimen candidissimum, te tuasque virtutes dignis decantare praeconiis, quae mehercle tales ac tantae sunt, ut magis continuam historiae perpetuitatem, quam tantillûm epistolii compendiolum exigant, quamobrem

[1] „*Pauli Crosnensis Rutheni Artium Liberalium* magistri, poetaeque quam svavissimi Panegyrici ad divum Ladislaum Pannoniae regem victoriosissimum, et sanctum Stanislaum praesulem ac martyrem Poloniae gloriosissimum, et pleraque alia connexa carmina non sine magna svavitate condita.“ *Végén:* „Opusculum hoc mira diligentia Joannis Winterburger civis Viennensis et impressoris accuratissimi impressum est impensis Hyeronimi doliarii de Libental: Anno dominicae incarnationis 1509. Die quarto mensis Junii.“

silentio hocce tempusculo opprimendae sunt. Dabit certe deus optimus maximus, dabit aliud laudandi tempus, quo et tuam et avitam gloriam affatim canam, celebrem, ac extra mortalitatem collocem. Verum liberalitatis tuae et munificentiae, qua nulla duci virtus dulcior esse potest (ut Epigrammatarius cecinit vates) immemor esse nec volo, nec possum. Qua literatos clementer foves, qua caetus religiosos, cotidiana fere alimonia pascis, qua templa extruis et exornas, qua clientes tuos et servos locupletas, qua denique me infantissimum et rudissimum homuntionem nuper ubertim decorasti, et olim (ut spero) decorabis. Quo virtutis munere quantum nostri saeculi mortales tibi obstrinxeris haud facile dixerim. Quo circa (ut de aliis sileam) qua re tuae magnificentiae gratificer prorsus ignoro, tot namque et tanta tua sunt in me congesta beneficia, ut non pro meritis torrens facundia grates ferre potest, centum non ora sonantia linguis. Nam ut omittam facilitatem tuam mirandam, qua me ignotum et peregrinum invitasti; frontem sydeream, qua me excepisti; vocem nectaream, qua me appellasti; dexteram virtutis et fidei plenam, quam mihi porrexisti; nonne vel illud maximum est, quom me clericalem vitam initurum cognoras, ut me non solum magnificentiae tuae, sed etiam patriae locupletissimae arctius adstringeres, beneficium beneficum, amplum, tranquillum et repostum mihi designaveris, ubi flexuosis palmitum lapsibus animum exhilarare, viteam porticum ingredi, frondea tecta subire, vitamque ducere poterim quietissimam, iucundissimamque. Prudenter id certe factum; nosti namque musas sylvaticis gaudere viroribus et fontano delectari susurramine . . . Sed (o Juppiter) ubinam gentium musis meis, quam apud te, Gabriel munificentissime, melius consultum fuisset! qui fons es exuberantissimus, et diversoriolo mihi deputato, quod nemus est floridissimum. Tu mediusfidius fons es ille Pirenaeus (e primae syllabae in i demutata) poetarum concentibus decantatissimus; diversoriolum vero nemus illud (Erdo[1] enim Pannonice nemus latine significat) camaenali modulamine famigeratissimum. Non

[1] = Erdő.

possum igitur, me hercules, non gratulari, me talem dominum et patronum divina suppeditante gratia nactum, apud quem et fontem lymphidissimum, et nemus amoenissimum faustiter offenderim, quem ego profecto sum praecipuum et eximium habiturus, eritque ille mihi quidem non dominus modo, verum etiam numen quoddam terrestre, quem ego donec vitali fungar aura veluti humanum deum semper amabo, colam, laudabo, observabo, venerabor, adoraboque. Qui (quod me maximopere delectat) doctos amat, et se (uti est) litterarum et bonarum artium ostendit cupidissimum; hic ergo optimus est mea sententia dominus praeclarissimusque . . . Accipito ergo, Gabriel domine et patrone mihi perpetuo colende hosce Panegyricos subitario quodam animi calore et extemporaneo impetu a servulo et mancipiolo tuo compositos, Prodromon hoc est praecursiorum et veluti mearum vigiliarum ante ambulones vultu et animo, quo patronum a clientulo sumere decet, sereno scilicet et hilari, quos ideo coniunxi, tum quod patronos mihi iam pridem cordialiter delegerim, tum quod quemadmodum haec duo regna situ, foedere, societate et amicicia sint coniunctissima, ita et patronis adiungenda et adsocianda duxi dignissimum; eosque literariis officinatoribus notis chalcetypis in quingenta exemplaria transscribendos tradidi, quo fama tua non modo per Pannoniam, sed et per remotissimas regiones felicissime circumferatur. Suscipe, inquam, mi domine et patrone amabilissime, munusculum hoc minutulum et oppido quam pusillum . . . quod si magnificentiae tuae neque nauseabundum neque fastidiendum intellexero, et in reliquos paulo post Pannoniae patronos panegyricos sub tuo nomine publicandos tradam, tum hymnos in omnia sanctorum festa vario carmine concinnatos, tum odas ad clarissimos viros compositas, tum praefationes ante conplurium authorum exordia habitas, et pleraque alia ingenioli mei monumenta . . . . Data Viennae anno a natali Christiano Millesimo sesquingentesimo nono, die quarto Aprilis.

Ad libellum ut in Pannoniam omnigenam se conferat ad Magnificum et generosum dominum Gabrielem Perenaeum cubiculariorum Regalium Magistrum et Comitem Ugochensem, dominum et patronum suum gratiosissimum.

I dulcis, precor, i mihi libelle
Caro carior, i precor metallo,
Caris carior et mihi lapillis.
Cursu Pannonicas adi citato.
Terras omnigenas, pias beatas . . .
Tutus praesidio, manu, favore
Illustris domini et pii patroni
Nostri; Pannonicae tulere gentes
Quo non nobilius modestiusque
Quidquam candidius benigniusque.
I nunc, i, agedum illius decentes
Lautos, splendidulos petas penates.
Quos multis colit, ornat et venustat
Pilis, turribus, arcubus, theatris,
Picturis, epigrammatis, colossis.
Quem nunc vitifero iugo ambulantem
Nunquam crede, videbis ociosum,
Sed rebus variis negociosum.
Cuius quom sacra veneris sub ora
Illi multijugas simul salutes
Dicas atque simul beatitates.
Sit demum memor ut sui clientis
Ora, mancipiique servulique.
Qui se perpetuo sibi dicavit,
Ut vero suo hero, unico et patrono.
Post haec te facie sereniore.
Et palma excipiet paratiore,
Visu perleget atque alacriore,
Et tandem roseas tibi corollas
Et crebras dabit osculationes.
Mehercle id facit (scio) lubenter,
Et laete (scio) gaudialiterque.

Quod non et juvenum et puellularum
Lusus, illecebras, iocos, amores,
Rixas, praelia, basiationes,
Et quidquid pudet, adferas canasque,
Quo nil turpius est scelestiusque
Quo nil mollius impudentiusque
Sed quidquid decet, adiuvat, medetur,
Prodest, salvificat, beat, perennat.

(A „Panegyricus in laudem divi Ladislai Regis et Patroni Hungariae" végén:)

Lusum anno a natali Christiano millesimo sesquingentesimo nono, apud Magnificum dominum Gabrielem de Peren. in oppido vitifero Zeules.

A „Panegyricus ad divum Stanislaum" után következik: „Magistri Pauli Crosnensis Rutheni Elegiacon ad sanctam Barbaram virginem victoriosissimam extemporaliter lusum apud magnificum dominum Gabrielem Perenaeum anno a virginali partu 1508, die quarto Decembris"; azután: „Sapphicon Endecasyllabon ad sanctam Catharinam virginem et martyrem gloriosissimam lusum [apud] eundem dominum anno eodem in festo virginis huius sanctissimae". „In virginalem conceptionem Sapphicon modulatum apud eundem dominum anno eodem die octavo Decembris". „In Natalem Christianum sub horis matutinis apud magnificum dominum Gabrielem Perenaeum lusum anno eodem die XXV Decembris." „Ode Pauli Crosnensis Rutheni ad magnificum dominum Gabrielem Perenaeum pro novo anno, quam in conspectu eiusdem domini sydereo (!) dominus Sebastianus Maghyus discipulus suus carissimus voce camaenali modulatus est anno 1509 ingrediente". „Magistri Pauli Crosnensis Rutheni Epigrammata in insignia Magnifici domini Gabrielis de Peren cubiculariorum Regalium magistri, domini et patroni sui gratiosissimi, condita anno 1509." (24 epigramm). „Ode Pauli Crosnensis Rutheni ad Apollinem ut sibi poeticum inspiret furorem, quo digne Magnificum Dominum Gabrielem Perenaeum laudare possit, seque eidem domino maximopere

commendet, dedicetque, eundemque petat, ut has ingenii sui primitias fronte suscipere velit laeta serenataque“:

... Huc, huc, Phoebe veni, atque enthea spiritu
Divino facies pectora dulcibus
  Nostrum ut rite patronum
  Possim dicere versibus.

Qui castas niveo pectore musulas
Laudat, concelebrat, suscipit et colit.
  Et qui numen adorat,
  O Grimaee sacer tuum.

Et qui multa locat plectripotentibus
Crebro donu viris, qui bene flosculis
  Doctas atque corymbis
  Circumquaque premunt comas.

Qui cunctos proceres, qui quoque principes
Praestat moribus, et consiliis bonis
  Qui sunt, quique fuere,
  Et quos posteritas dabit.

Magnum Pannonici qui populi decus
Invictae columen militiae quoque
  Firmum dicitur, atque
  Ingens gloria patriae.

Qui prudens, sapiens, magnanimus, bonus,
Iustus, veridicus, munificus, pius,
  Fidus, comis, amicus,
  Illustris venerabilis.

Cui me nectareis notifices modis,
Cui me dulciculis versiculis dices,
  Cuius mancipium me
  Dic in perpetuum fore ...

Et me svavisonis post meliuscula
Lusurum citharis carmina dicito,
  Haec si nostra sereno
  Vultu pignora ceperit.

Ad Thaliam ut dignis praeconiis extollat Magnificum dominum Gabrielem Perenaeum, illique salutes multijugas dicat, seque decenter commendet, et ut numeros hos gratanter suscipiat, exoret.

. . . Cur virum demens retices benignum,
Nobilem, justum, facilem, modestum,
Candidum, doctum, placidum, disertum,
Atque pudicum?

Quique doctorum pater, atque fautor
Est poetarum, monumenta quorum
Auget, observat, veneratur, ornat
Atque venustat.

Quem colit patrum venerandus ordo,
Rebus et semper gravibus reposcit,
Cuius et nutu sapiente doctus
Cuncta gubernat.

Moribus sanctum senecam probatis,
Atque divinum superans Catonem,
Quosque praecellens coluit beatos
Roma parentes . . .

Ad magnificum dominum Gabrielem Perenaeum magistri Pauli Crosnensis Rutheni Salutatorium, quod modulatus est in lapillosa Ticiae ripa prope Zeules, dum memorati domini navicula amnica descendentis conspectum subiret syderalem, et venerandum, adstante nobilis et egregio domino Paulo Maghyo una cum liberis suis carissimis, Sebastiano et Demetrio. Anno a natali christiano 1508 pridie Idus novembris.

Salve priscorum Gabriel generose virorum,
Salve nobilium splendor, honosque ducum.
Salve Castalidum fotor venerande sororum,
Salve Phoebaei fautor amande chori.
Salve Pannonici praecellens gloria regni,
Salve nativi spesque salusque soli.
Salve sacrorum decorator magne penatum,
Atque Perenaeae firma columna domus,

Cuius mirifico splendescit pectus honesto,
Cuius sunt Lycio corda repleta deo.
Tu gestas nivea numerosum mente decorum,
Inque tuo residet Pallas amica sinu.
Qui pura sanctum superas gravitate Catonem,
Nestora consiliis, Attiliumque fide.
Qui quoque praecelsum vincis virtute Metellum,
Eloquio Marcum, relligione Numam.
Sed quid plura canam? cunctos tu vincis abunde,
Quos tulit eximios terra rotunda viros.
Tu quoque miranda vocitas pietate, fovesque
Illustres factis ingenioque viros.
Quod crebro nostras certe pervenit ad aures,
Et patuit multis, praenituitque viris
Quod nunc in meme liquido patet ecce misello,
Est in quo Phoebi parvula vena sacri.
Quem certe insignis capit admiratio, tantum
Anxius ut de se sollicitusque sies,
Et quod barbarici paupertinique poetae
Tu desyderio tam teneare pio,
Et quod multijugis invites sedulo scriptis,
Et cuius nunquam non meminisse potes.
Quem nunquam vultu conspexeris ipse nitenti,
Oreque cui dederis verba nec ulla sacro.
Quod de nativa fateor probitate profectum,
Deque tua magna vir generose fide . . .

Eucharisticon eiusdem ad Magnificum dominum Gabrielem Perenaeum, dominum et patronum suum gratiosissimum in discessu ad Viennam Austriacam lusum anno christi. 1509. duodecimo die Januarii.

Gabriel heroas inter celebrande potentes,
Gabriel Hungarici splendor honosque soli,
Quem cuncti meritis certant celebrare Camoenis,
Quemque colunt tremuli cum iuniore senes.
Cuique animus fulget Phoebaea clarior dura,
Cuius adit pictos inclyta fama polos;

Quique foves doctos numerosa merce poetas,
Cuius opem sentit turba misella piam.
Quo tibi nunc animi monstrabo munere nostri
Signa? pares reddam et qua tibi dote vices?...

Eucharisticon ad eundem lusum in Debrecen anno eodem die XXIII Januarii.

Quo tibi insignis Gabriel cothurno,
Quo tibi dulcis domine et patrone,
Concinam tandem meritas feramque
Carmie grates?
Nescio; cunctas quoniam Camoenas
Et sacros vincunt tua dona vates,
In tuum laeta bene quae locasti
Fronte clientem.
Quique festive dapibus misellum
Foveris lautis, nitidaque crebro
Fronte tractaris, recrearis ambo et
Crebrius ore.
Cuius et vultu celerem molesto
Saepe discessum tuleris, brevemque
Cuius es nisus morulam parare
Saepe recessus.
Qui vale labris tremulis relato
Ipse pergentem geminis retentans
Arctius palmis, oculis clientem
Liqueris udis . . .

Pauli Crosnensis Rutheni artium liberalium magistri Elegiacon ad Magnificum et generosum dominum Stephanum Bathoriensem, praefectum sive (ut vulgo dicitur) castellanum Budensem et regiae prolis fotorem. Lusum Waradini anno a natali Cristiano 1508 die XII Oktobris, quod dominus Sebastianus Maghyus in eiusdem conspectu magna Baronum caterva adstante modulatus est. (Bátori István magasztalását tartalmazza; végén:)

Te meliore canam posthac (mihi crede) Camoena,
Dent modo dii vitae saecla secunda meae.

Propempticon Magistri Pauli Crosnensis Rutheni ad ingenuum adulescentem dominum Sebastianum Maghyum Pannonium in genitales terras proficiscentem. Lusum Cracoviae anno a natali Christiano, 1508, die XV Februarii.

Quo properas quaeso, properas quo semper amande
  Discipule, et celeri quo fugis, oro, gradu?
Quo fugis, oro, gradu? celebrem cur linquere Crocam
  Niteris, et sophiae culmina docta deae?
Nun (!) te fida trahit carorum cura parentum?
  Nun retrahunt patriae rura beata tuae?
Nun te cogit amor pulcros invisere fratres?
  Et dare virgineo basia casta choro?
Iusta tui certe est (ni fallor) causa recessus,
  Atque ad Pannonios iam repedare lares.
Sed cur me comitem refugis? cur deseris, oro,
  Et praeceptorem discipule alme tuum?
Inquo pars vitae (mihi crede) et altera nostrae,
  Est in quo mentis dimidiumque meae.
In te spes nostra est, in te votumque salusque
  In te sunt animi gaudia cuncta mei.
Ergo ego iam vitam traducam solus acerbam?
  Et ducam moestos solus adusque dies?
Vix faciam; nostrae nam portio magna salutis
  Interit et vitae tempora laeta meae.
Omnia tu tecum patrias convertis ad oras,
  Aufers discessu prospera quaeque tuo.
Quis me igitur tanto posthac cumulabit honore?
  Scriptaque quis tollet qualiacunque mea?
Anxiferas tollet blando quis famine curas?
  Quis dabit auriculis comia verba meis?
Quis mecum roseis dulcissima verba labellis
  Conferet et gravibus commata grata tonis?
Quis mecum rutilo perget certare metallo?
  Oraque Pannonio sicca rigare mero?
Nemo, inquam, nemo, sine te quoniam omnia sordent,
  Omnia sunt stomacho disciplitura (!) meo.

Namque absynthiaci sine te sunt vina loquores (!),
Zaccharei sine te sunt aconita favi.
Quare volaturos si fas est comprime mannos,
Et des curriculo vincula pigra cito.
Verum si patriae captus dulcedine terrae
Non fas sit parvam detinuisse moram,
Nec carum fas sit tecum raptare magistrum,
Et partem mentis dimidiumque tuae.
Vade age pars animi vita mihi carior ipsa,
Ingredere et faustas faustior ipse vias . . .

Ad eundem, ut quom relicta Polonia ad oras paternas pervenerit hisce versibus patriam suam carissimam salutet . . .
Invitatorium ad eundem, lusum Varadini.

Ista dies partim niveo signanda lapillo est,
Mellitisque simul concelebranda modis,
Quae te Pannonicis perpulcre reddidit oris,
Reddidit et caris quae modo rite viris . . .
Verum carbone est partim obfuscanda nigranti,
Necnon moestiferis dedecoranda sonis,
Ipsa mihi quoniam fidum disiunxit Achatem,
Et tenuit mentis pignora magna meae . . .
Quapropter velis properes huc, ora, citatis;
Huc venias celeri lux mea, quaeso, gradu;
Namque tuo obtutu curae pellentur acerbae
Laevorem (!) capiet frons caperata pium.

Ad dominum Stanislaum Thurzo, praepositum Varadiniensem de tempore Brumali. Quem hortatur ut dum fata aetasque permittunt, vitam ducat iucundissimam. Lusum apud eundem anno 1508, die prima Novembris . . .

In Coenam eiusdem domini Stanislai Thursii lautissimam ibidem lusum.

Declamatio Valentini Cybelei de vini et aquae potoribus, utrum hi vel illi laudabiliores sint. Ubi nonnulla de vino et aqua, quatinus utraque secundum suos gradus vel ad laudem vel vituperium tendant inseruntur, ad Dn. Ladislaum Macedonium Archid. et amicum. [1]

Scio amantissime Domine Ladislae, quod omne promissum sub debitum cadere videtur, ubi praesertim promissum non observatum honesta ratione velari non potest. Memini cum nuper Quinqueecclesiis in domo Reverend. dni. Michaelis Doctoris, Vicarii, inter coenandum quaedam inter nos disceptaciunculae tractarentur, et inter caeteras mentio fieret de natura et observatione accentuum, sine quibus ita nulla dictio potest esse, sicut nulla vox sine vocali, nec tamen satis intelligeremus, quomodo iidem ipsas dictiones moderarentur, licet quaedam exemplaria prae manibus haberemus, sed Gordiano modo similia. Et perinde pollicitus essem tibi me missurum facilem modum, quomodo et observari et intelligi possent et quot essent in qualibet dictione ponendi, prout ipse ab Aldo accepissem. Quare promissis satisfacere cupiens collegi hic quaedam, de eis, ut sequitur. Accentus esse decem numero, videlicet acutum, gravem, circumflexum.

Accentuum natura.

Caeterum, dii boni, ecce occurrit mihi quaestio a te in principio proposita de aquae et vini potoribus, utrum hi

[1] Cybeleus Valentinusnak e declamatióját Ábel a hagenaui akadémiai könyvtár példányából másolta le a tartalmat jelző széljegyzetekkel együtt. Ábel kéziratát az *F* iv első lapján egy más kéz váltja fel, a mely a széljegyzeteket elhagyja. Én a másolatot hiven közlöm, de megjegyzem, hogy a Nemzeti Múzeum $\frac{\text{Var.}}{327.}$ számú ősnyomtatványában egy ajánló-levél vezeti be e declamatiót, melyet a szerző igy czimez: „Reverend. domino Dn. Georgio episcopo Quinqueecclesien. Cancellario Regio, Valentinus Cybeleius Canonicus Ecclesiae Alben. sui humillimum Commendationem“. Ez ajánló-levél keletkezett Székesfehérváron 1517 január 12-én. Ebben mentegetődzik a tárgy kisszerű voltáért és kilátásba helyezi, hogy e csekély munka után nagyobbal is fog hozzá fordulni. Ez az értekezés az Apponyi-könyvtárban is megvan. (L. Hungarica. Magyar vonatkozású külföldi nyomtatványok. Budapest, 1900. I. 90. l. 118. sz. alatt leírva.)

aut illi laudabiliores sint, et utrum poetarum quispiam repertus sit, qui vino abstinuerit. In quo tamen ego tibi in praesentiarum vix satis facere possem, ne si veritatem dicere vel odiosus sim, vel non credatur mihi; quandoquidem obsequium amicos, veritas odium parit. Unam enim istarum partium laudando et alteram improbando, vel mihipsi (!), vel tibi videbor facere iniuriam, qui tamen et mihi et tibi amicus esse debeam ac perinde ab iniuria inferenda cavere. Verum amicus Plato, amicus Socrates, maior amica veritas. Laudaturus igitur, vel vituperaturus in eo non meis propriis nitar testimoniis, sed aliorum authoritatibus, qui de vini et aquae natura, aut eorum potoribus, quippiam dixerunt et scripserunt. Quod si aqua et eius amatores pluribus clarorum virorum dictis et exemplis, tanquam non laudanda asseretur, iam tunc de facili ab illi opinione cedam, in qua dum haec nuper tractaremus, perstabam, et libens tibi tanquam victori herbam porrigam. Si autem de vino eadem fiant, feras itidem aequo animo, nec me nec ipsos scriptores in eo accuses, sed ipsius vini naturam, quae se minus laudare permittat. Fateor ego quidem, quod et vinum bonum sit, quia creatura dei. Cuius etiam potatorem scimus Christum fuisse, dum vel aquam in vinum converteret, et quod modice sumptum acuat intellectum hominis, animae et corpori robur addat, virtutem excitet et animum ad sua officia alacriorem reddat. Sed quis ibit inficias, quod sicut moderatum humanas virtutes ac vires vegetet, sic immoderatum destruat et enervet, rationem perturbet, intellectum obscuret, memoriam hebetet, oblivionem immitat, errorem infundat, ad ignorantiam perducat, et quod ingenium obnubilet, mentem et sanitatem mentis concutiat, valetudinem corporis profliget, sensus penitus lapsabundos et hominem non solum ex hominis potestate exire, sed etiam hominis nomen amittere faciat et perinde brutum fieri? Quandoquidem dum ebrius se ipsum ignorat, quis non novit, quod non plus sapiat quam vel pueri, vel anniculi (!) senes. Recte autem Plato in libris de republica dicit, quod non tantum senes bis pueri fiant, sed multo magis ipsi temulenti. Quin et Plutarchus scribit, quod olim lethargum et oblivionem ipsi veteres Dionysio con-

Amicus Plato, sed amica veritas.

Vinum modicum quantum prosit.

Ebrius senibus et pueris comparatur.

secrabant, non aliam ob causam, nisi quia in vino delinquentes officii oblivviscerentur, et admonitione egerent puerili. Quam primum enim aspergine vini sanitas mentis expugnatur, tunc omnium rerum oblivio, et ipsius memoriae mors subsequatur necesse est, immo etiam furor. Proverbium est apud Athenaeum: vinum non habet clavum. Quod propterea dicitur, quia nihil consulte dicit aut facit eoque ratio obruatur, quae clavi vice sobrios moderatur et regit, dum autem ita vino marcens obruta sit, iidem (!) agit (ut Isocrates in sua praeceptiva oratione dixit), quod currus auriga spoliatus; hic enim aberrans a gubernatore incomposite rapitur, et animus mente corrupta, quid rectum sit, despicere (!) nequit. Alibi item apud Athenaeum proverbialiter exprimitur, quod vinum non habeat calciamentum, quia ebrius ex omni parte pateat, et non aliter quam speculum omnia perspicua reddat. Ad hoc dicit Seneca in Epistolis ad Lucilium: Quemadmodum, inquit, dolia ipsa rumpuntur, et omne quod in imo iacet, in summam partem vis caloris eiectat, sic vino exestuante quicquid in imo iacet, abditum effertur, et prodit in medium onerati mero, quemadmodum non continet cibum vino redundante, ita nec secretum quod suum est, et alienum pariter effundunt. Audi autem quemadmodum Zenon, vir maximus, colligat virum bonum non futuris (= um) ebrium. Ebrio nemo secretum sermonem committat, vir ergo bonus ebrius non erit. Quemadmodum opposita interrogatione simul derideatur, attende, dormienti nemo secretum committit, viro autem bono committit, vir ergo bonus non dormit. Interim si hoc colligere vis, virum bonum non debere ebrium fieri, cur simile agis, dic, quam turpe sit plus sibi ingerere quam capiat, et stomachi sui non nosse mensuram quam multa ebrii faciunt, quibus sobrii erubescunt. Nihil aliud esse ebrietatem, quam voluntariam insaniam. Extende in plures dies illum ebrii habitum, nun quid de fure dubitabis? Unde recte Aeschylus poeta extulit, quod aes formae, vinum autem mentis speculum sit. Et Theognes (!) ita: Igne probant homines aurum, argentumque periti; ast hominis vinum monstrat aperte animum. Nec mirum quod sic homines in insaniam vertantur, dum nihil sciant reticere, et stulte loquendo

Vinum non habet clavum nec consilium.

Vinum non habet calciamentum.

Bonus vir non erit ebrius.

Ebrietas voluntaria insania.

reticenda manifestent. In vino siquidem (sicut in proverbio habetur) veritas est. Et ob id veritas a Platone in Alcibiade filia vini credita est. Quicquid enim in pectore est conditum, id ebrietas in apertum profert, omnem animi fucum tollens. Ad quod aspiciens quidam Persa celebratissimo apophthegmate negavit tormentis opus esse ad exquirendum verum, quia vino rectius eliciatur. Ebrius enim, ut Augustinus ad sacras virgines scribit, dum nihil consequitur sanum nullo alio cogente praeter vinum cordis sui arcana patefacti, et amicorum sibi commissa secreta in medium prodit. In quam sententiam habes illud Horatii dictum: „Reges dicuntur multis urgere culullis, Et torquere mero quem prospexisse laborant, an sit amicitia dignus". Et alibi „Tu leve", inquit, „tormentum ingenio admoves Plerunque duro, tu sapientium curas et arcanum Jocoso Consilium retegis Lyaeo". Nam quis id ignorat, quod quicquid in corde est sobrii id in lingua sedere ebrii, et quod vinum et cum pueritia et sine pueritia veridicum sit. Adde non aliam caussam fuisse, cur olim (ut adhuc in sacris literis legitur) vetaretur, ne regibus vinum daretur, nisi quod ibi nullum possit esse arcanum, ubi regnet ebrietas. „Nam quid non ebrietas (ait Horatius in Epistolis) designat? Operta recludit Spes iubet esse rates, ad proelia trudit inermem, Sollicitis animis onus eximit Addocet artes Faecundi calices quem non fecere disertum". Scribunt poetae Icarum Oebali Laconum regis filium ac Patrem Penelopes ob summam iustitiam et pietatem, qua praeditus erat a Libero patre loco muneris suscepisse, ut primus omnium vini usum mortalibus ostenderet, qui id quidem apud Athenienses ostendit, saeva tamen mercede, mox enim poenas dedit, quem ipsi coloni et messores ebrii (illis enim id in primis ad potandum dederat) interfecerunt, eo quod venenum se ab eo accepisse crediderunt, vel Propertio lib. II. eorum factum ita approbante „Icare, Cecropiis merito ingulate colonis". Quare in multis locis poena mulctabantur qui in vineas prodibant; quoniam vinum sit, testante Plinio, quod ad procinctum tendentibus semper impedimentum sit. Cuius cum multa et prope infinita sint vitia, tum illud inprimis licet in medium proferre, quod Philostratus libro II. scribit de vita

In vino ebrietas (!).

Cur olim vinum regibus non dabatur.

Icarus primum vinum ostendit mortalibus.

Vinum impedimentum ad procinctum tendentibus.

et gestis Apollinii Thyanaei, qui cum rege Pharaote confabulanter disputans taliter disseruit: Salutavit, inquit, rex Apollonium, interrogavitque ab eo, quidnam meditaretur. Neque enim dormire te nimium arbitror, cum aquam bibas et vinum contemnas. Tum Apollonius: An non dormire censes eos, qui aquam bibunt? Dormire, inquam, arbitror, rex inquit, sed per levem somnum, et qualem dicimus summis oculis insidere, non autem menti. Immo vero, inquit Apollonius, utroque dormiunt, forte etiam mente magis, nisi enim quieta mens fuerit, nequaquam oculi somnum suscipient. Propterea furiosi homines dormire nequeunt propter assiduam mentis agitationem. Quae cum in alia ex aliis iugiter cogitando transiliant torve impudenterque aspiciunt, sicut insomnes dracones. Quoniam igitur, o rex manifeste interpretati sumus, quid somnus operetur, concedam, si ebrium ipsum supposueris, etiam non dormire. Debacchans enim et quasi furens animus multipliciter, illum devolvet, et plurimis implebit perturbationibus, videntur enim sibi omnes qui concepta ebrietate dormire nituntur, nunc usque ad domus culmen attolli, nunc rursus sub terram detrudi, et tali agitari vestigine, quali circumvolvi Ixionem fabulae perhibent. Et ut in hanc eandem sententiam accedens Lucretius libro III. de rerum natura dicit „Nec reperire potes, quid sit tibi saepe mali cum Ebrius urgeris multis miser undique curis Atque animo, incerto fluitans errore vagaris Si possent homines proinde ac sentire videre Pondus inest animo, quod gravitate fatiget, Atque quid effugere haud potis est invitus adhaeret et odit". In vino etenim magnum inest vitium, quod pedes patrum captet, ut ait Plautus, quoniam luctator pessimus est et dolosus. Paululum igitur sublato capite Apollonius, Quanto, inquit, nos qui aquam bibimus dulcibus somnis magis abundemus, quam qui vinum bibunt iam ostendam tuam rationem secutus. Quod autem multis agitetur perturbationibus et quasi furiis quibusdam vexetur ebriorum mens, recte abs te dictum esse fateor, videmus enim ebrietate correptos geminam lunam, geminum solem sese videre arbitrari, alios non minus lapsos et pene sobrios nihil quidem tale cogitare, sed laetitia gestire et voluptate quadam perfundi, idque non

Ebrios non posse dormire.

Ebriorum curae.

Vinum luctator pessimus et dolosus.

Morbi insaniae.

ob aliquam praeclaram actionem ab eis gestam plaerumque contingit. Alii vero forenses orationes meditantur, cum in foro nunquam sint locuti, et se divites putant, cum nec drachmam possideant. Hi autem sunt, o rex, insaniae morbi, ipsa enim laetitia mentes agitat, plures enim vidi, qui bona quadam fortuna potitos sese arbitrantes somnum capere non poterant, sed excitati in medium prosiliebant, quod satis argumenti est ipsa etiam bona curas sollicitudinesque praebere. Sunt autem quaedam et medicamenta ad faciendum somnum excogitata, quae si qui biberint, aut sese iisdem perunxerint, tam profunde dormiunt, ut mortui videantur, inde tam obliviosi surgunt, ut ubivis potius quam ubi sunt sese esse arbitrentur. Quod igitur potiones corpori aut animae neque proprium, neque legitimum somnum inducunt, sed aut ita profundum, ut semimortui videantur, aut levem admodum et a quibus accidentibus rumpi facile te puto consensurum, nisi pertinax potius quam disputator et esse et haberi volueris. Aquae autem potores singula perinde ut sunt vident, neque sibi ipsis ea quae non vident nec sunt describunt aut figurant, neque leves sunt, nec unquam aut torpore aut stultitia referti, nec supra quam deceat hilares, sed semper sibi ipsis adsunt ratiocinatoribus similes, non vespere minus quam mane. Nunquam enim tales homines dormitabunt, etiam si in multam noctem fuerint operati, nec somnus eos tanquam dominus urget, caput vini servum invadens, sed liberos semper et toto corpore sese erectos praebent. Cum autem dormitum accesserint, anima pura et quieta somnum capiunt, neque prosperis elati successibus, nec adversitatibus ullis depressi. Mens enim sobria moderata sese ad utraque habet, nec ab alterutra perturbatione superatur. Praeterea curis vacua dulcissima et iucundissimo somno perfruens nullis casibus excitatur. Per somnia insuper vaticinationem, quae apud homines divinissima existimatur, multo facilius conspicit anima vino non suffocata, sed pura mundaque omnia quae viderit facile colligit et discernit. Quapropter somniorum interpretes quos miropolos appellant poetae, de nulla unquam visione ante consultoribus respondebant, quam visionis horam sciscitati essent. Nam si matutino tempore omnium

Medicamenta somni.

Aquae potatores puro somno et puro esse intellectu.

Vaticinationes citius aquae quam vini potores noscunt.

apparuisset, tunc de illo aliquid coniectari se posse arbitrabantur, quia tunc recte vaticinari posset anima, cum esset vino ciboque liberata. Sin vero primo somno aut media etiam nocte, cum adhuc vino suffocata demersaque est anima, somnium dicerent apparuisse, sapienter quicquam respondere abnuebant. Quin etiam deos ipsos itidem iudicare et sobriis animis potius oracula tribuere brevibus ostendam. Fuit quondam apud Graecos vates nomine Amphiaraus, quem Thebis redeuntem terra vivum absorbuit, ipse etiam nunc in Attica terra vaticinans somnia patentibus inducebat, eos autem cum responsa accipere volunt sacerdotes integrum diem a cibo, a vino autem triduo iubent abstinere, ut pura expurgataque anima ostensorum rationes colligere melius possit. Quod si vinum idoneum somni medicamentum esset, iussisset profecto sapiens Amphiaraus contemplatores somniorum contrario modo sese praeparare vino refertos tanquam amphoras in adytum descendere. Multa insuper oracula et alia referre possem, cum apud Graecos tum etiam apud barbaros celeberrima, in quibus sacerdos non vino, sed aqua potatus ex tripode responsa petentibus dedit. Vitium autem ebrietatis cum in aliis cuiuscunque conditionis hominibus, tum in primis in sacerdotibus reprehendi debet, prout nobis veteris testamenti authoritas suffragatur, ubi ministri templi prohibentur vinum bibere, ne ebrietate graventur corda eorum, et ut sensus eorum semper vigeat et tenuis sit. Dixit tantum deus in Levit. ad Aaron pontificem. Vinum et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quando intrabitis tabernaculum testimonii, ne moriamini, ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et prophanum, inter pollutum et mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea quae locutus sum ad eos per manum Moysi. Idem Nazareis et sanctificatis domino praeceptum est, ut a vino abstineant, nec quicquam quod ab uva expressum est bibant. Uvas etiam nec recentes nec siccas gustent cunctis diebus quibus ex voto domino consecrati fuerint. In Ezechiele itidem habetur. Vinum non bibat omnis sacerdos, quando ingressurus est atrium interius. Quare hoc? Quia vini potatio et a rerum cognitione animum sevocat, et in mortis periculum inducit, ut quod etiam

Amphiaraus vates.

Vinum sacerdotibus prohibetur n utroque estamento.

in vita quid utile sit non satis providere sinit, quantuluscunque etiam vini haustus. Et non solum vinum, sed et sycera[1] prohibetur, quae secundum Hieronynum est omnis potio quae inebriare potest. Quin et novi institutor testamenti Christus salvator noster docet cavere nos debere ab illa ipsa ebrietate, ubi ait: Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis huius vitae et superveniat in vos illa repentina dies, tanquam laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem omnis terrae. Vigilate itaque omni tempore orantes ut digni habeamini fugere omnia ista quae futura sunt et stare ante filium hominis. Vide et hoc quod scriptum est in Esaia propheta contra superbiam et ebrietatem Effraim et sacerdotum, quibus ita domini indignationem annuncians loquitur. Ve coronae superbiae ebriis Effraim et flori decidenti gloriae exultationis eius, qui erant in vertice vallis pinguissimae errantes a vino. Pedibus conculcabitur corona superbiae ebriorum Effraim, quoniam prae vino nescierunt et prae ebrietate erraverunt. Sacerdos et propheta nescierunt, prae ebrietate absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt iudicium, omnes enim mensae repletae sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus. Quem docebunt scientiam? quem intelligere facient auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus, quia manda remanda expecta reexpecta modicum ibi. In loquela enim labii et lingua altera loquetur ad populum istum dominus dicens: Haec est requies mea, reficite lassum, et hoc est meum refrigerium, et noluerunt audire, et erit eis verbum domini manda remanda expecta reexpecta modicum ibi, ut vadant et cadant retrorsum, et conterantur et illaqueantur et capiantur, quoniam percusserunt foedus cum morte et cum inferno fecerunt pactum. Et cum nihil aliud sit ebrietas, nisi rationis vile sepulchrum, et sapientiae expultrix, quomodo acceptus erit minister regi non intelligendo nec ambulando in via immaculata? ex quo ipsa et sapientia et mundicia in primis ministris dei necessaria sit, quorum vita aliorum documentum esse debet. Vinum autem incentivum libidinis sit, quod ex

Sycera quid.

Effraim superbia et ebrietas.

Ebrietas rationis sepulchrum.

[1] Bódító ital a zsidóknál = szörbet.

Vinum incentivum libidinis.

proverbiis Salomonis probatur: Luxuriosa, inquit, res est vinum et contumeliosa ebrietas; omnis qui cum his miscetur non erit sapiens. Quocirca idem ipse Salomon rex licet omni sapientia plenus esset, tamen sapientiorem se fore putavit, si a vino carnem abstraheret et abstemius viveret. Cogitavi, inquit, in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stulticiam, donec viderem, quid utile esset filiis hominum. Nam non eiusdem hominis est (ait Hieronymus), vina degustare et prophetas intelligere, qui ad Nepotianum presbyterum de vita clericorum ita scribit: Modum aetatis et valetudinis pro corporum qualitate exigimus in potando vinum, quod absque vino ardeo, et ardeo adulescentia et inflammor calore sanguinis, in quo suspicio est veneni. Canones etiam ecclesiastici praecipiunt clericis ab ebrietate et crapula penitus abstinendum sub beneficiorum privatione et suspensione officiorum. Quoniam ebrietas et mentis exilium inducat, et libidinis provocet incentivum, prout habetur de vita et honestate clericorum. At sine Cerere et Baccho friget Venus, dixit comicus poeta. Nihil vero, teste Joanne Chrysostomo, ita est daemoni amicum, sicut ebrietas et lascivia, quae est mater omnium vitiorum et omnium peccatorum radix et nutrix, ante omnia autem a clericis vetari deberet. Ah utinam haec nostri catholici presbyteri et sacerdotes ita officiose, quae praecipiuntur de hac abstinentia et vini moderata potatione observarent, prout multi observant immodestissimam bibendi consuetudinem, non quidem in meditationibus et orationibus ac caeteris factis suam conditionem et vitam concernentibus dies et noctes consumentes, sed in assiduis compotationibus, commessationibus, ebrietatibus, lasciviis, clamoribus, detractionibus, et aliis infinitis inconvenientiis, quae ex hac nostrae benedictae aetatis nescio quali consuetudine pullulare solent. Non profecto tot evenirent scandala in populo, quot in dies eveniunt. Non tot odia pullularent et persecutiones in ecclesia dei, quot in dies pullulari videmus, dum et divinam iram ac totius fere mundi in nos provocamus vindictam, dando videlicet illis de nobis pravitatis exempla, quorum ductores et

Ebrietas et lascivia mater omnium vitiorum.

Causae odii et persecutiones in clerum.

correctores esse deberemus, aliena diripiendo qui aliis propria dare deberemus, dissidias et inimicitias inter illos faciendo ac seminando, quos in amorem et concordiam inducere deberemus, in fastum et superbiam nos attollendo, qui tamen Christi humilis et pauperis ac apostolorum successores esse deberemus. Illos denique male et nequiter irridendo, quos humiliter continenter et sobrie vivere conspicimus, immo nec vitam nec doctrinam quandoque (plus enim comoediarum quam evangeliorum et prophetarum lectio ad stomachum facit, et non librum sed liberum cum maiori semper desyderio ac affectu tractamus) praeter nomen et ordinem sanctitatis ac sacerdotis habere dinoscimur. Et id etiam sacerdotium indigne praesumentes, dum nomen domini despicimus indigne ad altare accedendo et panem quantum ad nos pollutum offerendo. Hinc est quod sacerdotium despectui haberi caepit fere ab omnibus et illi etiam qui per sanctae vitae operationem Christum et apostolos eorumque documenta sequuntur ludibrio et in derisum exponantur, quorum vita et doctrina maxime observari deberet. Hinc est quod pauci etiam iam ex secularibus rectum habeant affectum non modo in ecclesiae commodum, sed ne quidem ad divina officia et missarum solennia rite audienda, cum sacerdotum illis nomen exosum sit. Hinc est quod continue fiant inclamationes in clerum, continue in bona eorum invasiones, tanquam etiam illis indigni essent, quibus tam male ex perversa vivendi consuetudine abutantur. Sed unde haec? Non certe aliunde magis nisi in extemperatae vitae in cibo et potu transgressione proveniunt, unde ratio obruta amittitur, et odium non tam hominum quam dei acquiritur. Hi enim, ut scribit Hieronymus et habetur in decretis ecclesiasticis, deliciciis affluentes et inter epulas et lascivias pudicitiam servare credunt. At propheticus sermo describit, quod eiiciendi sint de perversis eorum domibus, et damnandis conviviis. Et si vis scire, quo eiiciendi sunt propter malas cogitationes et opera sua, lege evangelium: In tenebras scilicet exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium. An non confusio et ignominia est Jesum crucifixum pauperem et esurientem praedicare, et ieiuniorum doctrinam farsis corporibus,

Comoedias potius quam prophetas legimus.

Nomen sacerdotum exosum.

Inter epulas et lascivias pudicitiam servare difficile est.

rubentibus buccis et tumenti ore? Si in apostolorum loco sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed etiam conversationem et abstinentiam. Ne merito in nos detorqueatur illud Esaiae dictum: Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam ut vino aestuetis. Verecundari profecto deberemus, quod qui sese Christi imitatores et regni coelestis haeredes profitemur, in his quae sunt coelestia, et Christiano nomine digna nos etiam ethnici et pagani superaverint et superant. Legimus siquidem apud Cheremonem stoicum, quod prisci Aegyiptiorum sacerstotes (!) et carnibus et vino semper abstinuerunt ab eo tempore quo se divino cultui applicuissent, ut sensus tenuitate forent vegetiores. Idem de Esseis apud Philonem Eusebium et Iosephum habetur, qui in Iudaea abstemii fuerunt et quotidianum ieiunium in naturam verterunt. Haec cum ita sint, quis non credat et aquam et hydropotas potioribus laudibus extollendos esse quam merobibus. Probat enim Alexander in problematis, quod aquae potores visu et caeteris sensibus (vinum enim copiosum spiritalibus viis sensus obstruit) multo sunt acutiores. Et in contrarium Salomon in proverbiis: Cui, inquit, est suffocatio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color eius, ingreditur blande et in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneos, et cor tuum loquetur perversa et eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator amisso clavo. Et ut latius prosequar, liceat audite, quid de vini et ebrietatis laude catholici scriptores dixerint. Hieronymus: Quanto studio fugienda est ebrietas? quae corpus domesticum spiritus receptaculum reducit in sterquilinium carnis nostrae, gloriam reducit in lutum, fugat prudentiam, cassat fidem, operatur naufragia. Augustinus: Ebrietas est flagitiorum omnium mater, culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, subversio sensus, tempestas linguae, procella corporis, naufragium castitatis, amissio temporis, insania voluntaria, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus vitae, honestatis infamia,

Sacerdotum Aegyptiorum abstinentia.

Aquae potores visu et sensibus acutiores esse quam vini.

Vitia vini et ebrietatis colliguntur.

Ebrietas naufragium castitatis.

animi corruptela. Ebrietas in utroque sexu cuncta mala appetit, et nephanda committit. Et ut Apostolus ait: Regna coelestia appetentibus denegat. Quisquis enim immoderatius convivioque medius amissis modestiae frenis insana fuerit ebrietate prostratus, aversus respicit stantes, quos integros videre nequit, aut sermone longo superflua verba emittit, et vana dicta componit, male clamans et bene sibi sonans. Assumit inter pocula iniusta certamina et nullis existentibus caussis asperam excitat rixam, quia interponendo verba vana aliorum sana dicta non potitur audire, sed in contumeliam erigitur convivarum et proximorum crimina. Alibi: Ebrietas aufert memoriam, dissipat sensum, confundit intellectum, concitat libidinem, involvit linguam corrumpit sanguinem, omnia membra debilitat, vitam diminuit, et omnem salutem exterminat. Sic enim, teste Isidoro, carnales cupiditates resecantur abstinentia, ita omnes animae virtutes vitio ebrietatis destruuntur. Innocentius de hominis miseria: Quid turpius, inquit, ebrioso? cui foetor in ore, tremor in corpore, qui promit stulta, prodit occulta, cui mens alienatur, et facies transformatur. Alibi: Ebrietas caedis est mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiae est magistra. Ubi namque regnat ebrietas, ratio ipsa exulat, intellectus obtunditur, consilia devincit, iudicia subvertuntur. Thomas item sic: Licet ebrietas plurima mala operetur, habet tamen hoc ipsa quod mentem hebetet, secreta revelet, gestus deturpet, eloquium scandaliset, lites generet, ac corporis vires exterminet. Cadere iubet, bene agere prohibet, requiem impedit, sensum alienat, oblivionem inducit, libidinem movet, nanseam provocat, visum minuit, et omni virtute hominem destituit. Seneca: Certe detegit omne vitium ebrietas, et incendit ubi possedit animum nimia vis vini, quicquid male latebat detegit vel emergit. Non facit ebrietas vitia, sed protrahit. Tunc impudicus morbum profitetur ac publicat, tunc petulans non linguam, non manum continet, crescit insolenti superbia, crudelitas saevo, malignitas livido, omne vitium grassatur et prodit. Adiice illi ignorantiae suae dubia et parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia velut aliquo

Ebrius male clamans sibi bene sonat

Nil turpius ebrietate.

Ex vino superbia et crudelitas crescit.

turbine circumgente (!) totam domum, stomachi tormenta cum effervescit merum ac viscera ipsa descendit. Tunc tamen utrumque tolerabile est, dum illi vis sua est, quod cum somno vitiatur, quae ebrietas fuit crudelitas facta est.

Vita vino minuitur.

Est enim apud Ecclesiasticum: Diligentes inquit, in vino noli provocare, quia multos exterminavit vinum. Ignis probat ferrum durum, sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum, aequa vita hominibus vinum in sobrietate, si bibas illud moderate, eris sobrius. Quae est vita quae minuitur vino? Quid defraudat vitam? Mors. Vinum in iucunditatem creatum est et non in ebrietatem ab initio. Exultatio animae et corporis vinum moderate potatum; sanitas est mentis et corporis sobrius potus. Vinum multum potatum irritationem et iram et ruinas multas facit. Amaritudo animae vinum multum potatum, ebrietatis animositas imprudentis offensio, minorans virtutem et facientes (!) vulnera. In convivio vini non arguas proximum, et non despicias eum in iucunditate illius. Verba improperii non dicas illi, et non premas illum in repetendo. Cur hoc? Ne furiosum in furiam et insaniam accendas. Alibi dicitur, quod vinum et mulieres

Ebrius non facit peccatum, sed ipse est peccatum.

apostatare faciunt sapientes a deo. Sicut enim mater fidei est continentia, ita perfidiae mater est ebrietas. Hanc qui habet, ut dixit Bernardus, non facit peccatum, sed ipse peccatum est, quia est daemon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, illecebra voluptatis, deformitatis magistra, pudoris iniuria, quam nullus noverit Christianus, quia se ipsum non habet, teste Augustino, qui illam habet. Et sicut in ebriis, ut idem Augustinus ad sacras virgines scripsit, non ratio ulla, non ullum vitae gerendae consilium, nec ulla artium aut gestorum aut lectorum memoria, aut in-

Sobrietas quid est.

dustriae providentia est. Ita contra in sobriis sobrietas est recti iudicii tenax, memoriae recordationisque inseparabilis sapientia, secretorum custos, arcani velamen, lectionum et doctrinae capax, studiorum et artium bonarum disciplina pariter et magistra ingeniorum, et capiendarum pedissequa, bonae famae semper avida, salubria atque utilia creans, virtutis singulare auxilium, cuncta cum ratione disponens, congregationi honestarum semper inhaerens. Plato item in

suis libris legum praecipit, ut pueri usque ad aetatem duodevigesimi anni omnino vino abstineant. Quia si ad fervorem aetatis calor vini addatur, tunc ignis igni suggeritur. Idem, inquit Hieronymus ad Eustochium, quod vinum duplex est in adulescentia incendium voluptatis, quia oleum flammae adiicimus. Prohibet et Plutarchus in praeceptis de valetudine, ut ne ignis ad ignem, impletio ad impletionem, merum ad merum addatur. Quandoquidem pueri et etiam senes (testis est Aristoteles in problematis) citius tentantur et vincuntur, isti defectu, illi excessu caloris quasi natura debilitate. Minus tamen pueros sitire quam viros, licet non minus calidi sint quam viri, quia videlicet eorum calor humidus sit, virorum vero siccus. Quibus omnino usque ad quadragesimum aetatis annum parvus usus admittebatur. Postea autem liberum fuisse etiam licentiosius, praesertim cum senioribus, sed ita ut tunc mente exhilarati, reliquo tempore se continuissent. Quoniam (ut scribit Macrobius libro VII. Saturnalium) qui fiunt crebro ebrii cito senescunt. Alii ante tempus competentis aetatis vel calvicio vel canicie insigniuntur, quae non nisi inopia caloris eveniunt. Nam vino forma perit, vino corrumpitur aetas, dixit Propertius. Quamvis adulescentes perpauci ad senectutem perveniant, praesertim qui ante tempus vino plus quam deceat utantur. Illa enim aetas (teste Cicerone in de Senectute) multo plures quam senum mortis casus habet, facilius in morbo incidunt adulescentes, gravius aegrotant et tristius curantur. Semper autem bonae valetudinis ait Valerius Maximus libro II., quasi quaedam mater est frugalitas, inimica luxuriosis epulis aliena a nimia vini abundantia. Habes in Ecclesiastico quod qui abstinens est adiiciet vitam. Et quam sufficiens est hominum eruditio vinum exigiuum, et in dormiendo non laborabis ab illo et non senties dolorem. Aristoteles etiam tam de somno et vigilia quam in lib. politicorum scripsit: vinum bibere non convenire pueris, sed bonum sine illo esse. Ex quo quandoquidem compertum est pueros hebetiores fieri (sicut est apud Aulum Gellium in Noctibus Atticis libro III.) atque hinc elici surditatem, inproceraque fieri corpora eorum minusque adulescere. Omnia vero contrario modo evenire

Vinum olim pueris inhibitum.

Pueros minus sitire quam viros.

Ebrii cito senescunt.

Frugalitas mater est bonae valetudinis.

Vino inprocera fieri corpora puerorum. his qui parce tam vino quam cibo utuntur. Hi enim diutissime vivunt et sani ac integri ad senectam proveniunt. Et cum senectutis multa sint et prope infinita incommoda, nullus tamen minus sentiet onera senectutis quam qui vel abstinens vel abstemius est. Vidi ego multos in senectute foelicissimam egisse vitam qui vinum non biberunt. Immo acere non possum, quin tibi quempiam in medium afferam, ut exemplis magis iudicaris, si forte dictis fidem adhibere nolles. Nosti tu ipse egregium illum et venerandae caniciei senem Joannem utriusque regis nostri nutricium, quem tota Pannonia quia vino careat et abstemius sit, Bornemyssa vocat, quam agili sit corpore, quam sana mente, ut qui cum duorum fere seculorum homo sit, non tamen in illo aspicies quod oculi eius caligent, aut aures graviter audiant, aut capilli fluant, facies in turpem pallorem mutetur, dentes minuantur, cutis arescat, pectus suffocetur, quod tussi cachinnet aut gemma trepident, aut tali et pedes tumore inflentur. Cum tamen si illum currentem aspicias, diceres vix duorum esse lustrorum hominem, nisi canicies monstraret, quae homini in senectute est propria et naturalis, in quo nec virtutes corporis sensitivae minui incipiunt, nec sapientia crescere desinit, qui et in gravitate morum adeo maturus est in reprimendis vitiis fortis, in constantia et autoritate praecipuus, in verbis dulcis et affabilis, in sententiis sapiens et subtilis, in aetate ac mente honorabilis, in consilio prudens, in animo non pusillanimis aut formidolosus, ut nullus sit qui eum videns non statim vel in admirationem vel in suas laudes sponte prorumpat, eiusque naturam non extollat; nisi enim laudatissimi illius senis et abstemi temperantia cum sobrietate coniuncta, nisi maturum consilium cum fortitudine et audacia superiore anno fuisset, nullum dubium est, quin actum erat non solum de nobilitate, sed certe de tota patria, dum furiae illae infernales Cruciatorum gens nihil praeter crucem Christianum habens in vino et sanguine ratione demersa baccharetur, et more ferarum saeviret Georgium Siculum ducem suum et beluam illam mero spumanten et temulentum Belial sequens Christum blasphemans et negans sub quodam religionis et bonitatis praetextu,

Laus Joan. Bornemyssae.

Cruciferi nihil praeter crucem Christianum habent.

innocentiam extirpans, solam crudelitatem summam virtutem credens, cui sceptrum regium et administratio imperii deberetur. Cum enim iam fere Hungaria in gladio et sanguine occupata Budam regiam sedem expugnare moliretur, et castra ad primum ab urbe lapidem locasset, hoc solum et extremum sui laboris opus credens, quod regem iam senio confectum cum liberis Ludovico rege et Anna regina intercepisset, nec amplius inveniretur, qui pro regibus et patria se opponeret. Ecce hic solus abstemius senex herculem audaciam resumens, canumque caput devovens cum hydra multorum capitum belua bellum suscipit, solus sobrius cum bacchanalium exercitu inter merum et sanguinem fatigato congreditur, et victor evadit, ac patriam et reges sua virtute a tanto periculo liberat, dignus certe qui instar numinis coleretur, et non solum laurea vel querna sed aureo profecto corona insigniretur. Tanto utique merobibis praeferendus, quanto dignus fuit, ut sobrius cum paucis plures vinceret, qui vino aestuantes ignominiam honori improbitatem virtuti crudelitatem pietati praeferebant. Mulieribus quoque Romanis et totius Latii Romulus ad vetitam Venerem inhibendam perpetuum vini usum interdicit, temulentiam ipsam principium corruptionis in foemina esse ratus. Quia, ut scribit Val. Maximus libro II. proximus a Libero patre intemperantiae gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit. Quaecunque enim, inquit, foemina vini usum immoderate appetit et virtutibus ianuam claudit et deliciis aperit. At sobrietas, Augustino teste ad sacras virgines, in foeminis ad terram deponit aspectum, ebrietas vero amisso pudore inverecundos erigit vultus. Sobrietas cum summa trepidatione et silentio irreprehensibili emittit verbum, ebrietas vero impudoratum facit foeminae et sermonem et vultum. Sobrietas enim in foemina mentis et sensus est membrorum omnium corporisque tutela, castitatis pudiciciaeque munimentum, pudori proxima, amiciciae pacisque serva, honestatique semper coniuncta, criminumque omnium vitiorum profuga. Mutius enim Scaevola legem statuerat, ut si qua mulier vinum bibisset vestalis nunquam fieri permitteretur, et ab hoc, teste M. Catone, mos ac consuetudo in civitate

Mulieribus Romanis vinum bibere non licuit.

Sobrietas tutela castitatis et pudiciciae est.

inoleverat, ut viri ac propinqui domum reversi coniugis ac filiarum osculum poscerent exploraturi an temetum olerent. Propterea aiunt Aegnatium uxorem suam ex dolio fuste interfecisse, quia vinum bibisset et a Romulo caedis absolutum. Cn. Domitius iudex mulierem quandam dote mulctavit, quod vinum inscio viro suo gustasset. Stulla item morte damnata est ob eam ipsam caussam, auctor est Dionysius in libris antiquitatum. Et alia matrona, sicut recitat Fabius Pictor in Annalibus, inedia mori coactae (!) est, quia loculos in quibus erant claves cellae vinariae resignavisset. Foeminas item caeteras ac coniuges ipsi prisci Romani cum primo nuptiarum die tum etiam reliquo tempore vinum nimium modice sumere voluerunt, maxime vero cum proli vacarent, quod illis gravidis vinum noceret, partusque ignavos redderet. Nam et Aristoteles probat, quod vinolentorum genitura sit et aquosa et infoecunda. Et Plutarchus in libello de educandis liberis praecipit, quod hi qui se mulieribus gratia generandae sobolis admovent, omnino sobrii aut vino saltem modestissime delibato congressum faciant. Quibus enim ex initio, ut a genitoribus per ebrietatem seminarentur accidit, hi vini ac temulenti nimirum esse solent. Eapropter cum Diogenes quendam ex temulentia alienatae mentis adulescentulum desipere cerneret. O adolescentule, inquit, ebrius te seminavit pater. Vinum etiam virginibus venenum est. Unde ita scripsit Hieronymus ad Eustochium: Sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. Haec adversus adulescentiam prima arma sunt vinum. Non sic avaritia quatit, inflat superbia, delectat ambitio, facile aliis caremus vitiis. Hic hostis intus est inclusus, quocunque pergimus nobiscum inimicum portamus. Vinum et adulescentia duplex incendium voluptatis. Quid oleum flammae adiicimus? Quid ardenti corpusculo ignea fomenta ministramus? Caeterum obiicies, ut nuper leges latas fuisse ad mulierum saltem retundendam intemperantiam ne vinum biberent, et exinde impudiciciae notam incurrerent, sive ad puerorum tuendam innocentiam, non autem virorum. Tanquam vero viris vel impune liceat in furiam agi, et vini abuti temperantia, vel aquam tanquam non necessariam (qua tamen nullum fere elementum omni-

Gravidis matronis vini usus interdictus.

Vinum venenum est virginibus.

bus animantibus magis necessarium est) aut corporibus exitiosam ab humano usu excludere. At cur Romani ita servis ac mancipiis omnibus, ita magistratibus et oratoribus, et his qui Reipublicae consulunt ut foeminis vini usum inhibuerunt? Cur aegrotis ferme omnibus et semper medici vinum interdicunt? An propterea, ut ait Cicero III. de natura deorum, quod raro prosit, noceat autem saepissime? Tanquam melius sit omnino non adhibere, quam spe dubie in apertum periculum incurrere. Cur Aristoteles, Plato et Galenus medicorum princeps extollant et laudent legem illam Carthaginensium, quae olim nulli vinum degustare permittebat, dum militantes castrensibus rebus incumberent, sed toto militiae tempore omnes aquam bibere voluit? An ideo quia vino ad laborem ferendum homines remollescant? Cur Locrenses Zephyrii legem Seleuci non improbantes attentius observarunt? quum tamen illis si quandoque vino usi fuissent capitales indicebat supplicium. An ideo, quia sine eo et honestati et reipublicae suae magis consulerent? Cur Caesar in commentariis suis consuetudinem Suevorum Germaniae populorum non itidem improbavit? Qui vinum ad se importari omnino non sinebant. An idcirco quod ea re corpora subnervari arbitrarentur? Cur ita Nervii populi, eodem teste, inter Belgas hoc moris habuerunt, ut nullus mercatoribus ad eos aditus esset, nihil vini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium patiebantur inferri? An ideo, quia animos his elanguescere virtutemque remitti cognoscerent? Cur Turcae adhuc ex lege Mahumeti et Saraceni ex antiqua Arabum consuetudine vini usum capitale crimen ducant? An ideo, quia recta ratione subnervata et intellectu omnino deturpato homines saepissime in bruta et irrationabilia transmutet? Cur item adhuc multi patres religione et sanctitate insignes in monasteriis et coenobiis viventes, non helluones, sed potius antiquos patres et sanctos viros imitantes parcissimo vino utantur? Qualis fuit Paulus, qui bonum dixit esse non bibere vinum, Sanctus Petrus qui pane olivis et aqua saltem quae initia hominis fuerunt, post domini ascensionem vixit; Ut Jacobus cognomento iustus, frater domini, qui nec vinum nec syceram bibit; ut Paulus

Aegrotis vinum semper obfuit.

Carthaginensium lex in castris vinum non patiebatur esse.

Suevi populi vinum ad se portari non sinunt.

Religiosi et sancti patres vinum non bibentes.

et Antonius eremitae, qui post esum panis a corvo accepti ad fontem accedentes et prono ore manibus concavis aquam semper haurientes sitim expellebant; ut item Onofrius, Honoratus, Pastumius, Apollonius, Dorotheus, Hor. Hylarion, Pambus, Romualdus. Columbanus, Maxentius, Benedictus et Aegidius abbates. Fulgentius item Amandus, Germanus, Gregorius, Lupus, Blasius, Erasmus episcopi; et alii plures ut Timotheus, Hospicius, Franciscus, Euagrius, qui omnes partim in coenobiis, partim in solitudinibus ac desertis vitam ducentes, vel omnino nunquam vel rarissime vinum gustare

Graecorum modestia in bibendo vino.

voluerunt solo pane et aqua tota vita sua utentes. An ideo, quia deum impediri per id existiment? Cur item veteres Graeci illi omnium sapientissimi adeo et aquam et vini moderatum usum laudaverunt? ut duos vini cyathos non aliter quam ad quinque aquae dilutos bibere solerent, vel unum vini ad tres aquae cyathos. Author Athenaeus. Vel si tres partes lymphae essent, quarta vini addebatur; author Hesiodus. Vel si una ad duas aquae; author Anacreon. Vel si dilutione uti vellent, non aquam mero, sed merum aquae addebant, vel ut minimum vini facilius misceretur; author Theophrastus. Sed nec aliter probabant bibendi consuetudinem, sive quis ad numerum et memoriam amicorum, sive musarum, sive gratiarum biberit, nisi citra probrum praescriptum poculorum observaverit, ut quibus ultra tertium

Praescriptum poculorum.

craterem attingere infame erat. Unde quidam extulit tris tantum crateras his qui sana sunt mente propino. Primum sanitatis, secundum voluptatis, tertium somni, ulterius probri est. Et alter primam potionem distribuit gratiis, horis et Dionysio (!), secundam Veneri et Dionysio, tertiam probro et damno. Quid multa? Aquae certe tanta vis esse dinoscitur, ut non per aliam viam quis celerius cum ad virtutem tum ad deum perveniat, nisi per eius usum et vini ac carnis

Minos rex legem a Iove accipit propter abstinentiam.

abstinentiam. Quia enim Minos Cretae rex et dominus per spacium novem dierum summa erat usus abstinentia, meruit ut legem a Jove acciperet, quam Cretensibus primus proposuit. Quia Helias prophetarum et religiosorum princeps, dum ad filiam Sareptanam pervenisset, non carnes, sed panis buccellam, non vinum sed aquam expetisset. Propterea

a deo altissimo obtinuit, ut et sapientius prophetaret, et ab angelo nutriretur. Sed non carne vel vino, verum pane et aqua. Demum et hoc meruit, ut vivus flammeo curru in coelum usque raperetur. Ita et Moyses non quia ebrietati et crapulae indulsisset (prout multi cum Dathan et Abyron qui male perierunt) a deo in monte Sinai legem accepit, sed quod quadraginta diebus abstinuisset. Quid dicam de Joanne Baptista primo sub novo testamento religionem inchoante? Nonne et ipse ultra omnes sanctitate commendatus ob hoc quia vinum non biberit, de quo ita loquitur Christus Matth. III.: Venit ad vos Joannes non manducans neque bibens vinum. Quid Daniel propheta? An et ipse negandus est per vini abstinentiam tantum meruisse, ut omnes magos et ariolos transcendendo in cognitione somniorum et visionum summus evaderet? dum legumina et ipsam aquam regio cibo et vino praeferret, cui postea etiam mysterium passionis atque incarnationis Christi revelatum fuit, et ob hoc preces ipsius ita a deo exauditae fuerint, quod et angelum consolatorem audivit, et Nabuhodonosor regis Babyloniae poenam, qui videlicet ex iusto et districto dei iudicio propter intrinsecam animi elationem in bestiam transformatus, septem annis inter bruta animalia vivere debuit, in septem tantummodo menses redegit. Ipse enim haec de se loquitur: In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desyderabilem non comedi, caro et vinum non introierunt in os meum. Et ideo angelus dixit ei: Ex die primo quo tu posuisti cor tuum, ut affligeres te in conspectu dei, exaudita sunt verba tua. Propterea etiam Rhecabitarum a domino deo maximopere commendata est abstinentia, qui patris praeceptis obtemperantes scyphos et calices vino plenos cum sibi propinarentur respuerunt. Non bibemus vinum inquiunt, quia Jonadab filius Rhecab pater noster praecipit nobis dicens: Non bibetis vinum vos et filii vestri usque in sempiternum. Quamobrem merentur a domino audire. Non deficiet vir de stirpe Ionadab, filii Rhecab stant in conspectu meo cunctis diebus. Praeterea non parvi fuit meriti abstinentia (quam Hieronymus miratur) antiquorum sacerdotum, qui semper carnibus

Joan. Bapt. a Christo commendatur quod vinum non bibet.

Nabuhodonosor rex in bestiam transformatur.

Rhecabitae scyphos et calices vini respuunt.

Antiqui sacerdotes vino et carnibus abstinuerunt.

et vino abstinuerunt propter tenuitatem sensus quam ex his patiebantur, et propter libidinis appetitum, qui ex hac potione nasci solet; pane vero raro vescebantur, ne onerarent stomachum, oleum tantum in oleribus noverant, et hoc etiam parum propter nauseam levandam. Volatilium autem atque ovium carnes ita vitaverunt et lac, ut alterum ex his carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicerent solo colore mutato, tanquam in eo compertum haberent, quod per huiusmodi abstinentiam orationes iuvarentur. Ita enim Israelitae saepissime maximas multorum hostium copias ut Holofernis, filiorum Beniamin, Philisteorum, ac aliorum devicerunt, qui prius ieiunaverunt, deinde oraverunt, et demum victoriam reportarunt. Item dum per abstinentiam se citius peccatorum indulgentiam a deo posse impetrare crediderunt. Quemadmodum et Ninivitae quibus comminatum erat, ut civitas propter eorum peccata submergi debuisset, at quia dum a maximo usque ad minimum se per abstinentiam affligerent, meruerunt, ut nec peccata eorum recordarentur, nec civitas demergeretur. Quia autem discipuli domini abstinere nesciverunt, ideo eos post coenam Christus durius increpabat, quod una hora secum vigilare et orare non potuerint. Quod praesertim abstinentia valeat ad vigilias et orationes perficiendas, sicut etiam ad victoriam cum temporalem, tum spiritualem consequendam non parum facere videatur. Prout legimus in libris Iudicum, quod in trecentis viris aquam bibentibus dominus populum suum liberaverit. Et Manuae sterilitatem uxoris accusanti precesque ad deum profundius porrigenti angelus non aliter posse uxorem eius concipere respondit, nisi abstinentia uterentur. Unde demum et exauditi fuerunt et Sampsonem filium fortissimum bellatorem habuerunt. Quin et Christus cum discipulos suos ad praedicandum mitteret praecepit hoc in primis, ut cum in hospicia venirent de appositis contenti essent, comederent et biberent quae apud illos essent, delicata vero minime expeterent, ne crapula fortassis et ebrietate caeterisque deliciis supplantanti officii ad quod missi erant obliviscerentur, eosque (unde saepe multa mala eveniunt) vinum seducerut. Quod Noe proprium illexit authorem, eumque qui primam vineam

Filii Israel semper per abstinentiam hostes vicerunt.

Christus increpat discipulos.

plantaret, primum vinea supplantavit et ad derisum propriorum filiorum suorum exposuit. Ille enim, ut dixit Hieronymus, ad unius horae ebrietatem nudavit femoralia sua, quae per sexcentos annos contexerat. Idem: vinum Loth divino iudicio tot ex millibus hominum solum iustum in horribilem filiarum praeciptavit incaestum, et eum quemadmodum extulit Augustinus super Genesim, ebrietas decepit ac vicit, quem Sodoma decipere et vincere non potuit, uritur ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma non urebat. Vinum Amon fratrem primogenitum cum propter violatae sororis iniuriam iratus Absalon perdere decrevisset, vino gravem iussit interfici, quamvis et aliter posset, sed sic vinum possessores suos faciles praebet excidio. Quod etiam Nabal Carmelum suae huic imbecillitatis et in David regem contumeliae, illinc regiae potestatis oblitum in convivio detinuit. Cui iamiam mors ebrio immineret, nisi vini periculo providentia uxoris occurrisset. Vinum quoque maximos saepe duces turpissime vicit et peremit. Testis est in ea parte Holofernes Assyriorum militiae princeps, qui cum devicisset universarum provinciarum et urbium Syriae reges puta Mesopotamiae, Sodal et Lybyae, Ciliciae atque Apomeae. At demum et a vino vincitur et a foemina obtruncatur, dum in obsidione Bethuliae civititatis Israel Judith foeminarum omnium pudicissimam et viduam coram se adductum inhonestius adamasset, vinique ob eius praesentiam tantum bibisset, quantum antea nunquam. Videsne quam turpe sit, ut quem non vincit homo, vincat libido et obruatur vino, qui non vincitur ferro. Et penes quem palma fuerit vincatur a dolio. Sed venter mero aestuans cito despumat in libidinem. In vino enim luxuria est, in luxuria voluptas, in voluptate impudicicia, et qui luxuriatur vivens mortuus est, qui autem inebriatur et mortuus et sepultus. Vinum itidem contumacissimas et bellicosissimas gentes hostibus tradidit, iugumque recusantes in alienum redegit arbitrium, invictos enim acie mero domuit. Nam cum Cyrus Scythis bellum intulisset vadumque fluminis Araxis transisset, aliquantulum procedens castra metatus est, et postera die quasi timore perculsus castra fugiens deseruit. Vinum

Noe primus vini inventor propter ebrietatem a filiis deridetur.

Loth ex vino incestum cum filiabus commisit.

Holofernes gentium victor a vino et femina vincitur et obtruncatur.

Qui luxuriatur vivens mortuus est.

tamen affatim et ea quae erant epulis necessaria reliquit. Erat autem tunc Scytharum regina Thamyris recognita filium adulescentem ad persequendum eum cum tertia parte copiarum misit. Cum autem ad castra Cyri venisset, quia militaris rei ignarus erat, veluti ad epulas, non ad praelium venisset, omissis hostibus insuetos barbaros imo se onerare patitur, priusque Scythae ebrietate quam bello vincuntur. Nam cognitis his Cyrus reversus per noctem saucios opprimit, omnesque Scythas cum reginae filio interfecit. Sed tamen quibus ille artibus Massagetas vicit, eisdem illis paulo post victus ignominiosissime occubuit. Cuius caput in utrem vino et sanguine refertum iniectum est, merita utique affectum mercede, ut qui per elusionem vini in recompensam sanguinem expetiverat et sitiverat, et vino tunc et sanguine satiaretur. Ita Annibal missus a Carthaginensibus adversus Afros rebellantes cum sciret gentem avidam vini esse, magnum eius modium mandragora permiscuit, cuius inter venenum et soporem media vis est. Tunc praelio levi commisso ex industria cessit, nocte deinde intempesta relictis intra castra quibusdam sarcinis et omni vino infecto fugam simulavit. Cumque barbari occupatis castris in gaudium effusi medicatum merum avide sumpsissent, et in modum defunctorum strati iacerent, reversus Annibal illos cepit et trucidavit. Quid loquar de hoc? Quod olim Galli gens alioqui natura ferox, ita corporis vastitate ut armis terribilis et plane ad hominum interitum atque urbium excidium nata vini dulcedine, ut Livius ait, adlecti in Italiam a principio impetum fecerunt, vastatis omnibus intermediis, occupatis locis ab Alpibus úsque ad Padum, a Pado usque ad urbem, urbe incensa et tota ferme ferro et manibus solo aequata, Romanis indiscriminatim pro maiori parte iam occisis et mactatis, iam post exilium Camilli solo Capitolio restante, quod fatigare et expugnare debuerant. At illi vino expugnati cum interdiu regionem pervagati, vino pressi, soporeque iacentes passim per castra dormirent, ecce Camillus patriae misertus illos noctu adoritur, vallo superato in quoscunque ensis late pervagatur, nec ab ullo revocatur pectore ferrum, sic illi primum vino sibi fortunam, deinde poenam et excidium com-

Cyri ignominiosa mors.

Annibal vino mandragora mixto Aphros superat.

Camillus Gallos vino sepultos extirpat.

pararunt. Sic Syracusani cum Dionem nobilem virum factione invidorum urbe expulissent, a Leontinisque et Dionis obsidione tenerentur, ac quasdam obsidentium triremes frumento ac pecuniis oneratas recepissent, adeo ob eam victoriam elati sunt, ut iam hostibus contemptis voluptatibus immersi non nisi Veneri et vino indulgerent. Hostes itaque populum conspicati crapulis somno vinoque sepultum prima luce arcem impetunt, obvios pro libidine occidunt, aedes diruunt, mulieres puerosque abducunt, urbem moerore desperationeque implent. Ipse vero Dion cum Nypsio promptiore manu urbem invadens omnia propulatur, omnia diripit, et caesis utriusque sexus hominibus, omnia igni ferroque mandantur. Simili modo deinde iidem in manum Marcelli ditionemque Romanorum devenerunt. Sic et Babylonii a Persis et victi fuerunt et in potestatem Cyri redacti. Sicque publica ebrietas multorum annorum pertinancia bello defensa moenia saepe patefecit, sicque plurimae urbes diu obsessae nec raptae custodibus somno vinoque sepultis ab hostibus patefactae sunt et incendiis concrematae. Sic infiniti (?) nimio vino impellente iniusta impiaque homicidia commiserunt. Unde cecinit Virgilius in opusculo de Venere et Vino:

Syracusani per ebrietatem in manus Marcelli et Ro. veniunt.

Vini et Veneris natura ac vitia.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore
  Uno namque modo vina Venusque nocent,
Ut Venus enervat vires sic copia vini.
  Et tentat gressus, debilitatque pedes.
Multos caecus amor cogit secreta fateri
  Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum saepe petit ferus exitiale Cupido.
  Saepe manus itidem Bacchus ad arma vocat.
Denique cum mentes hominum furiarit uterque,
  Et pudor et probitas et metus omnis abest,
Compedibus Venerem, vinclis constringe Lyaeum,
  Nec te muneribus laedat uterque suis.

Si quid praeclarum possit edi ab his qui vino abstinent.

Sed ut tandem finiam de his, iam tacebo, quae de vini ac ebrietatis incommodis scripta sunt. Revertar ad secundam propositionis tuae partem, ubi niteris asserere, quod nihil ab ingeniosis vel oratoribus vel poetis praeclarum edi possit nisi per vini mysterium audendo totam caussam tuam in medium allatam ex cuiusdam temulenti poetae (sive is

Demetrius, sive Niceratus sive alius quispiam fuerit) disticho defendere et salvare qui dixit:

> Dulce merum musis aequus est in carmine velox,
> Si quis aquam potas nil bene parturies.

Sed dii boni, quam haec ipsa dicta temulenta sint et vinum redoleant? Quaeris enim a me, utrum quispiam poeta repertus sit, qui vino abstinuerit; eo tamen animo, ut exprimeres idem, quod nullus bonus poeta possit esse, qui vino vel moderate utatur vel omnino careat, optimus vero ille sit, qui bene bibat et semper vinolentus ac ebrius sit, sicut Ennius, de quo dicitur:

> Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
> Venerat etc.

Qui viri insignis fuerunt infamiae ex Romanis.

Et ipse Niceratus etiam: Aquam autem bibens, bonum non faceres verbum. Quod ego omnino ita esse crediderim, si minus sit esse temperatum quam non temperatum. Et si in maiori habendi sint honore ac praecio vel Crassus, vel Scylla, vel Catilina, vel Septimilius, vel M. Drusus, vel C. Servius, vel C. Marius, sel Servius Galba, quorum alius cupiditatis, alius crudelitatis, alius perfidiae, alius luxuriae, alius avariciae, alius superbiae, alius voracitatis, alius item saeviciae crimine infamis erat, minori vero aestimentur praecio vel Cato exemplar et norma omnium virtutum ex sanctitate, gravitate, doctrina, integritate, frugalitate et caeteris moribus, vel Scauri ex gravitate et severitate vel Curius ex temperantia et probitate, Fabius Maximus ex moderantia, Fabricius ex iustitia, Marcellus ex pietate, Qu. et Mutius Scaevolae ex constantia, L. Paulus ex abstinentia, Qu. Crispinus ex mansuetudine, Regulus Attilius ex fidelitate, Qu. Metellus ex humanitate, Varro ex verecundia, Pompeius ex patientia, Horatius ex fortitudine, Curtius ex audacia, et demum Qu. Considius ex liberalitate. Vel si magis laudandus Bonosus ille Romanorum Imperator quam Julius Caesar, quorum iste solus etiam Catonis adversarii sui et inimici sententia ac iudicio ex Caesaribus propter sobrietatem ad roborandam rempublicam venerat, ille vero ad evertendam propter temulentiam, ut de quo Aurelianus dicere solitus sit, quod ille non ut

Julius Caesar solus sobrietate rempublicam Romanum roboravit.

viveret, sed ut biberet, natus esset, qui quantum bibendo turpiter ingresserat, tantum meiendo turpiter egerebat. De quo et hoc addam, quod dum ille a probro superatus vitam laqueo finisset, pensilemque se fecisset, per iocum non hominem sed amphoram pendere dicebant. Quod si ita esset, ut nihil praeclarum nisi in vino vel diceretur vel ederetur, cum tamen apud Graecos (uti pueri etiam noverunt) Demosthenes abstemius cum in moribus tum in orationis vehementia fuit praelatus Aeschini ebrioso? ut quod licet ei Aeschines inimicissimus esset, et contra eum capitalem ageret caussam, eius tamen eloquentiam cum in eo consyderasset, et acerrimum in dicendo oculorum rigorem, terribilemque vultum, pondus item singulis verbis accomodatum sonum vocis, efficacissimos corporis motus ita commendat: Etsi operi, inquit, eius nihil addi potest, tamen apud Demosthenem magna pars Demosthenis abest, quum loquitur potius quam quum auditur. Et item cum orationem Demosthenis contra se factam Athenis a legentibus admirari (!!) vidisset, protinus in eam vocem erupit: Quid si, inquit, bestiam illam orantem audissetis? Cur item Plato omnes illos qui doctrinae et sapientiae vacarent, a vino excludit, in festis saltem et sacrificiis illius usum eis permittens? Cuius non alia ratio assignatur, nisi quia vino ipsa ratio expugnatur. Quin et apud poetas inter potiora et eminentiora praecepta illud est unum, quod scilicet vino abstinere debeant, ut quod aliter nullus divinitatem eius artis assequi possit, nec alienam esse viam ad gloriam perveniendi, quod nec Horatius (tanquam non sine magno piaculo praetereundum) omisit, idem affirmans, quod omnes clari poetae observaverunt.

Oratio Demosthenis contra Aeschinem.

Poetarum praecepta de vini abstinentia.

> Qui studet, inquit, optatam cursu pertingere metam,
> Multa tulit fecitque puer sudavit et alsit;
> Abstinuit Venere et Baccho qui Pythia cantat.

Idem affirmat Juvenalis:

> Fuit utile multis
> Pallere et toto vinum nescire Decembri.

Tanquam minus deceat, ut ille sublimitatem cogitationum vino praepediat, qui in ipsa fronte divinitatem gestare debeat. Talis tamen est poeta, qui sublimioribus vacans et

Poetae in ipsa fronte divinitatem gestant.

omni humanitate sub se relicta altiora petat, in coelis habitet, divinis admixtus consiliis.

Qui fugit a terris procul alta per aequora solus,
Non scopulos, non saxa timens, non aeris iras,
Temonemque suum ventosi cerula ponti.
Sulcantem vada sublevet et premat arte,
Qui quoque nescio quid divini numinis instar
Fronte gerens oculos in se convertit et ora
Nectar ab illius labris et Hymetia mella
Flumine perpetuo stillant dicentis ab ore
Aurati pendent proceres patrumque corona.
Quem semper quocunque petat comitantur euntem
Mnemosynae etc.

Poeticus furor unde proveniat.

Sed dices tamen huiusmodi poetarum divinitatem quam etiam furorem nuncupamus, non esse aliunde nisi a vino et Baccho, qui alias ob id poetarum deus appellatur, quod in furorem eosdem agat, ut olim suos ministros ac sacerdotes in sacris inter vina et epulas cum foeminis occupatos, et ideo tunc solum eos res stupore et admiratione dignas canere, cum tali furia et oestro Bacchico afflati sint, minus autem aptos esse si sobrii fuerint. Ego vero ingenue negaverim hoc verum esse, magis physicis rationibus inductus, et testimonio cum Aristotelis, tum Platonis et aliorum quam ut male opinantibus credam. Author est Aristoteles in bona fortuna furorem sive impetum divinum fieri, non a vino, sed ab intelligentia movente orbes et dependente a deo tanquam a fine alicuius gratia constellationis ad hoc organis et virtutibus dispositis, spiritibusque clarificatis, quae sunt in hominibus temperatis. Quoniam hi secundum Aristotelem XXII. Problemat. V. facile passibiles sunt, et item in hominibus melancholicis, quorum humor niger secundum eundem XXX. Problemat. I. Temperatus facile inflammatur et iteram congelatur. Et hi ita dispositi facilius obediunt huiusmodi impressionibus divinis. Fit etiam idem impetus et furor ex constellatione Mercurii et Saturni, quorum iste, quia planetarum est altissimus, homines ad altissima evehit, illo vero mobiles et deorum nuncius ac interpres, eloquentiam praebet et industriam. Qui utique ita dispositi impetu et furore illo divino agitante, mox sine longa inquisitione et rationis dis-

Divinitas poetarum unde est.

Constellationes etiam operari in poetis.

cursu sensus reconditis metris exprimentes divina enunciant, quae postea abeunte furore aut vix, aut nullo modo ipsimet intelligunt, tanquam si non ipsi pronunciaverint, sed Deus ex ore eorum fuerit locutus. Quibus sic stantibus non solum poesis, sed et ceterae divinae artes et occulta morborum remedia in lucem producta sunt. Eadem sunt quae ipse Plato de Hesiodo, Homero, Orpheo et Pindaro scribit in libello qui Ion dicitur. Qui haec sub tribus signis comprehendens negat quempiam posse bonum effici poetam, nisi divino spiritu afflatus sit et motus. Ex quibus hoc tertium est, quod hi qui boni sunt poetae nec natura erunt prudentiores, nec labore et assiduitate, immo minus vini potatione evadunt doctiores, verum solo furore divino excitantur. Hoc est quod Horatius Flaccus in institutionibus poeticis extulit:

Nullum esse poetam nis divino afflatus sit spiritu.

Poeta nec natura, nec labore, sed solo divino furore excitatur.

> Ingenium misera qui fortunatius arte
> Credit et excludit sacros Helicone poetas,
> Democritus.

Hoc est quod Ovidius dixit:

> Est deus in nobis, sunt et commercia coeli,
> Sedibus aethereis spiritus ille venit,

non autem dicit a vino. Idem:

> Nos sacri vates et divum cura vocamur,
> Sunt etiam qui nos numen habere putent.

Idem:

> Est deus in nobis, agitante calescimus illo
> Impetus hic sacrae semina mentis habet.

Idem:

> Ista dei vox est, deus est in pectore nostro
> Nam duce praedico, vaticinorque deo.

Sic Claudianus de raptu Proserpinae:

> Iam furor humanos nostro de pectore sensus
> Expulit et totum spirant praecordia Phoebum,

non autem Bacchum vel vinum. Sic etiam Cicero dixit: „Atqui sic a summis eruditissimisque hominibus accepimus caeterarum rerum studia et doctrina et praeceptis et arte con-

stare, poetam natura ipsa valere et mentis viribus excitari, et quasi divino quodam spiritu infiammari. Quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poetus, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur". Alibi: „Mihi vero ne haec quidem notiora et illustriora carere ut divina videntur, ut ego aut poetam grave plenumque carmen sine coelesti aliquo mentis instinctu putem fundere, aut eloquentiam quandam sine vi fluere abundanter sonantibus verbis uberibusque sententiis. Ob hoc veteres Apollini consecrabant tripodem, ex quo vaticinantes de tripode loqui dicebantur. Et inde etiam est quod testautibus gravissimis philosophis, olim nullum genus scriptorum fuit, quod par poetis fieri poterat nec magnitudine eloquentiae, nec divinitate sapientiae. Quod poetae primi et theologi et sapientes habiti fuere, Aristotele et Platone testantibus, hinc sancti et divini, hinc patres omnis virtutis, hinc ductores totius sapientiae nuncupati sunt, non quidem ex vini mysterio, sed ex vitae temperantia. Unde divinitas ipsa comparatur, ex intemperantia autem et vini superfluitate dementia et insania. Quae et in Aeschilo (!) poeta temulento reprehensa est; in eum enim ita Sophocles cavillans dicit: O Aeschile, si ea quae conveniunt facis, non tamen intelligens facis. Quae nec in Thimocreonte (!) poeta laudata est. Ille siquidem etiam post mortem ob vitium temulantiae ita infamatus est, habens hoc epigramma in sepulchro:

Poetae sancti nuncupati.

Nullum genus scriptorum par fuit poetis.

Multa libens, tum multa vorans, male denique dicens
Multis, hic tegitur Thimocreon Rhodius.

Qui si poetam aliquem, prout nuper proposuisti, nominare nescivero extempore in praesens qui abstemius fuerit, non tamen ob id concedam omnes temulentos fuisse et omnia quae composuerunt per temulentiam edidisse. Neque ideo aquae contemptores (de extremis enim nobis certamen est) fuisse, ut qui per aquae virtutem potius quam vini et facundiam acquirebant, et nomina poetarum sortiebantur. Quis enim haec vel ex pueris donatum ediscentibus non novit Musas (quarum adminiculo et numine poetae ipsi sunt et

Poetae ex aqua nomina et facundiam sortiebantur.

vivunt), non in vino, sed in aqua suas et quidem perpetuas habere sedes. Quibus fontes Castalius, a quo Castalides, Libetron a quo Lybetrides, et alii ut Helicon, Pympleus, Hippocrene, Aganippe sacrati sunt, Ovidio ita testante:

Dicite, quae fontes Aganippidos Hyppocrene
Grata Medusei signa tenetis equi.

Et nec aliter quispiam vel facundus vel poeta efficiebatur, nisi ex his fontibus degustasset. Atque hinc est, quod boni poetae naturaliter rura sylvas, montes urbibus praetulerunt, tum ut commodius inter fontes et rivulos Musarum uterentur consortio, tum ut extra populares strepitus, extra merobiborum et temulentorum fastidia, extra theatra et forum cupedinarium sublimiora meditari possent; carmina equidem secessum scribentis et ocia poscunt, unde et Horatius Flaccus subdit ad Florum, ita scribens:

Poetae in sylvis et montibus habitarunt.

Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbem,
Rite cliens Bacchi somno gaudentis et umbra:
Tu inter strepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere et contracta sequi vestigia votum?

Item:

Hic ego rerum
Fluctibus in mediis et tempestatibus urbis
Verba lyrae motura sonum committere digner?

Et ne omnino videare de aqua triumphum petere, tanquam cuius virtutes mille penitus sint tuo iudicio, discutiamus rogo tandem, in quibusnam gradibus vinum praestantius sit aqua? Vinum dices inter caeteros liquores et succos arborum obtinere principatum. At ego inter elementa primas partes aquae authoritate summorum virorum praebere non reformidabo, ut quod (!) elementum sit caeteris utilissimum, tanto utique vino praestantius, quanto elementa arboribus sint priora et praestantiora. Quod sine arboribus et sine arborum succis recte vivere (prout excepto homine solo omnia animantia semper vivunt) possumus sine vero elemento aquae minime. Nam totum humanum genus olim sine vino per duo millia ducenta et quadraginta duo annorum spacia quam

De aqua triumphum petere.

Aquae mysteria ad comparationem vini.

mundus creatus est, quod per tot secula utique non alio potu nisi aquae usum est. Si vinum corpora confortat, corda laetificet, nutrimentum corpori praebeat, calorem naturalem conservet, sanguinem abundare faciat, venarum ora aperiat, vigorem citius membris administret, sed nec quidem aliter nisi admodum modice sumatur. At ipsa aqua coelum temperat, unde corpora vegetantur et reguntur, terram foecundat, unde omnia animantia cum homine victum habent. Aerem suis vaporibus incorporat, unde respirationem aptam habemus, quod utique vinum non faciet. Aqua in sublime scandit, et coelum sibi vendicat, vinum autem praeterquam ad cerebrum hominis sublimius ire nescit, sed id quidem etiam magnis saepe afficit malis. Aqua item omnium nascentium caussa est, ut quae fruges gignit, arbores et plantas educit, sordes detergit, peccata diluit, potum euntibus animalibus tribuit. Et cum terrae coniunctiva, repletiva, penetrativa et caloris coelestis nutritiva, omnium inferiorum temperativa fit, eo tendit, ut nisi haec inferiora suis opilationibus temperaret, omnia in conflagrationem vi caloris verterentur. Aquae praeterea ab animantibus potata nutrimentum transducit in carnis vegetationem et substantiam. Aqua piscibus dat spiraculum. sicut aer animantibus praebet vitam et animationem. Haec sui diffusione per interiores partes terrae facit partium eius unionem, nisi enim terrae pars cum parte humorositate aquea (!) uniretur, non est dubium quin per intensionem siccitatis in pulverem dissolveretur. Adde quod in nulla parte sunt plura quam in aquis naturae miracula. Quippe si cum Plinio verum fateri volumus nulla est potentia maior, quam sit potentia aquae, quae elementis imperat, terras devorat, flammas necat, nubium obtentu vitalem spiritum strangulat, fulmina edit ipso secum discordante mundo. Quid esse mirabilius aquis potest in coelo stantibus? At illae ceu parum sit in tantam pervenire altitudinem, rapiunt eo secum piscium examina saepe etiam lapides subeunt aliena portantes pondera, et eaedem cadentes omnium terra nascentum caussa fiunt prorsus mirabili natura, si quis velit reputare, ut quod omnes terrae vires aquarum fiunt beneficio, immo ipsum vinum quomodo nasceretur quomodo vites suos produceret

Vini virtus.

Aqua omnium nascentium caussa.

In nulla parte tot sunt naturae miracula, ut in aqua

racemos, si aqua et humore aqueo radices eius non irrigarentur? Quid dicam? quod aquae in plurimis locis et terris scateant alibi frigide, alibi calide, alibi promiscue auxilia morborum conferentes, et e cunctis animalibus hominum tantum caussa erumpentes. Feruntur aliae, quae alvos inaniunt, capiti auribus oculisque privatim medentur, nervis aliae prosunt, aliae pedibus, aliae luxatis et fractis membris sunt adiumento aliae vulnera sanant. Aiunt esse fontes in Sardiniae insula, qui oculorum aegritudines sanat, pandant et damnent fures, quos si flumen tangant, etiam excaecant. Villa etiam ab Averno lacu Campaniae Puteolos tendentibus imposita littori celebrata porticu et nemore, quam vocat M. Cicero Academiam ab exemplo Athenarum exiguo post obitum ipsius tempore Antistio vetere possidente eruperunt fontes calidi perquam salubres oculis, celebrati a Laurea Tullo, qui fuit e libertis eius tali carmine:

Aquae contra varios morbos remedia praestant

Quod tua Romane vindex clarissime linguae,
  Sylva loco melius surgere iussa viret,
Atque Academiae celebratam nomine villam
  Nunc reparat cultu sub potiore vetus,
Hic etiam apparet lymphae non ante repertae
  Languida quae infuso lumina rore levant.
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
  Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope,
Ut quoniam totum legitur sine fine per orbem,
  Sint plures oculis quae medeantur aquae.

In eadem Campaniae regione Sinnessanae (!) (= Sinuessanae) aquae sterilitatem foeminarum et virorum insaniam abolere produntur. In Arcadia esse fontem, qui partum custodiat, et alterum, qui abortum fieri prohibeat, in Aenaria sive Pithecusa insula aquas esse quae calculosis medentur. Juxta Romam Albulae aquae vulneribus prosunt. Apud Sabinos aqua est gelidissima, quae aptissima sit stomacho, nervis et universo corpori. Lacus Amphion itidem universi corporis vitium, quod vitiligo dicitur, tollit. Cydnus Ciliciae amnis podagricis medetur. Tungri civitas Galliae fontem habet insignem, qui corpora purgat, tertianas febres discutit, cal-

Arcadiae fons.

culorumque vitia. His multo maiora superunt, ut tandem ad sacramenta veniam, qnae divina sapientia saepius aquis quam vino comparata, potiora ad salutem humani generis in aquarum substantia condidit. Est fons iuxta omnium fere templorum (quem sanctificatum appellamus) aditus scatens, cuius aqua multimodis purificationibus praeparata, virtuteque benedictionis accepta tantum habet mysterium, ut divinae gratiae sumat effectum, ut per invocationem divini nominis quicquid sive in domibus, sive in locis fidelium haec unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa, omnen potestatem, omnem infestationem immundi spiritus effuget et abiiciat, daemonesque cum omnibus spiritibus apostaticis eradicet et explantet, terrorem universi serpentis procul pellat, morbos elonget. Non illic spiritum pestilentem aut auram corrumpentem residere sinat, omnes insidias, phantasias, nequicias et versutias latentis inimici discedere faciat. Et quicquid inhabitantium quieti et incolumitati invideat, prorsus repellat, mundumque divinae gratiae habitaculum faciat. Cuius item aspersione nobis sanitas mentis, integritas corporis, tutela salutis, securitas spei, corroboratio fidei et charitatis fructus tribuatur. Est fluvius in Israel Iordanis dictus, qui mirabilem populo Israelitico in terram promissionis cum Iosue duce petenti praebuit transitum, sicut cum Moyse mare rubrum. Ingresso etenim illo Iordanem et pedibus eius in parte aquae tinctis steterunt aquae in loco uno, et instar montis intumescentes, apparebant procul ab urbe, quae vocatur Edom usque ad locum Sarthan, quae autem inferiores erant in mare solitudinis, quod nunc vocatur mortuum, descenderunt, usque quo omnia deficerent. Populus autem incedebat contra Iordanem, et sacerdotes, qui portabant arcem foederis domini, stabant super siccam humum in medis Iordanis accincti, omnisque populus per aventem alveum pertransibant. In eo Christus a Ioanne baptizari voluit, ut ex eo et caeteris aquis salutarem virtutem tribueret. In eius aqua (quam nos nunc aquam contritionis dicimus) lotus erat Naaman Syrus princeps militiae regis Syriae, et per iussionem Helisei septies ablutus a lepra mundatus, ita pure, ut caro eius

Divina sapientia aquis comparata.

Mysterium aquae benedictae.

Iordanis fluvius et quae in eo miracula fuerint.

Christus baptizatur in Iordane a Ioanne.

videretur sicut caro pueri parvuli, et per hoc nobis septem dona spiritus sancti perfigurata sunt, quae peccati sanguinem et squallorem abluunt. Est fons superne emanans aquas vivas habens sine initio, et sine fine, sine admixtione invisibilis et incorporeus. Cuius gustus, ut inquit Augustinus super Epist. Io. in quocunque fuerit tanquam radix illi erit, qui quamvis ardente sole arescere non potest, nutritur calore solis non arescit. Qui authore Gregorio in Moralibus suos potatores in septem virtutibus temperat, contra stultitiam sapientiam, contra hebetitudinem intellectum, contra praecipitationem consilium, contra timorem fortitudinem, contra ignorantiam scientiam, contra duriciem pietatem, contra superbiam timorem dare solet. Et, ut ait Bernardus, qui infirma roborat, aspera planat, corda purificat, hic illatum opprobrium gaudium iudicat, desperationem exaltationem esse persuadet. De quo id dicitur in Ecclesiastico, quod eius aqua extinguit ignem ardentem propter refrigerandi virtutem, qua a tentationum aestibus liberat. Et apud Esaiam, Omnes sitientes venite ad aquas. Item apud Ioannem Salvator exclamat ita: Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Haec enim est illa aqua salutaris, quam in evangelio se Samaritanae mulieri dominus pollicetur daturum, quam ei puteus Iacob praestare non potuit dicens: „Omnis qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam". „Item qui credit in me, (alibi dicitur) flumina de ventre eius fluent aquae vivae". Esaias ad idem extulit: „Servi mei bibent et vos sitietis". Psalmista: „Apud te est fons vitae". In quibus aquis etiam pietas consyderatur, quae fluentes sunt apud David prophetam: „Flavit spiritus eius et fluent aquae". Legimus apud Ioannem in Apocalypsi, aquas culpae et peccatorum denominatas fuisse, de quarum gustu homines in cladem et extremam perditionem deducebantur. Cecidit, inquit, de coelo stella magna ardens, et cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum, et nomen stellae dicitur absynthium et facta est tertia pars aquarum absynthium. Et multi homines mortui sunt ab aquis, quia amare factae sunt, et hoc ideo, quia timorem

Fons aquae vivae.

Aqua extinguens ignem ardentem.

Aquae peccati et culpae.

domini abiecerunt. Unde domiuus Deus per Ieremiam dixit: „Me dereliquerunt fontem aquae vivae et foderunt sibi cisternas dissipatas, quae continere aquas non valent“. Alibi: „Et nunc qui tibi vis in via Aegypti ut bibas aquam fluminis“. Propterea mandatum fuit Moysi in Exodo, ut sumeret aquam fluminis et effunderet eam super aridam, et quicquid hauriret de fllumine, totum verteretur in sanguinem. Et hae fuerunt illae aquae steriles et infoecundae, nullius

Aquae steriles et infoecundiae.

boni operis feraces, quas sanaverat Heliseus propheta, ita ut ultra in eis non esset mors neque sterilitas. Habetur in libro Genesis, quod Ana cum asinos in solitudine pasceret Sebeos, patris sui, invenerit aquas calidas, quae fidele vocantur, et timorem domini praefigurarunt (= profligaverunt). De quibus Esaias loquitur: „Panis ei datus est, aquae eius fideles sunt, cor ergo tuum meditabitur timorem“. Haec enim, quemadmodum scribit divus Bernardus in sermonibus, et si minus sit sapida, optime tamen refrigerat animam noxiis desyderiis aestuantem, quae iacula inimici ignita possit extinguere. Nam nec illud dissonat, quod aqua semper ima petit, et timor ad ima cogitationem deducit, et in inferioribus immoratur; atque loca horrenda pavida mente collustrat,

Probatica piscina in qua aegroti convalescebant et unde hoc?

iuxta illud Vadam ad portas inferi. Erat etiam Hierosolymis probatica piscina, quae hebraice cognominabatur Betsaida, quinque porticus habens. In his iacebat semper multitudo languentium, caecorum, claudorum, aridorum, expectantium aquae motum. Angelus autem domini descendebat secundum tempus in piscinam et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus fiebat, a quacunque detinebatur infirmitate, sive is oculis captus esset, sive pedibus claudicaret. Miraculosam utique habens operationem, quia miraculosum suo motu praefigurant myste-

Saba regina in spiritu praeviderat mortem Christi.

rium sacramenti. Legimus enim, quomodo Salomon rex dominicae crucis lignum longe ante Salvatoris adventum defodisset in terram, ubi temporum successu piscina illa probatica fuit facta, eo quod a Saba regina quae ipsius sapientiam audire venerat, edoctus fuisset hominem moriturum esse super eo, post cuius mortem gens Iudeorum una cum loco et imperio interitura esset, hoc enim illa ita

futurum esse in spiritu praeviderat. Et idem lignum deinde tempore gratiae et salutis aquae supernatavit et aquam commovit, e cuius motu aegroti convalescebant. Id plane denuncians, quod his (!) qui in eo ipso ligno pendere et mori debuit, totum humanum genus a languore mortis et diabolica potestate erepturus esset. Et etiam illud praefigurans aquarum sacramentum, quod in fide Christi consecratum et in fide ecclesiae collatum baptismi nomen habet, per quod principium alterius vitae accepimus, et primitias spiritus sanctissimorumque mandatorum, sanctarum actionum et aliorum divinorum eloquiorum initium deduximus in signum regenerationis sigilli, custodiae, et illuminationis. Quod tantae utique est virtutis, ut hominem a tota poena liberet, et a culpa tam originali, quam actuali, sive etiam exteriori poenitentia absolvat. Quod characterem imprimit, virtutes confert, coelum aperit, peccati fomitem debilitat et virtutes augmentat. Quod etiam illa aqua videlicet Siloe natatoria praemonstrat, ad quam cecum natum et per humorem sputi pulvere mixti litum ac sanatum miserat, ut in ea ablueretur. Cuius propria est illuminatio et a delictis emundatio, ac latentis spiritus sancti potestate carnalis immundiciae ac sordium abolitio. Et hae sunt illae refectionis aquae, in quibus David rex et propheta educatum gloriatur dicens: „Super aquas refectionis educavit me, animam meam convertit. De his ita Christus Salvator noster Nicodemo dixit: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit regnum coelorum". „Et qui, idem inquit, crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit." Hae item sunt illae aquae mundantes, de quibus Ezechiel propheta meminit his verbis ad Hierusalem: „In aqua non es lota ad salutem". Hae sunt aquae gratiae, quae in Apocalypsi divi Ioannis leguntur: „Ostendit mihi fluvium aquae vivae splendidum tanquam crystallum procedentem de sede dei et agni". Hae sunt praeterea illae purgationis aquae, de quarum virtute ita Ezechiel prophetavit dicens: „Effundam super aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris et ab omnibus idolis vestris mundabo, vos, et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri, et faciam, ut

Aqua baptismatis.

Virtus aquae baptismatis.

Aquae refectionis.

Aquae mundantes.

Aquae purgationis.

in praeceptis meis ambuletis, et iudicia mea custodiatis, et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in deum, et salutabo vos ex universis inquinamentis vestris, et vocabo frumentum et multiplicabo illud, nec imponam vobis famem, et multiplicabo fructum ligni et geminia (!) agri, et non portetis ultra obprobrium. Hinc apud Augustinum est, quemadmodum habetur i. q. i. ca. detrahe: „Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat? nisi faciente verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Detrahe verbum, quid erit nisi aqua? Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum." Idem vero (ut scribit Beda) salutiferae curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere revelante gratiae tempore consuevit, excepto quod regni coelestis ianuam necdum intrare poterat, donec adveniens benedictionem daret, qui legem dedit; ut videri possit deus deorum in Sion. Et per eius baptismum teste Augustino id agitur, ut caro peccati evacuetur. Non autem sic evacuatur, ut in carne concupiscentia innata non sit, sed obsit. Nam si post baptismum ad aetatem naturalem perveniunt, ibi habent, cum qua pugnent eam quam adivuante domino superent, si non gratiam in vacuum susceperint. Taceo de hoc quod deus olim multa miracula in aquis operatus sit, dum aquis terram tegeret. Et Noe cum filiis et uxoribus in aqua miraculose pro conservatione humani generis saluaret, et dum de petra durissima populo Israelitico in desertis aquas produceret, per Moysem ministrum aquas Aegypti in sanguinem converteret, et quod maius est dum ipsum firmamentum et totam mundi machinam in medio aquarum suspenderet, aequa lance superiores aquas ab inferioribus dividendo ex aqua reptilia et volatilia inesse producendo, avibus quidem aerem, piscibus vero gurgites relinquendo, et quod soli aqueo elemento tanquam digniori non male dixit, eo quod per eam futura erat remissio, et super aquas spiritus domini ante mundi constitutionem ferebatur. Terrae vero male dixit in operibus hominis cum Adam de paradiso eiiceret. Hinc videri potest, quod Christum dum in terris ageret rarissime legas carnes, saepissime vero pisces comedisse.

Idem olim circumcisio agebat, quod nunc agit baptismus.

Quanta miracula deus in aquis operatus est.

Inde etiam est, quod omne genus carnis, quod in terra versatur, tam quadrupedia, quam aves, in ieiuniis non licet comedere. Pisces vero, licet cum tamen et illi caro sint, sed in aqua nobiliori elemento viventes. Taceo quod in veteri lege per aquas adulterium foeminarum plectebatur, in quas per sacerdotes omnia maledicta congerebantur amaritudinis, utque per eas dominus is adulterii suspicione constitutas in maledictionem daret, et putrefaceret femora illarum, ne fructum habere possent, prout est in libro Numerorum. Praetereo, quod Christus dominus in mundum non in vino, sed in aqua venit et sanguine, quod in aqua salutari et gratiae plena sanati sumus, et a morte ac diabolica potestate erepti. Illa inquam aqua de sacratissimo Christi latere passionis amarissime emanuit in signum lavacri regenerationis. Habes enim apud Ioannem unus militum latus eius lancea aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua, non autem vinum. Audi ultra ista et hoc, quod etiam testimonium martyrii aqua perhibeat, quod vinum facere non potest. Et si in eo mihi fidem adhibere non audes, Lege Bernardi sermones, ubi comperies quod pro me facit. Fratres inquit ut fideles nos praebeamus deo nostro si testimonium sanguinis non habemus, quaeramus vel testimonium aquae, et ne ipsum quidem despiciet deus. Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, sanguis et aqua. Beati, quibus trium suppetit testimonium, funiculus triplex difficile rumpitur. Nos si sanguinis testimonium non habemus, habeamus spiritum et aquam, sine spiritu nec sanguis nec aqua sufficiet. Sane tamen aut vix aut nunquam sine aqua aut sanguine spiritum arbitror inveniri. Propterea queremus vel aquam qui sanguinem non habemus. Adde quod Christus salvator triplicem nobis aquam secundum eundem Bernardum apponit. Quarum prima a delictis praeteritis conscienciam abluit. Sicut enim ipse Christus ploravit super Lazarum mortuum, et super civitatem Hierusalem, ita tu aquarum copia conscientiam lachrymis rigando, et maculas peccatorum, dolore compunctionis diluendo, id efficies quod vinum tibi praestare non potest. Secunda de futuris concupescentiam extinguit.

Cur pisces in ieiuniis comeduntur, cum tamen caro sint.

Quam tunc habere poterimus, cum in aqueo vultus nostri sudore pane vescemur, et labore poenitentiae corpus nostrum castigabimus. Sicut Christus aquam sudoris in toto corpore manantem habuit, cum pro nobis pati deberet. Tertia vero illa est, sitientem animam non solum potans, sed et lavans, de qua ille testimonium perhibuit, qui vidit quod aperto latere, domini dormientis in cruce exierit et sanguis et aqua. Qui si proficere poterimus usque ad devotionis gratiam, tunc nimium potabimur aqua illa sapientiae salutaris, super mel dulcis est habens fontem perpetuum decurrentem aquae salientis in vitam aeternam. Plura adhuc et infinita sunt similia de aquae mysteriis si recte perpenderentur, certe non solum aqua non vituperiis afficeretur, sed omni liquori tam vini quam ceteris praelata divinis extolli deberet laudibus. Cuius usu (dii boni) antequam vinum nasceretur et post, quot sancti patres in solitudinibus viventes coelum meruerunt? Quot adhuc hodie commoda hominibus aqua praebeat? varios cibos et piscium ac caeterarum rerum multiplices usus nobis exhibendo, frumento molendo, margaritas lapides praeciosos et uniones egerendo, aurum monstrando et purgando, navigia ad multas hominum necessitates apta sustinendo, id saepe expediendo, quod nunquam vel ingenia vel humanae vires expedire valeant; munitiones et propagnacula nobis praebendo; et ab hostili ac inimicorum invasione nos tutos reddendo. Et ne diutius divager, nonne videtur et hoc, ut vera et dicamus et sentiamus, potius laude, quam vituperio dignum, quod haec ipsa nostra patria et magna chriastianae reipublicae pars per solam aquam huc usque ab impetu hostili et Turcarum rabie praeservata sit, quam vires nostrarum gentium vino emollitae, auxiliis non bene munitae, tueri vix possent. Quae nisi illos arceret suis excursionibus Turcarum iam et de nobis et de christiana religione (ut de Graecia et Asiae regnis) fortassis actum erat. Vinum autem non solum non hoc valeat, quod auxilia morborum conferat et membra hominum recte sanet verumetiam sanitatem auferat. Omitto caetera, quod patrimonia quandoque tota atterat, famam pulset, rixas, caedes, infanda facinora ex-

citet. Immo quod deterius est tota corpora inficiat, et mortem praesentaneam afferat. Si interdum vel in modico modus (quanquam quis ille est qui modum eius servare sciat, aut qui vino fortior sit) non servetur. Scimus enim plures clarissimos duces et philosophos ex eo non naturali morte occubuisse. Obiit quanto die Chrysippus philosophus posteaquam dulce vinum immoderatius hausisset angustiis spiritus fatigatus. Obiit Arcesilaus egregius etiam philosophus immatura morte dum vinum immodice sumpsisset. Obiit ita et Lacydes sapientissimus homo, et in literis non postremus. Obiit Philostratus vir doctissimus, qui apud graecos plurima scripserat. Ille enim cum in balneis Sinnesannis vini multum sumpsisset, ex scalis praeceps factus non multo post vinis renunciavit. Eodem genere mortis obiit Elpeno ille egregius vir ac socius Ulyssis cuius cadavere manes evocati sunt ab Ulysse. Nam apud Circem ebrius factus etiam scalarum lapsu periit. Obiit ita Choas ille ab Alexandro Magno invitatus, dum enim ob bibendi victoriam ab eo talentum retulisset, post biduum statim mortuus est, magna utique et saeva mercede. Verum dices plures etiam ex summis imperatoribus et praestantissimis viris fuisse qui et bene viventes temulentiae et ebrietati inservi erunt, et nihilominus magnas et praeclaras res gesserunt. Proinde non esse credendum quod vinum multorum egregias virtutes obscuret: Quippe quod Cato ille singulari prudentia et industria homo exemplar et norma virtutum qui solus ex Romanis sapiens dictus est, ebrietati indulsit. Ita et Lysander Lacedaemoniorum dux in caeteris alioquin rebus temperatus, vini avidus fuit, qui tamen ob hoc Asiae victor Atheniensium vires contriverat, quas antea Lacedaemonii viginti sex annis continue bellantes ac obsidentes reprimere nullo modo potuerunt. Hercules quamvis et ipse vinum supra mensuram appeteret, tamen ex Iunonis odio gloriosus et vivens omnibus carus fuit, et mortuus divinos honores ab universa gentilitate meruerat, ut qui monstra ingentia domuerat, semitaurum devicit, leonem nemeum interfecit et excoriavit, harpyas fugavit, aurea poma ex horto hesperidum abstulit interempto custode, Cerberum cathe-

narum ab inferis reduxit. Diomedem regem Thraciae humanis carnibus equos pascentem oppressit, hydram lerneam extinxit, Acheloum in varias formas se transmutantem vicit, Antaeum Lybiae gigantem bobus spoliavit, Centauros contrivit, Laomedontem Phrygium interfecit, columnas in Gadibus insulis posuit, Baltheum ab Amasone abstulit, et totum denique pene orbem devicit. Sic Antiochus Magnus cognomento Hierax dictus, adeo vinum amavit, ut tunc cum bene ebrius esset etiam vaticinari soleret, ieiunus vero vix aliquid videre dicebatur. Dionysius quoque tyrannus Syracusarum nec ipse contemptor vini fuit, qui potantibus etiam auream coronam proponere solitus erat. Antonius item et Tiberius caesar similiter amavit vinum, qui nihilominus tamen multarum gentium victor fuit, ut qui de Vindelicis, Rhetis, Armeniis, et Pannoniis triumphavit, Dalmatas item et Sarmatas in potestatem Romanorum redegerat. Thraciam et eius confinia Romanas provincias fecit, Germaniam totam vastavit, et ab hoc Imperator appellatus. Fuit et Alexander Magnus in tantum avidus vini, quod coenans apud mediam Thessaliam viginti convivis dicitur solus propinasse, totidemque ab eisdem potiones accepisse. Et etiam Indos maximos potatores ad bibendum invitasse, et tamen his non obstantibus in rebus bellicis fuit clarissimus, qui primum Illyrium subegit, Romanorum insulas obtinuit; Aphricam totam superavit, Syriam refrenavit, Damasco, Sidone et Tyrone expugnatis, Aegypto, Asiis utrisque Hellesponto et Phrygia pervagatis, in Persidem processit, ubi superato Dario rege potentissimo Graeciam totam, et omnes circa Euphratem regiones suo adiecit imperio, una cum India et caeteris orbis partibus, adeo ut solus terrarum rex, et princeps mundi appellaretur. Esto quod haec ita se habeant, certe et ego tanquam vera non negabo, gesserunt hi omnes res perpetuis dignas historiis, amaverunt etiam vinum. Tanquam vero nescias quod (quia si eadem inter vina et ebrietatem gesserunt) paucos syncera coronat Gloria et unicolor probitas? quod crimine virtus Multocies offensa cadat mutetque colorem Virgineum? Ceu cum terrenam cynthia nubem Intrat, et amisso perdit sua lumina phoebo. Tanquam etiam

ignores quod quantum illi gloria et virtute laudis meruerunt, tantum ebrietate amiserunt? Si enim Cato exemplar virtutum et norma fuit; si usque adeo sapiens et perfectus erat? Quomodo eius perfectio laudari debebit? cuius virtus vino saepius tentata immo vero expugnata fuerit. Cuius olim ebrii velatum caput cum quidam quibus obvius fuerat, retexissent mirifice erubuerit. Fecit Lysander quod omnino sit laude dignum, dum Atheniensium potentiam sive virtute sua sive quacunque via reprimeret: At quantum credis eius nomini vel potius dicam vitae detractum esse? qui dum per temulentiam et vini immodestiam caute consilia sua de concupito et affectato imperio, deque Lacedaemoniorum legum sublatione, de deorum tam Delphis quam Dodone et Hammonis numinibus eorumque sacerdotibus pecunia corrumpendis caelare (ea enim est vinolentorum natura ut ex omni parte rimosi sint, nihil quod caelandum esset tacere valentes) nesciret, iuste damnatus male periit. Quantum Herculis famigerati viri gestis deroget ebrietas illud testimonio quod adhuc hodie a fictoribus cum poculo scypho figuratur, non aliam ob caussam nisi ut demonstretur ex turpi vitio qua cassabundus, et extra se ac rationem raptatus fuerit, cuius si accedant capiti cornua bos erit, vel Bacchus dicere volui. Dionysius Syracusanus ad nonagesimum usque diem ebrius severavit, ex quo semper caecutientes et vitiosos habuit oculos, de quo et id memoriae proditum est, quod amici et compotatores sui in conviviis tali arte eum tanquam hominem ex vino omnia diiudicantem, et in vino omnia constituentem, deludebant simulantes se et dicentes, nihil videre solitos si vel cibi vel calices coram illis starent appositi ut ita regi caecucienti blandiendo et adulando placere potuissent, cui nihil sobrium placuit. Quid dicam de Antiocho rege et eius temulentia? Nonne et illi vinolentia plus dedecoris et detrimenti attulit quam prius virtus laudis et honoris dederat, qui bibendo fatigatus et emollitus semper totos dies dormire solebat, nec prius excitari quam advesperasceret. Nisi quis in principe vel somnolentiam cum ebrietate praeferat sobrietati ac vigilantiae? Quod tamen Homerus negabit quandoquidem (taceo de die)

Turpe duci totam somno consumere noctem Turpe duci vino sanctum temerare pudorem. Quippe cum nihil est, quod magis ducem et principem dedeceat quam vel somnus vel uinolentia, nihil uero magis deceat quam sobrietas et vigilantia. Epaminondas dux Thebanus cum cives sui festis quibusdam diebus solutius conpotationibus indulgerent licentiusque voluptatibus fruerentur, ille solus vigil et sobrius arma lustrabat, et urbis obambulabat moenia. Rogatus cur id faceret, respondit se sobrium esse et vigilare, quum reliquis liceret temulentos esse et dormire. Plutarchus author in libello adversus ducem imperitum. Antiochus autem cum Romanis bellum indiceret, et adversus eos arma moveret, dicitur fuisse captus amore cuiusdam puellae Chalciden, cum qua tunc celebravit nuptias cum iamiam pugnare debuit, totum hyemem inter vina et Venerem consumens. Et inter haec a Romanis aggressus et superatus, vix Ephesum aufugit. Qui et ab Hannibale poeno tunc apud se existente irrisus fuit et subsannatus, dum sibi exercitum aureis et argenteis caeterisque insignibus ornatum ostentaret, gloriabundusque quaereret ab eo, an illa omnia putaret satis esse Romanis. Hannibal vero armatorum ut captiose ignaviam per luxum et vina marcescentium notaret, respondit, satis esse, etiam si Romani auarissimi sint. Non de aequiparentia sed de praeda intelligens sciens utique minus convenire ut ille, qui bellum gereret, exercitum duceret, qui regna propagare, aliena vastare, urbes delere, oppida excindere, liberos populos aut trucidare, aut suae servitute subiicere cuperet, per libidinem ad voluptatem, per voluptatem ad ebrietatem, per ebrietatem ad intemperantiam, per intemperantiam ad quietem vel caecitatem inducatur. Unde industria quae in gerendo vel agendo, celeritas quae in conficiendo, consilium quod in providendo requiritur labefactantur. Quomodo enim is exercitum contineret, qui se ipsum continere nesciet? Sic Antiochus dum Veneri et vino indulget a Romanis turpiter victus, vix pacem et quidem satis ignominiosam impetrat, ex Europa Asiaque discedere cogitur, intra tauri terminos includitur, obsides una cum proprio filio suo, quem unice amabat, Romanis dare cogitur,

decem millia talentorum singulis annis soluere astringitur. Hannibalem quem incitatorem penes se habuit vel reddere vel dimittere compellitur. Et denique miserrime non multo post a sacerdotibus fortunae praesidiis ob thesauri cupiditatem interficitur, et frustillatim concisus feris discerpendus et vorandus proiicitur. Sic Antonius triumvir ex romano propter vinolentiam factus est barbarus, magna nimirum et vitae et famae iactura. Sic Tiberius Caesar propter nimiam vini aviditatem pro Tiberio Claudio Nerone, Biberius caldius Mero vocatus est, tanta agitatur est furia ut Drusum fratrem proprium, germanicum item Drusi fratris filium et patrem veneno perderet, quo et ipse deinde male interiit. Et ut Alexandro Magno etiam suae partes non detrahantur. Nonne omnes id noverunt? quam vini avidus quam ex vino insanus (tacebo quod in re venerea ob id imbellis erat et impotens cum magno matris tuae Olympiadis dolore, quod propter ebrietatem duos dies totidemque noctes saepissime dormire solebat. Et ideo a Menandro sibi obiectum o plusquam Alexandro bibisti) reddebatur, ut qui ex vinolentia ad iram incitabatur, ex ira ad ultionem, in qua nec dilationem nec modum unquam habuit, rapiebatur. In illos regna exercebat, qui penes eum optimi erant. Clytum enim hominem sibi amicissimum inter convivia propria manu transfodit, et intellecto facinore mori voluit. Calisthenem quoque insignem philosophum trucidari fecit, eumque cum cane in foveam includi, Lysimachum virum magnae virtutis et experientiae at stupendae fortitudinis leoni obiecit. Sicque quem, tot proelia, tot hyemes, perque pericula victa temporum locorumque difficultate transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiserunt, intemperantia bibendi et ille Herculaneus ac facilis scyphus (ut inquit Seneca) submersit, quare ob hoc Andracides clarus sapientia ad eum ita scripsit. Memento rex, cum vinum potas sanguinem terrae bibiturum. Nam cicuta homini venenum est, cicutae vero vinum. Vide ergo quanta sit vis ipsius vini, ut veneno sit venenum. Ob id etiam Traxaspes vir clarus monuit Cambysem regem Persarum, quem vini avidum usque ad ebrietatem perfundi videbat, ut parcius mero indulgeret, parum dignum referens in rege accusari ebrie-

tatem, quem videlicet oculi hominum atque aures sequerentur. Quod qui bibatior sit mente non consistat, sibi ipsi excidat, oculis caliget, nec manu nec oculis probe officium suum praestare valens. Sed ecce illud iam fere oblitus eram, quod nuper mihi inter alia obiecisti, ex eo etiam patere aquam esse fugiendam aspernandam et penitus non gustandam, qui cum multarum rerum malarum, tum variorum morborum caussa sit, quam si homo potet in hydropisim incidat, quam corpus tumefaciat, superfluitates generet, inflationem membrorum efficiat, ex qua homo mollis gravis et ponderosus redditur, ac semper sitibundus, qui quanto plus bibat, tanto plus sitiat, et quanto plus bibat, tanto magis inturgescat. Id ego tibi plane credam, si ita mihi probare poteris, quae haec eadem ex aquae vitio, non autem ex qualitatum in ipso epate distemperantiam, et virtutis digestivae debilitatem generetur. Prout ego tibi adhoc pluribus authorum testimoniis (si ea quae dicta sunt non sufficiant ad laudem et defensionem aquae) vinum esse plurimum rerum caussam, quae improbari possunt. Nam revera ut vino sua proprietas non auferatur, hydropisis non aliunde citius generetur quam a crapula et dissolutione potus vini, quia parva indigestio epatis sive stomachi cum multo potu continuato sufficit ad eam aegritudinem plenissime pro curandam et generandam. Et non solum hydropisim, sed et alios multos et graves morbos inducendos, puta quemadmodum scribit Aristoteles in de secretis secretorum, quod totum obscuret hominis intellectum, impediat sensum, turbet cerebrum, debilitet virtutem naturalem et animalem, generet oblivionem, laedat omnes quinque sensus, quibus regitur et disponitur tota actio corporalis, fuget appetitum, debilitet cathenas et iuncturas corporis, generet tremorem membrorum, et lippitudinem oculorum, destruat epar et reddat eius sanguinem grossiorem cordis cruorem demigret, unde allii errores proveniunt ut timor, tremor, somni locutio, fantasiae, visiones, corruptio oculorum, debilitatio stomachi, distemperantia complexionum, grossities corporis, et quod deterius est vinum lepram inducit, quod tunc est de genere venenorum. Item ut Galenus dicit quod illinc

contingat balbucies, illinc fit quod aliena nec aliquid ad propositum ebrii loquantur, illinc cerebrum nimie humiditate offenditur, illinc est quod non recto gradu ire valeant, sed per multas cruces titubantes cum tibiis feruntur, et totae plateae strictae sint euntibus. Idem Galenus. Omnis, inquit, ebrietas est caussa morborum frigidorum, nam plurimum vinum fit causa Epilepsiae cum casu et spumatione oris, cum sensus, ordinati motus, erectionis, intellectus, visus, aurium et memoriae corruptione. Apoplexiae, unde hominum sensus et motus totius corporis repente et subito auferantur. Paralysis, unde immobilitas et insensibilitas membrorum fiat. Ultra haec facit podagram, quia materias crudas ad iuncturas penetrare facit. Et recte vinum Reubarbaro comparatur, quia sicut reubarbarum sic vinum si in magna quantitate sumatur egreditur ad virtutem veneni. Vidi ego tota via mea multos aquae potores, etiam ex his qui vino utantur, nullum tamen novi qui (nisi medicata fuerit) in insaniam vel furorem incidisset ex eius potu vel extra rationem prolapsus fuisset, non praexistente aliqua instrinseca caussa alicuius mali. Bibi ego tota vita mea aquam (quamvis etiam vino quantum etiam est utar) nunquam tamen memini me in maiorem et profundiorem sitim ex potu illius incidisse, si semel quantum sat fuit gustavi, quia est restrictiva cholerae et fumi aestualis. Vinum aut proprie haec necessitas sequitur ut bibendi consuetudo aviditatem pariat rebibendi. Vinum more sangui sugae violenti quanto plus bibunt, tanto plus sitiunt qua cholera quum incenditur calido fumo vini ipsa ex eo aestualis sitis proveniens, torquet assidue guttur et invitat ad potum. Quod si modicum excedat et usque ad ebrietatem sumatur, tunc ratione extincta brutalis vis confortatur, tunc corpus permanet velut navis in mari non habens gubernaculum aut rectorem, et sicut militia non habens principem neque ducem, ex quo fit quod ebrius quandoque immo semper favent rei non probandae. Laudat quod in se ut plurimum est illaudabile. Hinc est quod ex illis faciat stultos, qui se sapientes crediderunt. Illos perversos efficiat, qui per temperantiam viventes benevoli fuerunt. Aqua quantumvis potata nec id efficiet quod dictum est. Nec

quempiam ita exosum reddet, quemadmodum vinum sui amatores. Quos vino aestuantes ac caecutientes tamquam bruta et omni ratione carentia animalia omnes usque ad nauseam oderunt. Immo vero quod maius est, eos etiam illi qui temulentiae dediti sunt ferre non possunt aequo animo, quin quod in se deprehendere non possunt in eis tamquam monstra damnent. Quo circa Lacedaemonii semper liberos suos parvulos huiusmodi spectaculis ubi ebrii quippiam repraesentarent interesse voluerunt. Non quidem verentes ne ab ea spectandi consuetudine imitandi licentiam sumerent, aut ex contemplatione ad simile vitae genus prolaberentur. Verum ut potius turpitudinem quam in ebriis vidissent abhorrentes, cautius deinde tamquam rem brutam et abominabilem devitare et fugere scivissent, cum iam aetate adultis in mentem venisset ebriorum illa incondita et brutalis repraesentatio. Ob id enim et Plato ebriis ac iratis praecipere consulereque solebat ut in speculo vultus suos inspicerent, et vitæ deformitate vitia fugerent. Et Anacharsis ille solus Scytharum sapiens interrogatus, quo pacto quis abstemius fieret, Respondit, Si ebriosorum, inquit, motus sibi ante oculos ponat. Fit enim nescio quo pacto, inquit Cicero lib. i. offic. ut magis in aliis cernamus quam in nobis met ipsis si quod delinquitur. Ita facilime corriguntur indiscentium vitia quorum imitantur imitandi caussa magistri, hoc est cum magistri discipulos reprehendere volunt eos imitantur, eisque vitia ipsorum repraesentant, ut discipuli videndo cognoscant quam dedeceat in quo reprehendantur. Nec est in quo aquam potantes tamquam infames notari possent. Temulentiae vero crimen si cuipiam etiam temulento obiiciatur statim erubescit, vel ex nomine solo cognoscens, quod nullum probrum turpius inveniri potest ipsa ebrietate. Unde Achilles Homericus nihil invenit quo magis proscinderet et lacesseret Agamemnonem regem, quam ut eum vino pressum et temulentum apellaret. Unde etiam Monaca divi Augustini mater praesignis alioquin matrona in omni virtutum et perfectionis genere cum ab ancilla serua per insultationem amariorem merobibula vocaretur, tam foedum et erubescendum id maledictum esse credidit, ut mox ebrietatis vitio et consuetudine

bibendi damnata ad sobrietatem rediit nec deinceps aliter vinum biberit nisi bene aqua dilutum. Sanctus Paulus item tam abominandum vitium credidit ebrietatem, ut Corinthiis scribat, quod cum homine qui ebriosus sit etiam frater si esset cibum non capiant, sicut cum fornicariis et aliis infamibus. Scripsi, inquit, nobis commisceri fornicariis. Si is qui frater nominatur inter nos est fornicator, aut avarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax cum huiusmodi nec cibum sumere. Eo quod, ut Hiero; ait, Venter mero aestuans defacili spumat in libidinem et fornicationem. Hinc est dictum ex gen. quod spiritus immundus habitet in sepulcris i. luxuria quae immundum facit habitat in gulosis et ebriosis quae sepulchra sunt luxuriae. Quid. n.[on] Venus ebria curat? Igvinis et capitis quae sint discrimina nescit, ait Iuve. Sepulchrum siquidem est patens guttur eorum, ait David. In quae sepulchra daemones etiam petierunt intrare sub porci nomine expresso, ut est apud Lucam. Manifestum enim nobis est ex Boetii philosophica consol. li. iiii. homines per haec vitia in diversa transformari beluas, eosque in malitiam versos humanam amittere naturam, nam sicut ultra hominem quemquam, provehere sola probitas possit, ita necesse est ut quos ab humana conditione deiecit, infra hominis meritum detrudat in-probitas. Si enim homo, inquit, foedis immundisque libidinibus immergitur, sordidae suis voluptate detinetur; Si avaricia feruet alienarum opum violentus ereptor, similem lupo dixeris. Si ferox, inquietus, linguam litigiis et maledictis exercet? Cani illum comparabis. Si insidiator occultus surripuisse fraudibus gaudet, vulpeculis exequetur. Si pavidus et fugax non metuenda formidet cervis similis habeatur. Si segnis ac stupidus torpeat, asinum vivit. Si vini intemperantia ac ebrietate rationem obruit, omni belua deterior habeatur. Ita fit ut qui probitate deserta homo esse desierit, cum in divinam conditionem transire non possit vertatur in beluam. Quid? quod illi qui ebrietatis foeditate notati semel fuerint, nunquam postea in consilium sapientum hominum admittantur? nec quippiam illis committitur, quod a secretis sit. Et quod aquam potantibus tanquam in nulla re suspectis tuto vide-

mus committi. Nimirum od id (ut Plinii verbis utar) quia tanto labore constat ebrietas, quod mentem mutet, ac furorem gignat in mali impetum et boni oblivionem. Cum aut homo ebrietate corrumpitur, tunc avidi matronam oculi licentur, tunc gravi produntur marito, tunc animi secreta proferuntur, alii testamenta sua nuncupant, alii mortifera loquuntur, redi-turasque per iugulum voces non continent, quam multis ita interemptis vulgoque veritas iam attributa vino est. Interea ut optime cadat solem orientem non vident, ac minus diu vivunt, hinc pallor est et genae pendulae oculorum hulcera et lippitudo manus tremulae effundentes plena vasa, lingua ligata, et quae sit praesens poena furiales somni et inquies nocturna primumque summum ebrietatis libido portentosa ac iucundum nephas, postera die ex ore halitus foetidi velut de sepulchro et gravissime in capite punctiones, ac fere omnium rerum oblivio, morsque memoriae, rapere se ita vitam praedicant, cum priorem diem quotidie perdant, illi vero et venienten. Ex his plane constat quam minus iuste aqua accusetur cui tot insunt virtutes. Quanta denique illi inseratur iniuria, cuius beneficio nullus carere potest. Vinum autem tot rerum malarum tot inconvenientiarum occasio laudatur, tanto appetitu exquiritur, ut quandoque melius sit, si eius usum homo nunquam novisset.

Habes mi domine LADISLAE opinionis meae argu-mentorumque propositorum et enucleationem et defensionem qui tanta alioquin in me ferebaris acerbitate, dum in ea parte tibi contrarius essem, ut plane me infoelicem existi-mares, et extra rationem duci, qui ita temerarie vino aude-rem praeferre aquae mysteria, eos vero plane nec in numero hominum conputares, tanquam omni et humana societate privatos, et a mundi foelicitate exclusos, qui fortassis ab-stemii sint, et vino penitus careant, qui nimirum si corrupta hominum iudicia non essent, soli videantur non tantum omnium foelices sed etiam dii terreni, novissime et in coelis cum diis nectare victuri, unde temulenti sitientes ne guttam aquae impetrare poterunt, ut linguam refrigerarent, quem prius contempserunt gustare. Quis enim rerum naturae plus debeat, quae ita cum eis benigne egerit, ut eos a principio

ab infoelicitate humana et tot periculis rerum humanarum, quae ex vino ut plurimum evenire solent, penitus immunes reddiderit? Quod si denique aquam praetulerim vino, ecce vides quam praeter temeritatem feci, et quibus testimoniis opiniones meas firmaverim. Quod si verum dixi quod fortassis displiceat, non mihi imputes, sed materiae et vino, qui illud nec ita vituperaverim ut abstemius, quod dudum conversus confirmo fratres, ut modum et mediocritatem in bibendo servare sciant. Nec ita laudaverim ut vel Scythisare vel Thracisare videar, tanquam vel hoc pro foelici habeam omine si vestis aut mensa illo perfundatur. Sed excessum in eo vitupero, qui communiter ex eo provenire solet, hoc est ipsam ebrietatem tanquam fomitem et materiam omnium vitiorum. Laudo autem semper id quod intra rationis terminos constitit. Quando quidem est modus in rebus sunt certi denique fines. Quos ultra citraque nequit consistere rectum. Et quod aurea semper in omnibus rebus habeatur mediocritas. Vale.

Peroratio.

Ad te vero eminentissime Antistes ista dedi tanquam ad patrem et dominum in his iudicem tuam amplitudinem non ita eligens, ut vel vinum condemnans (quod utique nullus pro tota Hungaria condemnare auderet) vel aquam laudans pro me tanquam violenter sententiam exposcam. Sed ut ipsi veritati ita faveas, non personarum, sed iudicialis officii delectum habens, quemadmodum Darius olim Persarum rex, qui inter tres regii lateris custodes de vino et veritate disceptantes: non vinum (prout Ecclesiasticis veteris testamenti historiis habetur) veritati, sed veritatem vino praetulerat, quae de vino utique et fortior est et dignior. Quam omnis terra invocat, coelum benedicit, et omnia opera tremunt ante faciem eius. In qua ut in vino et cum vino nihil iniquum sit, nec apud eam sit accipere personas aut differentias. Sed quae omnibus quod quod iustum est et aequum pure et simpliciter tribuat et administret.

Finis.

Hagenau ex Academia Thomae Anschelmi mense Julio. Anno M.DXVII.

Ladislai Debrecini in libellum Phalaecii hendecasyllabi.[1]

Debent Romulei tibi nepotes,
Auguste, et Latiae simul Camoenae.
Qui diam Aeneïda enthei Maronis
Spirantem tripodum sacrum furorem,
Non es sacrilegis perire flammis
Passus, nec violariter lucernas,
Quas non invidia reparasset aetas.
  Qui minus Magio sales leporque
Debent Ausoniae eruditionis?
Ipse inquam Magio, binomen Ister
Quem plus suspicit, evehit colitque
Quem vaga Aoniae Linum fluenta,
Aut suum Rhodope Orpheum nivalis.
Namque is, Pannoniae decus iubarque,
Ioannem, a carie et situ redemit.
  At tu, Pegasidum fores frequentas
Quisquis, doctiloquum hunc sinu libellum
Et noctes moneo, et dies foveto,
Victurum, ignipedes aget jugales
Dum Titan rapidum fugax per axem.

A zenggi káptalan átírja a zágrábi káptalannak 1487 augusztus 24-én kelt oklevelét, mely szerint ez utóbbi káptalan Franciscus Cynthius de Dyonisiis anconai polgárt és koszorús költőt s testvéreit, a király által részükre adományozott Bakar nevű horvátországi tengerparti várba és tartozékaiba, a királynak 1487 május 27-én kelt rendeletére beiktatta. 1490 október 29.

Nos capitulum ecclesie Segniensis tenore presencium memorie commendamus significantes universis quibus expedit. Qualiter accedens nostri in presentiam personaliter magnificus dominus Franciscus Cynthius de Dyonisiis Anco-

[1] Janus Pannonius 1513-iki kiadása elejéről.

nitanus eques auratus et poeta laureatus et exhibuit nobis quasdam litteras privilegiales in pergameno capituli ecclesie Zagrabiensis cum suo sigillo pendenti ut ipsas transribi et transsumi de verbo ad verbum dignaremur sanas quidem et integras, non abrasas, non cancellatas, non viciatas, non maculatas sed omni prorsus vicio et suspicione carentes. Quarum quidem litterarum tenor talis est: Nos capitulum ecclesie Zagrabiensis memorie commendamus tenore presencium significantes quibus expedit universis, quod nos litteras serenissimi principis domini Mathie dei gratia Hungarie, Boemie etc. regis ducisque Austrie domini nostri naturalis gratiosissimi introductorias et statutorias nobis preceptorie loquentes et directas summa cum reverentia et obedientia recepimus in hec verba: Mathias dei gratia Hungarie, Boemie etc. rex duxque Austrie fidelibus nostris capitulo ecclesie Zagrabiensis salutem et gratiam. Cum nos debitum ut decet respectum habentes ad illa preclare fidelitatis obsequia que fidelis noster nobilis Franciscus Cynthius de Dyonisiis civis Anconitanus, eques auratus et poeta laureatus, familiaris noster pluribus iam annis nobis et regno nostro non minus utiliter quam fideliter exhibuit et impendit et quibus se nobis gratum reddere studuit et acceptum; horum itaque suorum intuitu meritorum castrum nostrum maritinum Bakar vocatum in regno nostro Croatie habitum, quod alias magnifici condam comitis Martini de Frangapanibus prefuerat, sed per mortem et defectum seminis eiusdem ad sacram prefati regni nostri Hungarie coronam et consequenter ad nos iam dudum devolutum extitit, simul cum portu ac universis villis et possessionibus portionibus et aliis quibuslibet iuribus possessionariis necnon colonis omnibus ad ipsum castrum pertinentibus et item cum cunctis suis utilitatibus, fructibus et proventibus quibuslibet quovis nominis vocabulo censauntur, sub suis veris metis et antiquis, memorato Francisco Cynthio et per eum Vincentio, Petrohieronymo et Alexandro fratribus suis carnalibus eiusdemque ac fratrum suorum heredibus et successoribus presentibus et futuris nobis tamen et regno nostro ac successoribus nostris fideliter servientibus vigore

aliarum litterarum nostrarum donacionalium exinde confectarum in perpetuum contulerimus, velimusque eosdem in dominium eiusdem et earundem per nostrum et vestrum homines facere introduci legittime. Mandamus igitur fidelitati vestre harum serie firmiter, quatinus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo presente unus ex ellectis iuratis nobillibus illius comitatus Zagrabiensis ad facies dicti castri et pertinenciarum eiusdem vicinis et commetaneis eiusdem et earundem universis inibi legittime convocatis et presentibus accedendo, introducat antefatos Franciscum, Vincentium, Petrumhieronymum et Alexandrum in dominium eiusdem et earundem, statuatque idem et easdem eisdem p[remisse nostre donationis] titulo ipsis incumbente perpetuo possidendas si non fuerit contra [dictum, contra] dictores vero si qui fuerint evocet eosdem contra annotatos Franciscum, Vincencium Petrumhieronymum et Alexandrum regni nostri . . . . ad termi]num competentem, rationem contradictionis eorum re[ddituros et post hec] huiusmodi introductionis et statutionis seriem cum contradictorum et evocatorum si qui fuerint [vicinorum et] commetaneorum [qui premisse statutioni intererunt, nominibus] terminoque assignato eidem regn . . . .
Datum Sopronii, die dominico proximo post festum beati Urbani . . . . Millesimo . . . .
Nos igitur mandatis ipsius domini [in omnibus obedire cupientes ut tenemur, una cum Nicolao Ivanowych de Brezowicza uno scilicet ex . . . . nobil]ibus comitatus . . . . honorabilem magistrum Stephanum de Cr. . . . . . . diem domi]nicum ad premissa fideliter peragenda nostro pro testimonio transmisimus fidedignum. [Qui tandem ex]inde ad nos rev[ersi ipse . . . . Nicola]us homo regius, prestito prius coram nobis corporali suo iuramento, annotatus vero magister Stephanus homo noster in puritate sue conscientie de et super huiusmodi fideli eorum executione unanimiter re[tulerunt] eo modo, quomodo feria quinta in vigilia scilicet festi beati Laurencii martiris proxime preteriti idem ellectus iuratus homo regius ipso nostro testimonio presente ad facies prescripti castri Bakar vocati

et pertinentiarum eiusdem vicinis et commetaneis eiusdem et earundem inibi legittime convocatis et signanter nobillibus Marco castellano castri Grobnik et Martinez similiter castellano castri Hrelin familiaris videlicet magnifici comitis Bernardini de Frangapanibus in persone *(így)* eiusdem comitis domini ipsorum, item circumspectis Iohanne Sepecz, Urbano Knczthy, Matheo Vksich et supano civibus de Therzathi presentibus accedendo, introduxisset memoratos Franciscum, Vincentium, Petrum Hieronymum et Alexandrum in dominium eiusdem et earundem statuissetque idem et easdem eisdem premisse regie donationis titulo ipsis incumbente perpetuo possidendas. Ipsis itaque regio et nostro hominibus in facie predicti castri et suarum pertinentiarum prescriptarum congruis et legittimis diebus iuxta regni consvetudinem permanentibus et moram facientibus, nullo penitus contradictore apparente. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes litteras nostras privilegiales pendenti (igy) autentici sigilli nostri munimine roboratas eisdem duximus annuendum. Datum sedecimo die diei introductionis et statutionis predictarum, anno domini millesimo quadringentesimo octuagesmo septimo *supranominato*. — Nos itaque capitulum Segniense supradictum prefatas litteras capituli ecclesie Zagrabiensis transcribi de verbo ad verbum fecimus harum nostrarum vigore testimonio litterarum mediante quas cum appensione nostri capitulari (így) sigilli autentici duximus communiri. Datum Segnie in ecclesia nostra cathedrali Beate Marie virginis die vigesimo nono mensis octobris, anno salutis millesimo quattringentesimo nonagesimo.

(Eredetije egértől rágott, olasz jellegű sima hártyán; függő pecsétje levágatott. Orsz. Levéltár, Dl. 33174. szám.)

Ad nobilissimum dominum dominum Alexium Thursonem de Bethlemfalva Comitem Zoliensem, Camerarium Cremnicensem, liberum dominum Plesnensem et Illustrem Invictissimi Principis Ludovici Regis Hungariae a secretis.

De Reipublicae Administratione. Dialogus.[1]

Epistola consolatoria ad magnificos dominos, Alexium et Ioannem Thursones.

Ob mortem Reverendissimi Domini Ioannis Thursonis Episcopi Wratislaviensis.

Epitaphia varia pro eodem ad eosdem dominos.

Valentino Ecchio Lendano autore.

Végén: Impressum Gracchoviae per Hieronymum Victorem Anno ab orbe redempto Millesimo Quingentesimo vigesimo.

fol. 1b. és fol. 18 [et ult.] b. a Thurzók czimere fölött:

Thursonum praeclara domus, virtute redundans
Emeruit titulis haec monumenta suis.

A czimer alatt:

Inclyta per titulos insignia crescite magnos,
Ut sic Thursonum multiplicetur honos.

fol. 2a. *Serenissimo viro domino Alexio Thursoni de Bethelmfalva (!) Camerario Cremnicensi Comiti Zoliensi, libero domino Plesnensi et regiae maiestatis a secretis Mecaenati suo humanissimo Valentinus Ecchius felicitatem cum sui commendatione precatur.*

Plato philosophorum deus rempublicam instituens nobilissime Thurso, beatas fore civitates dixit ubi vel sapientes imperitarent vel principes ipsi iugem philosophiae operam impenderent et id omnium recte philosophantium indicio vere quidem. (Felhoz több ily példát Tacitusból, Demetrius Phalereusról, Philippus Macedonum rex-ről, aztán fol. 2b.:) Sed quorsum hec tam multa de literarii studii commendatione, inquiet aliquis? An huc ut generosam tuam prestantiam ad

[1] Megvan Apponyi újabb szerzeményei közt.

ipsum invitem? nequaquam, sed quo ostendam quam consulte Christianissimus princeps noster Ludovicus regnorum Hungariae et Bohemiae rex invictissimus aegerit (!), quod t. g. m. (!) indulgentissimum omnium et literarum et literatorum Mecaenatem sibi voluerit esse a secretis atque illo magistratu honoravit, quo soli literarum et sapientiae candidati digni censentur, qualem tuam novimus esse prestantiam, qui omne a re militari atque reipub. administratione ocium ad literarum studia, veluti Maior Scipio, iugiter convertis existimans cum Plinio omne perire tempus quod non imparciatur literis sine quibus ut aiebat Seneca ocium ipsum mors est ac vivi hominis sepultura. Sed quid opus haec sole clariora detegere? ad nostrum institutum pocius stilum convertentes, gratulabimur, non tam quod virtus praemium nacta sit, quam quod digni virtutis premio viri reperiantur, porro si rem propius inspexerimus, offendemus non minus dignum Thursone magistratum quam Thursonem magistratu, imo dubitabimus, tunc plus honoris attuleris tantae dignitati, an tibi dignitas. Sed utcunque iam nulla prorsus est causa cur hoc nostrum saeculum ingratidunis incusemus, quum ipsum non minus ac illud priscum virtutibus praemia persolvere videamus, quae res ita crescere facit ingenia atque probitatem, ut nulla magis. Nempe ut virtus neglecta fastiditur, sic honore affecta a nullo non amplectitur et adamatur. Foelix ergo hoc nostrum regnum quod eum principem est adeptum sub quo virtutes hactenus sopitae iam tandem evigilabunt, suoque titulo literarum amatores coronabuntur, ut plane spes sit non modo faedam oris barbariem brevi hinc abituram, verum etiam barbaros mores quorum temulentia hactenus adeo inebriati quam plures fuerunt, ut nescierint quid rerum agerent scelesti tyrannide excaecati. Nam, ut orphanorum interim atque pauperum oppressiones silentio praeteream, tot ftaudes (!) et latrocinia longo tempore in hiis nostris oris ita sevierunt, ut illud Ovidianum iure meritissimo in nos torqueri poterit: Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus. Non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est. Victa iacet pietas et virgo cede madentes. Ultima caelestum terras Astrea reliquit. Ast hec

et alia plus quam sexcenta nostri regni excidia atque calamitates, ut fidere phas est, claementissimus noster princeps Ludovicus funditus extirpabit atque evellet. Ad quam rem, licet sua innata prudentia sibi sufficiat, attamen ut sua sponte properans ad concitatiorem provocetur cursum, tuae erit prestantiae nunc ex officio calcaria adiicere, atque ad eliminandas fraudes huius invictissimum pectus animare. Ob id enim in hunc sublimatus es magistratum, ut quae ad regni utilitatem faciant, vigilantissime semper circumspicias. Nanque oportet quemlibet qui in hanc asciscitur provintiam boni patris familias mores imitari, qui tunc demum se beatum putat, quum beatam videt sua cura, suis consiliis, sua industria familiam. At hiis meis admonitionibus tuam excellentiam sollicitare incongruum iudico, quum et ingenita industria et multo usu sic prudens ac sapiens factus sis, ut nec mea nec alterius institutione indigeas, sed quo et caeteri reipub. administratores ad tuae excellentiae exemplar se effingant brevem hunc elucubravi dialogum, ubi magistratum, quantum ingenii patitur infantia brevi sermone instituo. Non existimans omnia quae magistratum decent ad plenum me explicare, quum nemo unquam quantumvis doctus hoc satis possit, viam tantum et illam quidem quae prima a limine patet, aperio, quam si quis mox ab infantia fuerit ingressus, facile ad publicae administrationis poterit conscendere fastigium, quod adeo sublime est, ut quemadmodum et rarus sit qui ad illud verum iter pandat, sic rarissimus, qui recto Tramite illuc gressum dirigat. Sed id totum acri tuae generosae magnif. iudicio humiliter subiicio, rogans quo me atque meum hunc laborem benigne dedicatum suscipias. Vale. Gracchoviae die 14 Novembris.

Ad generosum Dominum Dominum Alexium Thursonem de Bethlemfalva, Comitem Zoliensem Camerarium, Cremnicensem et illustrem invictissimi principis Ludovici Regis Hungariae a secretis De Reipublicae administratione dialogus Valentino Ecchio autore.

Interlocutores: *Philomathes, Etnearches* etc.

---

fol. 14a. *Nobilibus et Magnificis Dominis Alexio et Ioanni Thursonibus Valentinus Ecchius cum sui commendatione salutem optat.*

Plaerique omnes qui isthinc ad nos demigrant, nobilissimi Thursones, referre solent, quam non tranquillo animo immaturam fratris vestri Reverendissimo in Christo patris ac domini domini Ioannis Wratislaviensis Episcopi mortem feratis. Adeo ut quodammodo vestrae obliti dignitatis in perennes luctus feramini praecipites. Quod quum mihi constitisset, etsi vestras magnificencias per se prudentes satis cognoverim, tamen me continere non potui, quin hoc epistolio vestras excellentias a tanto luctu sevocarem. Quod me facile effecturum spero, quod noverim, non virtutum aut resurrectionis spei inopia lugere vos, sed fraterni desiderii affectu credulas mentes sic esse fractas atque consternatas, ut prius dolorum oblivisci non possint quam pristinae admoneantur virtutis. Quae equidem in vobis tanta est, fuitque semper, ut etiam quamvis adversam fortunam mira constantia consueveritis ridere. Atque ille fratris vestri obitus quam non fuerit ullo infortunio obnoxius, etiam cui parum cerebri est, vel ex eo intelligere potest, quod ille Amplissimus antistes, aerumnis omnibus, quas patimur mortales, morte sua nunc tandem renunciarit, quum mors omnium malorum finis esse perhibeatur. Enimvero nulla iam prorsus fortuna, imperii quicquam in illum habet, quietus est, ac sui certus, nulli languori, nulli morbo, nullis denique ne minimis quidem malis subiectus, dolores nescit, molestias pariter ignorat omnes. Quandoquidem miseria est, haec vita sola, quam qui linquit miser esse desistit. Cur igitur piissimi fratres fratri hunc tam foelicem statum invidetis? in quem si et vos demigrare contingeret, non dubito, quin nihil minus optaretis quam in hanc hostilem revocari vitam, in qua non vivimus, sed semimortui peregrinamur, imo inter tot ac tantas diaboli impugnationes, tot corporis ac animae bella iugiter periclitamur, ut merito Electionis vos Paulus exclamaverit.

O me hominem infoelicem, quis me liberabit de corpore mortis huius? An non merito sic exclamet qui tam dura necessitate premitur, qui tanta carnis mole gravatur, caro enim tot affectibus, tot viciis, tot pugnis obnoxia captivatam animam ad aeternam mortis servitutem perpetuo trahere molitur. Quo periculo soli liberi sunt, qui ex hoc lachrymarum valle emigrant, migrant autem, non emoriuntur ut Christiana imbuti fide constantissime profitemur. Expleto nanque erga deum brevis servicii tempore, manet nos summum stipendium immortalitatis, quum, ut scriptum est, in aeternam ituri sunt vitam, qui bona egerunt. Quapropter non plangendus depraehenditur, qui huius mundi luce fuerit privatus, sed gratulandum et pocius quod e tanto fluctuantis saeculi turbine ad quietissimum aeternae vitae emerserit portum. Demittimur hunc in mundum mercenarii atque negociatores ut Christianae iusticiae mercemur lucrum, quo onusti ab huius saeculi peregrinatione ad illam unde missi sumus veram patriam laeti ac foelices revertamur. Nempe quamdiu hunc mundum inhabitamus a caelesti patria exules peregrinamur. A qua peregrinatione dominus procul dubio illum fratrem vestrum postliminio revocavit, et id quidem absque mora ne hoc lucrum centeno foenore locupletatum quavis rursum incuria amitteret. Quod non dico, quod putem si diucius in hoc mundo vixisset deteriorem illum futurum, sed quod apud mortales gratissima quaeque vetustate diminui consveverint. Iam etenim eousque processerat, ut esset ad ungvem perfectus, nempe virtutum stipatissimus; atque maxime adamatus ab omnibus. Vixerat in carne non secundum carnem ideo et anima eius deo placuit, qui eam, quia dederat, abstulit. Nec ob id alienum tulisse culpandus, quia recepit suum. Animas quippe nostras debemus deo, quos postquam ipse creditor poposcerit reddendae sunt et cum gratiarum actione ne ingratitudinis arguamur, vicio quo non tetrius ullum terra aluit. Hoc ipsum Iob, verum pacientiae exemplar factitavit, qui in omnis substantiae ammissione nihil stultum contra deum est locutus, sed sic adoravit et dixit. Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit, ita factum est, sit

nomen domini benedictum. Cavete ergo, nobilissimi fratres, ac diligenter circumspicite, ne dum nimiam mortuo fratri plangendo et eiulando pietatem exhibetis, videamini impii in deum, cuius voluntatem vester nimium lugubris animus arguere testatur. Considerate pocius, aeque ex natura esse mori atque nasci, Frater vester natus erat et quidem mortalis, quid ergo mirum si mortuus? quum omnia quae nascuntur intereant, quod quum vobis certo cercius sit, quid opus est vos lugere, et me vestro medelam adhibere dolori, qui iam absque dubio et tempore et collecta ratione sanatus cessavit. Sic ergo languore et planctu liberi, foeliciter valete, atque haec subscripta Epitaphia in perennem illustrissimi fratris vestri memoriam aedita (!) a vestro Ecchiolo placide suscipite, accaepturi (!) ab eo propediem munus multo praeciosius. Iterum valete. Gracchoviae 17 die Novembris Anno incarnati verbi 1520.

Pro amplissimo pontifice domino Ioanne Thursone.
Epitaphia.

Maximus antistes Thursinae gloria gentis,
Hac tenui posuit flebile corpus humo.

Aliud.

Occubuit praesul, quis enim fatalibus obstet
Legibus? Occubuit gloria pontificum.

Aliud.

Wratislavinae custos dignissimus aedis
Thurso, sub hoc saxo, lector amice, iacet.

Aliud.

Nil genius eximium, nil robora firma, decusve,
Contra Parcarum tristia fata iuvant.
Nam cecidit Thurso praesul, cui defuit horum
Nil, tamen hiis vacuus scandit ad astra bonis.

Aliud.

Quid stas, quid stupida cunctaris mente viator?
Quis fuerim forsan tu quoque scire velis.
Praesul eram, claro Thursonum sanguine cretus,
Et mihi tantillus contigit ecce locus.

Aliud.

Si quaeris forsan perchare viator in isto
Quis sim qui teneam membra reposta loco?
Pastor eram populi, Thursino stemmate clarus,
Sed liqui quicquid terra operosa tenet,
Nam mundo peregrinus eram, revocatus ad aedes
Hinc patrias, posthac usque quiete fruar.

Aliud.

Thursonis magni demortua praesulus ossa
Hoc modicum saxum, lector amice, fovet.
Vis tunc tandem mundo confidere? quum sit
Res mundana fugax, fluxa, caduca, levis.
Scilicet humanam haec manet expectatio vitam,
Omnis ut hiis positis migret ad astra bonis.

Aliud.

Dormio, non obii, reparata carne resurgam,
Ultima praecipiet surgere quando tuba.
Tunc dominum propria vestitus pelle videbo
Valle Sionaea dissociare gregem.
Interea quicunque pedem hac diflexeris unquam
Dic rogo Thursonis svaviter ossa cubent.

Ad Clarissimos viros Dominum Petrum Czipser et Andream Reuber Bartphani populi illum spiritualem hunc saecularem, moderatores dignissimos. Carmen eiusdem Valentini Ecchii de amicitiae et concordiae utilitate lusum Bartphae Anno 1518.

Az első 60 sorban előadja, hogy mióta a chaosból a világrend létrejött, az Egyetértés tartja fenn a világot. Egyetértés intézi a csillagok pályafutását.

A természeti rendet is az Egyetértés tartja fenn.

Az állatok, még a legvadabbak sem törnek saját fajuk ellen. Oroszlán, farkas békében él egymással. Csak az ember ront egymásra ellenséges indulattal. Ezért dőlt romba Carthago, Ilion, Róma. Oedipus fiai egymás keze által estek el, Tantalus családja, Dávid háza tönkrement.

Ezzel szembe állitja a barátság hasznát. Jólét és béke jár nyomán. A sors csapásai közt segitségre siet a jó barát. Felhozza Theseus és Pyrithaus, Damon és Pytheas, Pollux és Castor példáit. És ezután igy folytatja:

. . . .

Nil fugit almus amor, grave nil in amore videtur
Unquam, nec reddunt adamantina vincula nodos
Tam validos, quam corda ligant, quae iunxit in unum
Verus amicitiae nexus, foedusque fidele.
Pluribus haud opus est concordia cuncta gubernat
Facta hominum, fovet atque regit, moderatur alitque.
Hanc igitur Bartphae rectores inclyti et omni
Laude celebrandi, parili si pectore semper
Gesseritis clausam, multas (mihi credite) vestro
Utilitatis opes populo adiicietis, et omne
Si quod erit damnum facile pelletis acerbum,
Parvula res etenim concordi semper amore
Crescit et humanam stabilis concordia vitam
Adiuvat innumero locupletans singula censu.
Omnibus hinc etiam rebus mortalibus ipsa
Ante feranda venit, quod sit nihil aptius illa
Naturae, seu res adversas sive secundas

Inspicias, adversa levat, sed prospera pascit.
Convictu facili, blandoque lepore, benigno
Ordine vivendi, ditandi foenore multo,
Concludam paucis, nulla est tam firma potensque
Urbs, quae si desint concordia pectora, longos
Sit mansura dies, fovet haec urbesque domosque
Et quicquid magno clausum iacet undique mundo.
Vos igitur parili semper rogo mente fovete
Illam, sic vestros et vos pia numina Christi
Post hanc aethereo vitam super axe locabunt.

Finis.

Impressum Gracchoviae per Hieronymum Vietorem Anno ab orbe redempto. Millesimo Quingentesimo bigesimo.

Epitaphia Pauli Iovii Iunioris Novocomensis In Matthiam Corvinum Regem.[1]

Vos o qui celeri gradu
  Lucum Castiliae rupis et ardua
Parnassi iuga scandere
  Certatis viridem per nemorum comam,
Qua rivo resonans sacro
  Leni lympha fugax perstrepit alveo;
Auratae cytharae modos
  Insignemque lyram ponite, ponite,
Si quis posse putat suo
  Cantu et grandiloqui carmine Pindari
Regem Pannoniae decus
  Corvinum meritis tollere honoribus;
Nam si Maeonii senis,
  Seu quae Virgilii Musa canit deos
Sese reddat ab inferis,
  Nec curet Siculae regna Proserpinae,
Haud unquam valeat satis
  Summis, ceu deceat, tollere versibus.

[1] Carmina illustrium poetarum Italorum. Florentiae, 1718. V. p. 432., 433.

Corvinum egregium ducem,
Quem nec laurigeri pascet Apollinis
Laus nec Pierii chori
Princeps, dulce canens Calliope melos.

Titi Strozae Pro Matthia Rege Ongariae.[1] *(így!)*

Quas tua non adiit, rex invictissime, gentes
Gloria? Matthiam quae tacitura dies?
Laeta novum mundo natura faventibus astris
Addidit, in lucem te veniente, decus.
Nec fors, nec ratio, mentis[2] nec vividus ardor,
Nec pars virtutis defuit ulla tibi.
Protulit antiquos regni te principe fines
Pannonis, Arctonis gens dominata plagis.
Te Geta, te Dacus tremuere[3] acerque Boemus,
Horruit et vires ora Liburna tuas.
Effera quid bello posses, Germania sensit;
Nec vis conatus ulla morata tuos.
Ut caelum[4] ornarent, animo maiora parantem,
Fatales terris te rapuere deae.

Antonii Thebaldei[5] **Epithaphium Matthiae Corvini.**

Corvini brevis haec urna est, quem magna fatentur
Facta fuisse deum: fata, fuisse hominem.

Michael Marullus de Matthia Corvino rege Ungariae.[6]

Legibus imperioque aucto bellique domique
Vix reliquam laudi iam locus ullus erat.

[1] U. o. IX. p. 168 *(C)*. Megvan a következő műben is: „Strozii Poetae Pater et Filius. Parisiis 1530" Titi Vespasiani Strozzae Epitaphiái közt f. 249b–250a *(E)*. — Ungaia Rege *C.* [2] nec mentis *C.* [3] fremuere *C.* [4] coelum *C.* [5] U. o. IX. p. 245 *(C)*. Megvan a 428-ik számú XV. századbeli müncheni codexben is fol. 232b *(E)*. — Tebaldei *C,* Thebaldaei *E.* — *Ep. M. Corv.* hiányzik *E*-ben. [6] Poetae tres elegantissimi. Michael Marullus, Hieronymus Angerianus, Ioannes Secundus. Parisiis 1582. — Mar. Epigr. lib. IV. fol. 50.

At postquam Aonium studia accessere benigna
Ulterius dixi, nil dare cura potest.
Ulterius das ipse tamen crescenteque passim
Plebe nova, e proprio, tecta domosque paras,
Si ope sancte tua patriae pater undique leges
Crescunt, regna, artes, plebs nova, tecta nova.

Mátyásra szól még a következő két epitaphium:[1]

Matthiae Corvini.

Matthiae Regis posita hic sunt ossa, probant quam
Fata fuisse hominum, facta fuisse Deum.

Aliud.

Qui toties Turcam Victor prostraverat hostem
Horribilis tandem concidit ense necis
Inclyta sed laus et tantorum gloria rerum
Quas gessit, nullo est interitura die.

II. Lajos király epitaphiuma.

Natus ab antiquo Ludovicus sanguine Regum
Pannoniae gestis Sceptra potente manu.

[1] Theatrum funebre
Exhibens
Per varias scenas
Epitaphia
Nova Antiqua
Seria Iocosa
Aevo, Ordine, Dignitate, Genere, Sexus,
Fortuna, Ingenio, adeo et Stylo perquam varia
Cum Summorum Pontificum, Imperatorum
Et Regum Galliae, Succincta chronologia
Eorumque Symbolis ac
Epitaphiis
extructum
à
Dodone Richea B.
Cum facultate superiorum.
Salisburgi. MDCLXXIII.

Occubui patriam dum protego fortibus armis,
Thrace fero regnum depopulante meum.
Nec tamen adverso cecidi quod charte peremptus
Patria quod mecum concidit ipsa, queror.

Egy másik iambusban:

Hic iaceo pene puer humatus Pannonum
Rex Ludovicus, Turcica extinctus manu.
Dum Barbaris ruentibus regna in mea
Oppono corpus et meas vires, cado.
Vidi meas, vidi fugatas copias
Foedaque caeda dissipatas, o dolor!
Neque debui neque volui illarum neci
Super esse, verum eduxeram quos persequi,
Sed vos meum ne flete caput Principes
Neu fleto vulgus, quisqne sed fleto suum
Patefacta janua est furori Turcico,
Non quia ego iaceo, sed quia est victor ferox.

Magnifico viro et singulari tum litterarum tum omnigenae virtutis amatori integerrimo domino Caspari Banffy Pannoni de Thaluncz (Losoncz?) Huldrichus Fabri Rhetus felicitatem exoptat. [1]

. . . Quis te, qui nobilium decus et splendor es, humanissime domine Gaspar, non magnopere laudabit? qui triplici bonorum genere, quibus potissimum mortales extolli merentur, egregie praeditus, litterarum tamen et virtutis cultores tantopere quasi unus omnium sis penes quem bonae

[1] „Jacobi Philomusi Locher Oratoris et Poetae praeclari Judicium Paridis, ludi cuiusdam instar carmine luculenter descriptum ac nuper exactiori cura a superfluis et erroribus antea commissis prorsus emendatum. Secutus vero est auctor Fulgentii Mythologiam. Huldrichus Fabri Lectoribus quasi argumentum libelli complectens loquitur." A könyv végén: „Impressum Viennae Austriae per Joannem Singrenium. Expensis Bartholomei Werlen. Bibliop." Esztendő szám nélkül, negyedrétben. Denis szerint (WB. p. 642.) e könyv, mely 1514—1544 között lett nyomatva, megvan a bécsi udvari könyvtárban.

artes diutius immorentur et propemodum in vado consistant, amas, venerarisque. Taceo interea inclitam stirpis tuae prosapiam, maiorum tuorum facta egregia, qui semper apud reges et magni nominis viros primas facile obtinuerunt. Quae certe omnia proprium merentur librum.

Egregio viro, Bonarumque artium apprime studioso, Georgio Sereed, Agriensi Canonico, Udalricus Fabri S. exoptat.[1]

Recte, nec minus prudenter facis, mi Georgi, quod ea potissimum studia tantopere et quae vel maxima sunt amplectendo simul contendis, horasque in hiis ipsis impartiri studes, ac collocare tanta temporis parsimonia, ut ne minimum eius punctum citra singularem aliquam frugem tibi elabi incassum aut effluere queat. Studia inquam tum eloquentiae tum iuris ipsius . . . Huic [eloquentiae] si φιλοσοφίαν, quae omnium laudandarum artium procreatrix et parens rite existit, debito modo addideris, tum demum vero rationis tramite incessisse videbere, quippe haec alias complectitur disciplinas, humanitatisque studia, in primis adsociat. Sed haec alibi convenientius dicenda veniunt. Tu iccirco Georgi eo quo coepisti ingredere proposito, perseveraque in bonis studiis. Cum et animi quae vera iudico, et fortunae bona penes te affatim reperiantur, illud tamen graecanicum, ne qua animi elatione superbire incipias, quod vel minime in te futurum spero, subinde memorari revolve mente vivacique memoria recondi:

ἆ γένος ἀνδρώπων (!) πολυδάκρυτον, ἀσθενὲς, οἰκτρόν,
Συρόμενον κατὰ γῆς (!) καὶ διαλυόμενον.

Accipe iamiam hanc quam tantopere efflagitasti Ciceronis orationem luculentam pro A. Licinio poeta, quae quam

[1] M. T. Ciceronis Oratio luculentissima, quam pro Aulo Licinio poeta habuit, unde et magna Poeticae laus in hoc ipsa continetur coloribus Rhetoricis in margine suo loco eleganter appositis." Végén: „Viennae Pannoniae impressum per Joannem Singrenium. Anno M.D.XVIII."

eligans (!) sit facile ea attentius lecta diiudicare poteris. Vale, aedibus nostris. Viennae Austriae. XII Kaleñ. Augusti. Anno MDVIII.

Iohannis Garzonis oratio funebris de Rege Matthia Corvino.[1]

.... Vellem optimi principes ea mihi dicendi vis esset: qua possem Regis Matthiae laudibus parem orationem afferre. Non enim video ubi dignius: ubi prestantius mea versari posset oratio. Me autem dicere incipientem illud procul dubio perturbat ac terret: quod ea explicanda sunt: quae virum expostulant in omni scientiarum genere praestantem. Fateor tam officiosam provinciam humeris meis imparem.

Verum his: qui apud me auctoritate possunt et voluntate obsequendum duxi. Nimirum quae Rex gessit deleri oblivione nec possunt nec debent. Haud mediocrem et nobis et religioni christianae iacturam eius obitus attulit. Nunquam profecto naturam ipsam explere satietate vivendi pro communi utilitate debuit. Pace ceterorum regum dixerim. Nemo unquam hostem barbarum: crudelem et christianum sanguinem Sitientem tot ac tantis cladibus affecit. Sed quoniam sic fata tulerunt ut tam praecipuo et singulari reipublicae Christianae defensore spoliaremur institui eius gesta laudesque brevi oratione complecti. Vos ut facitis queso diligenter attendite. Ut Latislaus: qui pannoniae imperabat et Mesiae: Pragae: quae eius regionis caput existit: veneno sublatus est: Pannonij Principes Matthiam: cui Ioannes Vaivoda parens fuerat: una voce uno consensu uno ore Regem crearunt. Id Fredericus tertius graviter et iniquo ferens animo (nam Latislao nulli fuerant liberi suae vitae superstites) confestim exercitum adversus Matthiam instruxit. His quoniam robustissimorum ac pugnacissimorum

[1] A Cod. Bibl. Univers. Bononensis 742, fol. 85^{b}—92^{a}. Ábel a beszédből csak három lapot hagyott hátra, mely csonkán adja a beszédet. Én Bolognában lemásoltattam az egészet. Le is fordítottam és közzétettem az Irodalomtört. Közlemények 1902-iki folyamában.

militum numero abundabat, ex equitatu ac peditatu amplum coegit exercitum. Consertisque pluribus proelijs amplissimam reportavit victoriam. Fuit is Ioannes Vaivoda: id quod oblivisci non potestis: qui signis cum Mahumeto reipublicae christianae inimicissimo collatis superior discessit. Nec ab eo Matthias degeneravit. Nam cum primos illos annos honestissimis moribus et optimis disciplinis consumpsisset reliquae aetatis robur ad rem militarem applicuit. Id consilij quantis fuerit laudibus celebratum quis ignorat? Cum enim mente agito quantam gloriam populo christiano rei bellicae virtus attulerit: quae illi beneficia contulerit: eam ceteris omnibus praeferam necesse est. Haec effecit: ut qui Pannoniae: Germaniae: Italiae: compluribusque nationibus christianis crudeliter turpiterque imperare statuerat Mahumetus in maximas difficultates adduceretur. Nam cum minorem Asiam cunctaque eius regna multas graecorum urbes: ipsam Constantinopolim totius orientis decus atque ornamentum: omnem Peloponessum: Achaiam: Epirrhum Bulgariam haud parvam Macedoniae partem sub imperio suo redegisset magnaquae Misiae superioris pars timore adducta ad eum defecisset. Bosinam insuper agris ante igni ferroque vastatis ac rege capto: et Lesbon suae ditionis fecisset: ne ullum quidem terrorem iniecit Matthiae. Quamquam enim copias: quod earum numero superior erat in Pannoniam (si quidem eius regni adipiscendi spem sibi constituerat) deduxisset: eamque populatus esset. Matthias tamen cum expedita manu sese illi obiecit. Ut ventum est ad manus ac diu pugnatum: coactus est barbarus terga dare. Turcorum plus triginta milia caesa sunt prope decem milia capta. Maiorem Bosinae partem: qua ille potitus erat: hic recepit atque imperio suo adiecit. De tanta victoria ubi senatus venetus certior factus est: legatos repente ad Matthiam proficisci iubet: qui de ea illi gratulentur omnemque venetorum operam polliceantur. Cum legationem exposuissent, in secretum abducuntur. Qui caeteris legatis aetate anteibat et gravitate prestabat: quas dicendi partes Matthias sibi sumpserat: eas illius preoccupavit oratio. Regem igitur, quod ita ipsis a senatu in mandatis datum esset, ad iucundam cum venetis

societatem hortatur, senatumque ei pollicetur si bellum adversus Mahumetum suscipiat, ac rempublicam christianam tueatur, quot annis octoginta nummum aureorum milia exoluturum. Multa tandem oratione consumpta concessit Matthias in legatorum sententiam. In hunc modum inter Regem et venetos composita est societas. Nequeo praestantissimi Principes verbis consequi quantas clades turchis intulerit: quot fertilissimos illorum agros diripuerit: quot tuguria igni absumpserit: quot oppida funditus everterit. O praeclarum regem semper litteris; laudibus monumentisque decorandum. In plura magnitudine nominis tui fecisti; quod armis facere Rex alius potuisset. Oppidum erat: quem (!) Belgradum incolae vocabant: natura adeo munitum: ut non nisi obsidione expugnari posse videretur. Ipsum ut omni et commeatus et telorum genere Mahumetus munivit quindecim expeditorum militum milia imposuit. Dixisses id penitus inexpugnabile. Quod ut Matthias ex exploratoribus compertum habuit confestim ad oppidum castra mouit: nec longe ab eo stationes posuit. Ut dies aliquot ocio dati sunt milites ad se accersiri iubet: atque ut arma expediant, quando oppidum sit oppugnaturus admonet. In sequenti die equites in aciem eduxit: peditum alios: qui hostem tormentis, tragulis, scorpionibus arcerent: idoneis locis disposuit. Alij scalas: quibus murum conscenderent: eius iussu comportarunt. Alij ad ipsum diruendum gerebantur praefectus oppidi milites ad concionem advocat: se in hostium castra speculatores misisse speculatum: qui eos nunciaverint brevi oppidum oppugnaturos. Quare rebus suis consulant. Quisque quid sui sit consilij explicet: se maioris partis sententiae accessurum. Cum igitur alij oppidum Matthiae imperio ac potestati dedendum: quin eos: qui nullam promissi fidem (servarent) praestarent: pro proditoribus habendos: cum praesertim omni commeatus genere abundarent et quicquid in exercitu Mahumeti fuisset roboris et floris adesse conserent. Haec maiori parti sententia tutissima uisa est, ut patenti porta in hostes impetus fieret, quando eum sustinere non possent. In hunc modum maximas copias parva manu fusas esse. Vix horae duae circumactae sunt (nam sese instruxerant

ac paraverant) cum cornua cecinerunt tÿmpanaque pulsarunt. Sic porta erumpunt. Hic impetus nec Matthiam terruit, nec eius commilitones. Quin instructi atque armati illis occurrunt. Tanta est Turchis strages illata, ut tam ad aures Mahumeti non ex praelio nuntius, sed ex sermone rumor afferret. Ad unum omnes occisi sunt. Oppidum ad solum everti iussit. Ea victoria tantam Federico tertio voluptatem attulit ut ipsum Misiae inferioris: quam Boemiam (!) vocant. Regem renunciaverit. Ex quo cum exercitu ad urbem Pragam contendit. Diu eam obsedit. Optaticompos factus esset nisi Vladislaus Casÿmiri (Rex Polonorum) Sarmatarum regis filius cum octoginta milibus hominum quo obsessae suppetias ferret, prope urbem consedisset. Matthias quod militum numero erat inferior abduxit exercitum. Non est mihi consilium reliquas eius victorias referre, quod nimium provehenda esset oratio mea. Cum igitur ex his: quae corporis: animi, fortunae sunt, bonis laus constituatur, operae pretium est: ut quanta in eo fuerint explicemus.

Parente ortus est: ut ante dixi: Ioanne Vaivoda: cui ex omnibus sui temporis ducibus principatus deferebatur. Haud fuit Matthias illius dissimilis: qui: cum ad rem militarem: de qua uos admonui: incubuisset: ad humanitatis studia ingenium contulit. In his quantum profecerit: declarant aptissimae eius intentiones. Nunquam a legendis libris abducebatur. Sive enim in castris fuisset, sive domi se continuisset: sive in villam se coniecisset nobilissimos historicos Titum Livium: C. Caesarem: Quintum Curtium lectitabat. Fatebantur: qui sub signis suis militabant, milites unum esse regem: qui cum Iulio Caesare atque Alexandro tuto et merito conferri posset. Quotiens in ipsius pulvinaribus inventus est Livius? quotiens Caesar? quotiens Curtius? Igitur mirari desinamus si Alexandrum illum macedonum regem et si parua manu innumerabiles copias sepe praaelio fregisset, si Pÿrrhum quanvis praesidia eleganter disposuisset, si Hannibalem quanquem punico astu viguisset, admirabili virtute superavit. Enimvero si qui a me profertur sermo nullo est mendacio inquinandus: nemo unquam Rege Matthia praestantius castris locum cepit: nemo exercitum instruxit: nemo hostium acies

profligavit: nemo hanc vim frigorum hÿememque excepit. Quid loquar de sanctis litteris: quarum illum perstudiosum fuisse constat? Quae in his continentur adeo memoria tenebat ut eum cuncti summo opere admirarentur. His tam partem philosophiae quam moralem vocant adiecit quod eam ad rempublicam benegerendam pertinere arbitrabatur. Quibus profecto nulla erat litterarum cognitio quod plerunque maximis erroribus implicarentur nequaquam ipsos in numero regum habendos censebat. His rationibus impulsus nobilissimum in regno suo gÿmnasium constituit eoque peritissimos ac sanctissimos viros undique accersendos putavit. Ex ea re id utilitatis consecutus est ut summa polleret prudentia. Nam et praeteritorum nullam abÿciebat memoriam; quae bona futura videbantur: ea mente agitabat. Quae ad mores institutaque pertinebant: eorum non nescius erat.

Non solertiam non docilitatem contemnebat. Nam quae regno suo utilitati futura erant, id quod eorum est: qui civitatum summum, atque altissimum gradum obtinent, cum animo suo considerabat. Experientia quantum civitatum gubernatoribus sit usui quis ignorat? Cum plures reges fuisse videamus: qui experientissimorum sententijs consilijsque paruerunt: quod eos: quae apud exteras nationes gererentur: nequaquam latebat. Iustitiae quantum se se dediderit ostendunt improbi ac perditi homines: quorum praemia: quibus fortissimi viri nonnunquam monentur: apud ipsum minime valuerunt. Qui enim e recta via declinassent: his erant subeunda supplicia. Qui autem in bonam frugem avassisent: *(sic!)* hos et beneficijs et honoribus amplectebatur. Enimvero si illi ipsi Theologorum principi Aurelio Augustino fides habenda est: Sunt ea regna: quae Iustitia vacant: existimanda latrocinia. Nam qui urbibus praesunt: si Iustitiam proscripserint diuturni esse non possunt. Nulla alia re magis ad deos, quam Iustitia accedere possumus quando omnium ut inquit ille: a quo omnis peripateticorum familia emanavit: Aristoteles: sit excellentissima virtutum. Haec effecit ut Matthias quattuor et viginti et eo amplius annos regno potiretur. Tanti Regis fortitudinem quis satis laudare poterit? qui et timenda timeret: et quae nullo erant

timore digna contemneret. Non ipsum delectabant illa forti-tudinis genera, civile, servile, furiosum, consuetudinale, bestiale. Studioso delectabatur, quod bono, et ex electione cum hoste manum conserebat. Apud Achademicos tempe-rantia non multum laudis habet, quod ea Reges laudari non solent. Ab ea sententia Peripatetici vehementer ab-horrent. Nec immerito, quid enim turpius in rebus humanis intemperantia invenire potest: quae hominem omni turpi-tudine inquinat? quid quid ipsum vel puerorum vel bellu-arum haud dissimilem efficit?

Age liberalitas quantam illi laudem emolumentumque attulerit: quivis hac coniectura consequi potest: cum num-quam sit abusus pecunia eos: ut oportebat: fecerit sumptus: alieno abstinuerit: qui ad se pertinebant proventus con-servaverit innumerabilia in eos: qui auctoritati suae dediti erant, beneficia contulerit. Omitto tanti Regis Magnificentiam: quam tantam fuisse constat: ut omnibus etatis suae regibus ea virtute antecelluerit. Omitto Magnanimitatem: quae illum fortunae ferendae tum secundae tum adversae conscium reddidit. Quis est igitur tam suae mentis inops: ut hanc animam ad deos accessisse ambigat? quando tam singula-ribus, tam praecipuis tam praeclaris fuerit dotibus ornata?

Adde caeteras illius virtutes: quae a me praetermitti nec possunt nec debent. Nunquam. Matthias in voluptate: nunquam in divitijs nunquam in honoribus: nunquam in bonis corporis summum bonum constituendum putavit. Sunt haec mea sententia et caduca et fragilia. Sed reiectis gen-tilium erroribus ad veram idest christianam religionem: quod in ea summam foelicitatem ponebat: mentem suam erexit atque extulit. Ad hanc sapientiam adiunxit. Quibus quidem virtutibus quid in homine praestantius inveniri queat: non facile dixerim. Multa mihi verba fecisse videor: ex qui-bus Matthias quantis fuerit virtutibus praeditus: intelligere potuistis. Reliquum est ut finem dicendi faciam. Accedit dolor ipse: quo sic opprimor: ut orationis meae cursum reprimat: ac me dicere plura parantem impediat, quis tanta crudelitate imbutus: quis adeo ferus: asper et in-humanus: qui cum tot optimos principes nobilissimosque

homines videat in luctu moeroreque versari: lachrijmis continere possit? Nos christum illum optimum maximum: ut aliquando laborum suorum praemia consequatur: precibus fatigabimus. *Dixi.*

Baptistae Guarino:
Praefatio ad libellum de ordine docendi et studendi.

Cod. Jen. fol. 33a. *Guarinus Veronensis* (ez vörös). Guarinus baptiste Guarino filio iocundissimo Salutem. Quotiens nuntium de te accipio, totiens novo quodam me afficis gaudio, adeo tecum certare videris, ut cum alios aut superare at equare studeas, quiescere nescias, nisi melior hodie quam heri fueras a te ipso censearis, preclaras imitaris arbores, que prioribus novas semper frondes novellos in dies addunt ramulos, donec letus consurgat in aetera vertex. Nuper agesilaum tuum acceperam, studiorum tuorum primicias vel pocius delicias, et quidem amabiles, qui veluti propago quaedam late serpens te ipsum nomenque nostrum hetruscas diffundit in oras.

Nunc autem reveniens a te Leonellus frater amabilis alteras studiorum tuorum ἀπαρχιὰς attulit, ingenii tui et erudicionis argumentum sane celebrabile tenendum in studiis ordinem adolescentibus perinde ac germinantis incunabula discipline ipsum autem dum lego relegoque non minore delectatione afficior quam admiracione καὶ ἀνάπαλιν adeo iuvenilis fertilitatis cum senili maturitate contendit stb. dicséri a munkát *E.* fer[a] XVII Aprilis 1459.

fol. 1a. Baptiste Guarini libellus ad nobilem adolescentem (ki tanitványa volt) Maffeum Gambaram de ordine docendi ac studendi.

fol. 2[a.] Ea etenim collegi que non meo tantum iudicio ... sed doctissimorum etiam virorum et imprimis optimi parentis mei ad precipiendi studendique racionem maxime conducere videbantur, itaque ea legens non me sed ipsum parentem loqui existimabis. — Tisztelni kell a tanárt, s mindjárt jó tanárhoz adni; a fiúkat verni „habet servile quiddam“ és elkedvetleniti az ifjakat.

fol. 5b. Placet etiam ut pueris ipsis aliquis ad disciplinam socius adiungatur, cuius emulatione quibusdam quasi igniculis accendantur.

fol. fb. A grammaticát (latin?) multis ex libris qui extant capessere licebit, sed magna ex parte compendium illud optimi parentis mei ad id iuvabit.

fol. 11b. A verstanra Alexander-t ajánlja, mert mindent Priscianusból merített és mert versekben van irva (könnyebben megtanulható).

fol. 12a. A prosodia kedvéért tanácsos Vergiliust könyvnélkül tanulni.

fol. 12a. Illud hoc loco tanquam e specula praemonere velim . . . neminem posse absque litterarum graecarum sciencia in hoc versuum doctrina fundamenta, et ut ita loquar, medullam penitus introspicere. Scio plerosque esse qui eam latinis litteris necessariam esse negent, qui quam ignari ipsi sunt, optarent reliquos inscitiae suae pares esse, ut inter ceteros si non superiores saltem nec inferiores iudicarentur. Mihi vero dum vivam nemo hunc errorem (si error est) eripiet, ut eam non modo utilem, sed pernecessarium litteris nostris esse non credam.

Namque ut ommittam quod eius doctrinae expertes litteras natura longas sepe imprudenter contrahunt, quod neque diphtongos neque aliam recte scribendi normam: ὀρθογραφίαν tenent, quantum id est existimandum, quod nostrorum vocabulorum maxima [fol. 13a.] pars inde originem traxit, quod multa in scriptoribus reperiuntur, quae nullo modo huius lingue ignarus explicabit. Virgilius descensum ad inferos, quia nequeant impune aves supervolare, avernum dicit, a graiis nominatum, quod ipsi nimirum scient, nisi ὄρνιν avem dici audierint. Ovidius de cerberi spumis Aconita venena nata esse dicit, que quia nascuntur, dura vivaci a caute agrestes aconita vocant; quis hoc enucleabit nisi ἀκόνην cautem dici sciat. Syllam Nysi Megarensium regis filiam in avem conversam dicit, quam a tonso capillo ciris est nominata quod nemo sane intelliget, nisi κείρω tondeo esse didicerit. Venerem quoque in fastis a spumis maris nominatam asserit, quod nec ipsi intelligent, nisi

ἀφροδίτην ἀπὸ των αφρων (!) derivatam esse sibi declaretur. Hinc eciam magis ignoranciae sue consciencia, quam disputacionis veritate adduci confitebuntur, si declinaciones quasdam tam in oratoribus, quam in poetis grecas esse meminerint, quarum nulla apud nos regula traditur. Nam et luctificam alecto et nomine Dido, saepe vocaturum, et Mantus filius in accusandi et generandi casu. Virgilius et Rhetoricē et Dialecticē et alia eius generis Oratores protulerunt. Multa sunt eiusmodi, quae commemorare ad susceptum opus minime pertinent; nos autem et veterum doctissimorum exempla, quorum nemo graecae linguae expers fuit, et Quintiliani auctoritatem qui nostras a graecis effluxisse ait, et [f. 14a.]. Ciceronis qui si Cato in libro de Senectute eriditius loquatur quam consuevit, in suis ipse libris attribuendum esse litteris graecis censet, et Flacci exortacionem sequentes. Vos ... diurna[1] quia Grays ingenium grays dedit ore rotundo Musa loqui, quo pacto eam linguam discere possint, pro ingenioli nostri iudicio commonstrabimus. Nec sane me fugit Quintilianum ut ab illis sumatur exordium, praecipere, quod mihi ea racione difficilius videtur, quia cum ea nobis lingua naturalis non fit, nisi prius aliquid loquendi principium ex nostra habuerint, in ea perdiscenda pueri nescio quomodo deterrentur. Atque ita mihi persuadeo, Quintilianum sic praecepisse [f. 14b.] quia suis temporibus latinam linguam omnes haberent, nec in ea tanta elaboracione opus esset. Vidi ego contra nonnullos sub optimo et huius linguae non minus quam romanae doctissimo parente meo posteaquam nostrarum fundamenta contigerant, uno anno in graecis tantum profecisse, ut quos nunquam viderant libros per se in latinam linguam sic integre fideliterque converterent, ut ab omnibus facile probarentur. [A margón a miniator: De Iano Pannonio intelligit nunc Episcopo Quinqueecc.] Eam igitur adolescentes arripiant nec confuse nec inordinate, ut apud graecos tradi solitum erat, sed eas habeant regulas quas parentis nostri preceptor Emanuel chrysoloras summatim collegit, vel quas parens ipse noster compendii amantissimus ex illis contraxit. Et inter docendum

[1] Idézve Ars poet. 269—70. versét.

[f. 15a.] admoneantur maxime verborum tempora generali quadam preceptione derivare, et ea quae apud illos ἀνώμαλα verba sunt tanquam ungues calleant. Sic enim facillime quod in ea lingua utilissimum est, nomen a verbo et verborum tempora etiam prima fronte discernent, hoc autem et frequenti et diligenti praeceptoris interrogacione consequentur. Paulatim deinde ad sciptores progredientur et ad eos primo, qui in soluta oratione faciliores sunt, ne dum sentenciarum pondere laborare coguntur, id quod in principiis maxime desideramus, regularum quas didicerunt, confirmacionem ommittant. Ut igitur libri duriores erunt, ita posteriores eis tradantur. Ad poetarum postea principem Homerum pervenient, qui [f. 15b.] sicut nostris omnibus fontem quendam prebuise videtur, ita ad discendum non difficilis est, hinc erit illa animi iocunditas, ut Virgilii imitacionem contemplari queant, qui tanquam in speculo Eneida ad illius opera confirmavit adeo ut ferme nihil in Virgilio comperiatur, quod idem apud Homerum non sit, nec res tantum, sed et versus plurimos verbum ad verbum inde translatos considerabunt, sicut idem quoque et de Theocriti Bucolicis et Hesiodi Georgicis ab eo factitatum est. Reliquis deinde et heroicis et tragicis et comicis insudabunt, hoc imprimis servent, ut in ea lingua vocabulorum varietatem et copiam quibus ea maxime habundat, non tam memoria quam et scriptis colligant, [fol. 16a.] atque eo promptiora erunt, si in ordinem redacta fuerint. Ex hac enim scribendi assiduitate menti magis imprimuntur et accentus quorum sermo ille plenus est pericius notantur, aut si forte ut est memoria labilis effluxerint, habebunt semper quo tanquam in Thesaurum se recipiant. Quapropter id non mediocriter conducet, si excribere ab inicio didicerint, et in eo se vehementer exercuerint, quod eciam ad legendi expedicionem non parum conferet. Ubi vero aliquantum progressi fuerint, tunc vel ex graeco in latinum vel ex latino in graecum vertere incipient, quo genere exercitacionis proprietatem splendoremque verborum et promptitudinem linguae facillime comparabunt. Multa enim qaae [fol. 16b.] legentem forte fallerent, transferentem nullo modo fugere possunt. Nehogy

azonban a latint elfelejtsék, ubi graecarum primas regulas habuerint tanulják Priscianust, és vágják Cicero leveleit, olvassák Valerius és Justinus történeti compendiumjait, és utánok a többi történetirókat. Eodem quoque tempore poetas omnes ordine percurrent, kezdjék Virgiliusnál, aztán ennek utánzója Statii Thebais (Lucanus inkább rhetor, mint költő és így a rhetorok után következik). Ovid. Metamorph. (csak a fabulákat belőle) és Fasti, Seneca Tragoediái (sok fabula és sententia), Terentius (elegans) és daczára némely obscoenitásának Juvenalis (e kettő a sermo urbanusra tanit), Plautus, Horatius, Persius. A többi költőt máskorra kell hagyni. Minthogy a költőkben sok földrajzi dolog van említve, jó lesz aztán átvenni, Pomponium Mellam Iginium (= Hyginum), Solinum et quem nuper in latinum parens noster convertit Strabonem és Ptolomaeus mappáját tanulmányozni, aztán a rhetoricára áttérni. Főmű Cicero Rhetorica nova-ja és többi szónoklattani munkái (declamatiókkal egybekötve) s Quintilianus. Szüksége van az oratornak a Moralis Philosophiára is, azért vegye át dialecticorum argumenta et Aristotelis ethica ac deinde Platonis volumina, Cicero Officia és Tusculanne disp. Quae omnia posteaquam adepti fuerint iam non modo praeceptore non indigebunt, sed ipsi aliis praeceptores erunt idonei itaque per se et legere et intelligere poterunt. Ez volt a tanitás módja. A mi a tanulás módját illeti: Ne elégedjenek meg a tanító előadásával, hanem olvassanak más commentárokat is és csináljanak minél több excerptumot.

fol. 24b. In graecis quam brevissime proficient si cum primum fundamenta acceperint, non semper [fol. 25a.] magistrum ducem expectabunt, sed ipsi se excitabunt et magitsri loco eius libros desument, qui in latinum conversi sunt, et una cum graecis percurrendo ex virorumque lectione vocabula ipsi per se colligent, inveniuntur nonnunquam presertim in sacris libri nonnulli graecae (!) latinaeque (!) excripti ita ut ne una quidem syllaba interpretationis versiculum aut maior aut minor sit, hi ad hanc rem sic optime conducent, ut quosdam ego cognoverim, qui hac racione ad maximam huius linguae noticiam absque praeceptore illo

pervenerint. Frequentanda erit imprimis graecarum litterarum lectio, nam si nostra temporis desuetudine dilabitur, quid de ea cogitandum est, quae nobis naturalis non est.

fol. 32b. Hic est enim et docendi ordo et studendi praecepta, quibus non minus doctissimus quam optimus parens meus et praecipiendi iure avus tuus discipulos instruebat, quae vel hac una ratione optima esse putabis, quod ex eius ludo velut ex equo troiano meri litterarum principes prodierunt. Nam et maxima illorum pars qui cum reliquas orbis partes, tum vero hanc nostram Italiam studiis ex coluerunt, ab eius fontibus emanarunt.

fol. 33a. A mű kelt Verone XVIII. Martii 1459.

fol. 34b. Bene vale. ἐφίεμαι καὶ λίαν ἄχομαι αἰσθάνεσθαί σε τινὰ εὑρόντα διδάσκαλον περὶ τά λογικὰ ἢ διαλεκτικὴν καὶ περὶ τὴν φιλοσοφίαν οὗπερ γενομένου μαντεύομαί σε ἕτερον ἰταλίας ἄνθος ἔσεσθαι πείθου μοι πείθου παῖ φίλτατε.. *E* fer[a] XVII Aprilis 1459. — Finis.

Philippi Gundelii Pataviensis Philosophiae et iurisprudentiae Candidati Aeglogae duae.

Quarum quae prior Apollonodia: *Altera Callianera inscribitur. His primum typis excusae.*

Végén: Hieronymus Vietor imprimebat, Viennae Austriae. Pridi calend. Januar. Anno Salutis M. D. XVIII. Impr. Caes. Maximiliano Aug. Regnañ. feliciter.

A Sebastianus Felix Cuspinianushoz (Joh. Cusp. fiához) intézett dedicatióban:

... Cum enim nuper mense Septembri Ungarię denuo visendę desyderio parenti tuo ad eius terrę. Regem cum Cęsareis mandatis proficiscenti' ministrum me addicerem, isque pro reliqua sua in me benignitate mea potissimum gratia facile admitteret. Tanti itineris absynthium hoc potissimum puleio censui temperandum, ut navigationis tedium ocioseque in patroni mei dimissionem oppertionis moram Musarum voluptate ... discuterem.

Akkor irta a két eclogát.

Matheus Hagymas Hungarus Arbogastum loquitur.[1]

Viximus: atque comes virtus fuit ardua nobis:
 Qua duce Coelicolum nunc habitamus opes.
Tu quoque, qui vivis sociam tibi Pallada iunge,
 Corpore ut exstincto mens super astra volet.

Martinus Hatzius Transylvanus ad Lectorem.[2]

Stagna, lacus, fluvios, et apertas aequoris undas
 Noscere si tractas, rura, nemusque paras,
Quos dedit Oceanus campos, rapuitque profundus,
 Cynthia dum rapido vertitur axe madens,
Denique qua trifidi pateat tibi machina mundi,
 Circuat et gemino Delius orbe solum,
Sumis ab exiguo quem cernis, cuncta libello,
 Perlege, parva legis, commoda multa feres.
Saepius in modico magnus cinere ignis habetur,
 Et brevis ingenti vena redundat aqua.
Nemo superficies (vulgus nam pascitur illis)
 Janus amat, fruges interiora dabunt.

Oratio nomine florentissimi gymnasii ad Reuerendissimum in Christo patrem et Dominum Dominum Georgium quinque ecclesiensium Episcopum, supremumque regni Ungariae cancellarium pro adventus sui gratulatione a Magistro Ioanne Kresling Budense habita.[3]

Si quis unquam fuit, Antistes amplissime, qui te praesente dicturus, ante trepidaverit eum profecto me esse et ipse sentio et his qui adsunt videri posse considero. Nec

[1] „Arbogasti Stsub (Strub) Glavonesii orationes duae, quas dum in humanis fuit, habuit, dein nonnulla mortuo ab doctis viris eulogia, Epitaphiaque pie posita. Carmen item de morte per Joach. Vadianum." A könyv végén: „Viennae Pannoniae apud Hieronimum Philovallensem et Joannem Singrenium, quorum expensa haec excusa sunt. Anno M. D. XI. Decimo sexto. Kalen. Maias." Negyedrétben.

[2] A már említett 1518-iki bécsi Pomponius Mela-kiadás első lapjáról.

[3] „Orationes Viennae Austriae ad Divum Maximilianum Caes. Aug. aliosque illustrissimos Principes habitae. In celeberrimo trium Regum

immerito cum ab ineunte adulescentia in hunc usque diem nunquam coram tanto principe, tam docto, tam religioni dedito, tamque excellenti verba fecerim. Huc accedit quod eos auditores habeam, quorum de me expectationi, pro incredibili [1] quam ob tuae celsitudinis adventum animis suis exceperunt laeticia, diffiicile sit oratione quantumvis docta laudes tuas celebrando satisfacere, longe tamen difficilius pro ingenita eorum atque hereditaria orandi facultate, non esse fastidio rudem hunc et incultum mei sermonis horrorem. Praesertim cum absurdae temeritatis et ambiciosae audaciae argui possim, quod semiblesus coram tam sapientibus loqui audeam. At certe si tua mansuetudo, Praesul reverendissime, aliorumque qui adsunt modestia, consilium rationemque meam perpenderint, una mecum id quid facio probabunt. Dabitque mihi tua clementia veniam, si quid minus apte, minus docte, aut erudite, inter orandum exciderit. Non enim iniussus huc venio, sed mandato praeceptoque maiorum meorum parendo, huic tantae dicendi, provinciae humeros meos subieci. Sed tam perfectum consummatumque [2] oratorem dari posse nequaquam credam, cui tanta pro rei magnitudine dicendi affluat copia, qui summum illud et insolitum nostrum gaudium quod de splendidissimo et optatissimo adventu tuo, Georgi princeps illustrissime, habemus verbis ut par esset consequatur. Tanta est enim nostra laeticia, tanta exultatio, ut in tanta rerum copia nihil iucundius, nihil charius, nihil optabilius evenire potuisset, quam te praesentem aspiceremus, veneraremur, admiraremurque, religioso tuo animo, gloria virtuteque delectaremur. O si tuae reverendissimae dignitati lincei aut potius divini forent oculi, quibus magnifici domini nostri Rectoris et totius gymnasii suo crediti regimini pectora conspiceres, videres profecto, [3] quanta animi alacritate, ob prosperam tuam valetudinem, felicissimumque in hanc urbem Viennensem adventum gestiant et exultent. Ad Titum Livium

ad Caes. conventu. Anno M. D. XV." Végén: „Impressum Viennae Pannoniae per Hieronyuum Vietorem. Expensis vero Leonardi et Lucae Alantsee fratrum. Mense Jannari. Anno M. D. XVI."

[1] *increbili* a kiadás. [2] consumatumque. [3] porfecto.

lacteo eloquentiae fonte manantem de ultimis Hispaniae Galliarumque[1] finibus quosdam venisse nobiles legimus et quos ad contemplationem sui Roma non traxerat unius hominis fama perduxit, quo viso statim discesserint quid mirum? Si nos non unius eloquentiae tuae, sed innumerarum virtutum praeconio ingentibusque et corporis et fortunae, dotibus pellecti, tam ardenti tui videndi desiderio teneremur te praesentem tanto gaudio exciperemus. Caeterum cum nominis tui celeberrima fama, ubique gentium, ubique locorum, longe lateque praedicetur, facturus operae precium mihi videor, si et ipse laudes tuas hac mea oraciuncula, Episcope Quinqueecclesiensis reverendissime, extremis dumtaxat (ut aiunt) digitis attigero: Nam splendidissima opera tua tam sunt omnibus notissima, tam cunctis admiranda, ut honestius quidem fore duxerim de his silere, quam parum dicere tum ut quivis facile intelligat quantum hilaritatis tanti praesulis adventus nobis attulerit, atque ut adolescentes nostrae litterariae palestrae te sibi ducem, cuius virtutem imitentur pro nominis immortalitate consequenda proponant, paucula recensenda existimavi. Non tamen auspicabor laudes tuas a cunabulis, ipsisque crepundiis, sicuti nonnuli laudatores factitare consueverunt. Non stemmata familiae generosae recensebo, nam tu illam potius illustrasti, quam illa tibi quicquam ad gloriam contulisset. Non enim parentum precibus, aut quacumque ipsorum ratione habita non sanguinis hereditaria generositate, sed tuo (ut dicitur) Marte certando, tuis enitendo virtutibus, quae vera est nobilitas, ad hanc episcopalem gloriam, ad illud cancellarii regiae maiestatis officium quod aliquamdiu gessisti, ad hos tantos fasces, tantaque dignitatum culmina conscendisti. Non praeterea fortunas luculentissimas, non ingentem auri argentique copiam, non urbium, non hominum, non ornatissimae ac ordinatissimae domus tuae possessionem referam. Neque laudabo facie luculentam, frontem serenam, os hilare, vultum reverendum magis quam timendum, staturam proceram et alias eximias corporis dotes. Nam divitias, honores, formosita-

[1] Galliorumque.

tem, vires, hoc est fortunae et corporis bona, neque tu, utpote fluxa et caduca, magni facis, neque inter Praesules solus possides. Non aliis quam tuis te pingam coloribus, nihil nisi tuum, nisi genuinum, nisi proprium laudabo, hoc est solas ipsius animi dotes quae in homine sunt principalia commemorabo. Atqui ex conserto episcopalium virtutum choro quo undique septus et stipatus incedis, religio et doctrina, velut Sol et Luna inter splendidissima illa coelestis regionis ornamenta relucent atque resplendent. Ita namque amplissime religioni tuae luculentam doctrinam coniunxisti, ita lucernam accensam non sub modio, sed super candelabrum ab ipsa edoctus veritate posuisti, ut nemo sit qui non lucem docrinae tuae videat, qui non religionis lumine te totum lucidum, totum illuminatum, nulla prorsus ex parte tenebricosum conspiciat. Pythagoras qui sibi primus philosophi nomen et sapientiae potius amatoris, quam sapientis usurpavit, inter plurima quae humano generi saluberrima documenta praecepit cum primis monet, Deum religione colendum esse, animum disciplinis ornandum. Tu perinde ac Pythagorici dogmatis observantissimus cultor, adeo religione praecellis, adeo doctrina praepolles, ut nulli Antistitum clarissimorum sis secundus, agisque episcopum ex omni prorsus parte absolutissimum. Vas electionis apostolus Paulus in episcopo perfectissimo desiderat sobrietatem, prudentiam, sanctitudinem, sanamque doctrinam, quae omnia in te uno affatim cumulate conspiciuntur. Tu sobrius, tu prudens, tu moribus defecatis ornatus, tu castitate vitae sanctissimus frugalissimusque. Doctrina vero tanta peculiariter excellis, ut non minus sis eruditione quam episcopatu memoratus. Quo fit, ut omnibus fere conviviis tuis doctos adhibeas literatosque diligas, ac liberalitate tua foveas.[1] Quae vero ad tuum sacerdotium spectant divina ministeria, ea tam diligenter, tam sancte tam solenniter celebrantur, ut omnia in his maxime casta, solennia, religiosa sint, ut sacerdotes alii, ex institutis[2] tuis religionis colendae formulam intuentur. Quantum vero illud, quo praeconio, qua

[1] foves. [2] instituis.

laude memorandum, quod ob singularem tuam prudentiam, in maxima es sicuti merito esse debes, existimatione atque auctoritate, apud sacratissimum et omni cum honore mihi nominandum Regem Wladislaum qui regiis virtutibus, quasi compactus et conglutinatus duorum regnorum Pannoniae et Boemiae habenas sapienter et salubriter moderatur, cui non secus ac Traiano alteri cognomentum optimi optime congruit, qui te ex suis omnibus, utpote summae prudentiae Antistitem sibi elegit, cui arcana committeret, regnique Pannoniae negotia permagna concrederet, quem superioribus annis ad invictissimum imperatorem Maximilianum nuncium legatumque sollertissimum est expertus. Tu apud summates omnes et proceres aulicos, pro ea qua polles virtute et amabilis atque venerabilis, mansuetudine nemo, nemo te liberalitate vincit. Possem clementiae, possem et munificentiae tuae ingentia recensere opera, ni ea clariora amplioraque essent quam pro magnitudine sua oratione quantuncunque docta et ornata explicari possint. Sed ne ficte cuiquam Panegyricum texere videar, reliqua quam verissima virtutum tuarum praeconia tacitus praeteribo, quae tamen si cuncta recenserem, vel saltem summa sequerer fastigia rerum, ante diem clauso composuit vesper Olympo.[1] Iam igitur receptui canam atque hoc unico adiecto dicendi finem faciam. Excellentissimus sacratissimae Theologiae doctor, nostri litterarii studii rector magnificus, caeterique[2] singularum facultatum doctores, magistri baccalaurei totumque nostrum Gymnasium, amplissimae dignitati tuae,[3] praesul reverendissime, sese commendant, rogantes ut eandem a tua pietate quam et ab aliis principibus benevolentiam experiantur, hoc est ut eorum de tuo adventu gratulatio apud dignitatem tuam, Antistes excellentissime, grata et accepta sit.

Dixi.

---

[1] olimpo. [2] caetirique. [3] amplissime d. tuoe.

G. Logi Silesii ad inclytum Ferdinandum Pannoniae et Bohemiae Regem invictissimum Hendecasyllabi, elegiae, et epigrammata.[1]

(VII. Kelemen pápának II. Lajos királyunkhoz: „Dat. Romae, die XXIIII Novembris MDXXV" intézett leveléből:)

„Is (Georgius Logus) nobis narravit se triennium iam in Italiae gymnasiis literis operam dedisse, adiutum liberalitate et munificentia Serenitatis Tuae, quae ei annuum subsidium ducentorum auerorum constituisset, gratissimoque animo sese opus Tuum et abs te factum esse praedicavit. Quod nobis de Tua Serenitate semper optime sentientibus auxit etiam opinionem benignitatis Tuae, cum videremus Te id quod maxime est regium, de animandis ad optimas artes his qui in regno Tuo nati sunt et cura et sumpta elaborare.

Augustissimo Praesuli, Domino Domino Georgio Episcopo Quinque Ecclesiensi summoque Cancellario R. H. Sebastianus Magius Pannonius felicitatem![2]

C. Plinius ille nobilissimus historiae mundanae conditor, togatorum omnium post M. Ciceronem facile princeps, Deus est, inquit, mortali juvare mortalem, et haec ad aeternam gloriam via. Cuius sententiam, verborumque pondus cum nuper mecum paulo curiosius examinarem, subibat recordatio tuae illius immensae ac nullo tempore ex animo nostro labentis beneficentiae. Quam mehercle tantam in me expertus sum et cotidie magis experior, quantam etiam petere voto immodicum esset. Itaque dies noctesque volvebam animo.

[1] A könyv végén: „Viennae Pannoniae Hieronimus Vietor Silesius excudebat. Mense Maio M. D. XXIX." Egyetlen példánya Denis szerint (WB. p. 286.) Prágában a gróf Nostiz-féle maiorátusi könyvtárban. Logus epigrammjai között több magyar emberhez van intézve, ilyenek Nádasdi Tamás, Broderics István, Zalaházi Tamás, Thurzó János, Elek és Szaniszló, Várdai Pál, Gerendi Miklós, az említett Zalaházi Tamás egri püspök unokája Kecheti Márton, Wolfhard Adorján.

[2] Janus Pannonius 1513-iki, bolognai kiadásának elejéről.

quidnam potissimum foret, quo te, Maecenas Amplissime, demereri possem; nihil tamen prorsus occurrebat. Sciebam enim me nunquam immortali numini tuo par pari redditurum. Tua siquidem fortuna remunerandi vicem non admittit, neque nostra suggerit restituendi facultatem. Utcunque sit, malui tamen plumis aliunde congestis tanquam Graculus Aesopeus in publicum prodire, et me ipsum scenae, quod aiunt, ac populo irridendum praestare; et hoc pacto animi mei gratitudinem dignationi tuae patefacere quam ingratitudinis crimine notari, quo nihil gravius apud Persas olim fuisse legimus. Etenim Ianum Pannonium, optimum, maximum nostrae tempestatis poetam, tibi hac praecursoria epistola nuncupatim dicamus; Ianum, inquam, quam vel antiquitas doctrinarum omnium parens et alumna procul dubio suspexisset. Dii immortales! quanta in illo venustas! quantus dulci quadam cum verborum sententiarumque gravitate lepor! quanta niveo candori mixta svavitas! Olim ego naturam non ut parentem sed novercam potius incessere solebam; quod neminem Vergilio, Ovidio, Catullo, ceterisque priscis poetis parem, aut saltem secundum hactenus protulerit. Nunc autem respiciens palinodiam recino, et naturam ipsam ne dum non incesso, immo vero et laudo et extollo, ut quae nobis in uno Iano, quicquid Vergilio, Ovidio, Catullo, ceterisque eruditionis ac leporis inest collocaverit. Et profecto si quis literarum verus indagator, cui auris non omnino sit hispida poetam hunc penitus aspexerit, intraveritque legendo; Dii Deaeque! quam multa in principio, in medio, in calce operum eius offendet! Offendet, inquam digna scitu, imitatione clara, nulli non iucundissima. Si herois gesta ducum seu quid aliud cantat, Vergilium prorsus effingit, dixissem, exuperat, ni plus nimio conterraneum meum laudando, mihimet placere viderer. Si elegos eius leges, ingeniosum vatem mellitumque Tibullum credas. Si epigrammata non Catullum amplius desiderabis. Hic, hic non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem cogitat. Ceterum haec alias de Iano; cuius laudes si quis vel summatim pertractare voluerit, erit perinde, ac si frondes ab Ida, et summam Libyco de mare carpat aquam. Proinde melius est tacere quam pauca dicere.

Redeo nunc ad te, Antistes Augustissime, quem eruditi omnes uno ore, consonoque suffragio Maecenatem, Pollionem Proculeiumque saeculi nostri celebrant. Nec immerito. Tu enim illorum es asylum, praesidium et decus. Quis vero est qui nesciat doctissimum Quinqueecclesiensem Episcopum doctos omnes fovisse semper et cotidie fovere? Testis erit in primis Balbus Venetus, utriusque linguae, vel inimico iudice, doctissimus, qui te duce et auspice altum iam pridem spirare caepit. Praeterea Laurentius Bistritius, celsitudinis tuae nepos et Albae Regiae praepositus, patronusque meus; qui fulturis tuis ad eloquentiae et eruditionis cacumen, Bononia teste aspiravit; Stephanus etiam Brodaricius, laurea dignus Apollinari. His adnumerandus et Ianus ille, faber eruditionis multiiugae faberrimus, qui multum in fronte pollicetur, plurimum vero habet in recessu. Accedit huic Philippus Albaregalius, Varadiensis, Archidiaconus cathedralis, iuvenis optimae indolis et in literis nequaquam poenitendus; nec non Valentinus Cybeleius, Musarum alumnus, et alii pene innumeri, quos si recensere voluerim, facilius metiar quot coelum sidera servet, et quota in Oceani bellua mole natet. Verum ne ex epistolica verecundia in commentariorum audaciam transeamus, iam receptui canam, cum praesertim ad materiae dignitatem et virtutum tuarum merita, parum sit omne quod dicitur. Tu interea vive diu felix et omni detectus pectora nube, finem Nestoreae, precor, egrediare senectae. Vale, Antistes eminentissime, et me, qui tibi vel animam ipsam debeo, mancipiolum respice. Ex florentissimo Gymnasio Bononiensi. Idibus Ianuariis MDXII.

Sebastianus Magius Lectori salutem. [1]

Illud nunc ego (nec importune quidem) dicam quod Graeculus quidam olim ad Augustum: Plus darem, si plus haberem. Non enim me praeterit, his longe plura Ianum nostrum composuisse, quae, prô pudor adhuc ab invidis

[1] Ugyanazon kiadás végéről.

supprimuntur. Ex hoc tamen, licet parvo libello, praestantiam eius metiri potes, Pythagorae exemplo, qui ex pedis mensura Herculis magnitudinem ratiocinatus est. Sed quoniam intellego, te novi aliquid hactenus expectare quod pagellam superesse, vides; ne spe tua frustrere, Achillis Philerotis poetae clarissimi et incomparabilis praeceptoris mei Epigrammata quaedam obiter addidi, quibus nil dulcius, nil candidius, nil emunctius esse vel Momus ipse iudicabit. Lector pellege laetaberis. Vale.

Eiusdem Seb. Magii epigramma. [1]

Dulcia poma dabit formosi villicus horti,
  Multaque purpureis lilia mixta rosis.
Agricola messes, turgentes vinitor uvas,
  Praepingvi lectas de grege pastor oves.
Pictor Apellea descriptas arte tabellas,
  Daedalus e Pario marmore sculptor opus.
Arma ferus miles, gemmas, niveumque Elephantum
  Indus, opes avidas divitis arca Midae.
Nos tibi praesidium et decus orbis maxime, Iani
  Carmina Hyperborea candidiora nive.
Carmina, quae docti cupiant imitarier omnes,
  Nemo queat, Genio carmina digna tuo.
Chrysea dent alii interea, nos chartea tantum,
  Quae tibi cum placeant, iam meliora damus.

Antonius Mancinellus generosissimo adolescenti Michaeli Pannonio. [2]

Etsi Fabius Quintilianus Diomedes etiam et donatus non pauca de figuris dixere Michael inclyte attamen ego quoque id oneris sumpsi: triplici quidem ratione impulsus. Primum ut tuae et aliorum memoriae consuleretur, facilius enim percipiuntur et fidelius continentur, quaecunque carmine

[1] Ugyanazon kiadás elejéről. [2] Ant. Mancinelli: Carmende Floribus. Carmen de Figuris etc. 1493-iki kadásából.

patefiunt. Deinde ut diversorum dicta brevi colligerentur. Postremo sit figurae cuiusque ethimologia id est originatio uno libello haberetur. Ad quas quidem sciendas te omnesque alios hortor: eis enim non poema modo, sed etiam oratio ornatur: ut inquit Fabius: et Cicero de claris. Oratoribus etiam ait, quod ornari orationem graeci putant: si verborum immutationibus utantur: quos appellant tropos et sententiarum otationisque formisque vocant schemata. Caeterum quia ipsarum nomina figurarum asperrima sunt aliqua enim tris breves syllabas: quaedam quattuor aut quinque tenent: quod Manilius tertio libro refert: tornari res ipsa negat contenta doceri. Vale dulcissime: Nonis Sextilibus Millesimo quadringentesimo octogesimo nono. Romae.

Antonius Mancinellus praestantissimo viro J. V. serenissimi Regis Hungariae Bohemiaeque oratori dignissimo.

Pannonios inter fama celeberrime praesul,
  Romano eloquio vel cicerone prior.
Cum tibi sunt dociles pueri: clarique nepotes
  Pars quorum studiis erudienda meis
Scripsimus haec valeant cultum quis nosse poema
  Quis veterum passim scripta referta notent.
Cultos his etenim quaecunque oratio fiet
  Sive soluta meet: sive notata modis.
Usque per ora virum possint audentius ire
  Nec sannas metuant: auriculasve sibi:
Eligo tutorem summa gravitate verendum
  Eligo quem procerum pectora saeva tremunt.
Qui nulli ingenio, nulli virtute secundus:
  Quo nullus toto gratior orbe manet
Hinc ad te properant nostri monumenta laboris
  Hinc velut ad numen missa libenter eunt.
Sumito parva licet minimo quoque numina gaudent
  Sumito: si voti spes tua compos eat.

Vale.

Martini Thyrnavini opusculum ad regni Hungariae proceres.[1]

Uldrici Fabri Rheti carmen in illam belli contra Thurcas suscipiendi adhortationem, quam ad inclytos inferioris Pannoniae proceres venerabilis frater Martinus Thyrnavinus versibus impariter iunctis instituit concinnavitque.

Magnanimi o proceres dubiis succurrite rebus,
  Inque salutares tempore ferte manus.
Dormitum satis est, gelidos ex pectore somnos
  Excutite, et fortes iam vigilate viri.
Ite sub occursum celeres, quia maximus hostis.
  In vos quid gravius nescio morte parat.

[1] E műnek, úgy látszik, amaz egyetlen példányát, melyet a koppenhágai királyi könyvtárigazgatóság szíves engedelmével Budapesten használhattam, legelőször Fraknói Vilmos említette (Magyar Könyvszemle 1880. p. 281—283.), hol a kiadásról következőképen nyilatkozik: „A munka Nándorfehérvár eleste után iratott és nem sokkal később nyomatott. Minthogy Szalkaihoz, mint egri püspökhöz van az ajánló-levél intézve, Szalkai pedig 1524 május 6-án esztergomi érsekké lett: már ebből is következtethetnők, hogy a munka előbb jelent meg. De a koppenhágai példányra már 1523 november 28-án rájegyzé első birtokosa nevét: „M. Melchior Eysenhart Vienne." Valószínű tehát, hogy ekkortájt jelent meg az ismertetett nyomtatvány." A kérdéses felírás a mű első oldalán áll és így szól: „M. Melchior Eysenhart Vienne . 28 . Novembris . 1523." Eysenhart kezétől a margón is olvashatók egyes megjegyzések, mint „ferocitas turci", „Miseria captivorum inter turcos", „Comparatio penarum", „Instigat, adhortatur" stb. stb. A mű szerzőjéről Fraknói i. h. következőképen nyilatkozik: „Sajnos, az érdekes mű szerzőjéről semmit sem tudunk. Nevével ekkorig sehol sem találkoztunk. Csak ezen munka, illetőleg annak távol északon fenmaradt példánya őrizte meg emlékét. Neve mutatja, hogy Nagyszombat volt szülőhelye és hogy tagja volt a szent Benedekrendnek, mely előbb is és utóbb is oly nagy érdemeket szerzett magának a hazai közművelődés ügyében." — Pfeiffer Antal „A Magyar Irodalomtörténet, tanügy és könyvnyomdászat 1450—1500-ig" czímű értekezésében (p. 18.) Mátyás király korából Mester Ferencz, a polyglott Budai S. és Gábor költőkön kívül fölemlíti „Nagyszombati Márton"-t is latin nyelvű költőink között. — Eddig Ábel.

En servile iugum pressit quem Thurca Scytharum
Faucibus, ac nostris saevior instat agris.
O mora, pigriciesque ducum, qui rupibus olim
Caucaseis latro non bene tutus erat,
Ille per Europam nullo prohibente vagatur
Liber, et in totum saevit ovile dei;
Ignibus infandis agros populatur, et urbes,
Nec templis parcit thuricremisque focis.
Omnia confundit, leges, ac iura prophanis
Quin etiam stupris nulla puella vacat.
Est Asiae dominus foedas modo Graecia leges
Audit, et obsequitur Thrax, Getha, Dacus, Arabs
Egyptum domuit, sceptrumque Sophitidos aulae
Quod reliquum est, in nos agmina Thurca movet.

Apponyi Sándor gróf (Hungarica, Magyar vonatkozású külföldi nyomtatványok. Budapest, 1900. I. 134—35. lapon) Fraknói megjegyzésével szemben konstatálja, hogy Jakab Elek 1865-ben a kolosmonostori conventről szóló értekezésében Martinus Tyrnavinusról megemlíti, hogy 1538-ban e monostornak apátja volt. Ugyanő megjegyzi továbbá, hogy a Hormayer- és Mednyánszky-féle *Taschenbuch* 1821-iki folyamában a Jankovich-féle gyűjteményt leíró czikkben előfordul a a következő észrevétel: „Van a gyűjteményben a régi kornak több, nem éppen jelentéktelen költője, kik megérdemelnék, hogy jobban ismerjük, pl. a Martini Tyrnavini ad Regni Hung. Proceres, quod in Thurcam Bellum movere negligant. Fraknói a *Hazai és külföldi iskolázás* czimű, 1873-ban megjelent munkájában fölvette Matthias Thyrnavinus művét, annak megjelenését körülbelül 1510-re téve. — Jöcher: *Gelehrten Lexicon*-ja (Lipcse, 1751) emlit egy benedekrendi Martinust, ki a XV. században Felső-Magyarországban a Szepességben született; volt perjel, apát, járt Olaszországban is, egyházi munkákat irt. E Martinus és Nagyszombati Márton azonossága sincs teljesen kizárva. Ugyanis Márton előbb a Sacrispecus-kolostorban él, majd a rend szigorú szabályai miatt a bécsi skót kolostorba ment át, itt lett perjel és végre apát; de apáti méltóságát letette és magányba vonult. Nem lehetett-e a magány éppen a kolosmonostori apátság, hol Jakab Elek szerint az apát 1538-ban Martinus Tyrnavinus volt? Hozzáteszem, hogy az Apponyi Sándor gróf könyvtárában talált példánynyal (tehát a koppenhágai példány nem „egyetlen") egybehasonlitottam az Ábel-féle hagyatékban talált, más kézzel másolt és Ábeltől kijavitott szöveget. Ábel átjavitotta az eredeti szöveg nem egy súlyos helyesirási hibáját. Ezért e szöveg tökéletesebbnek mondható.

Plus nimio vobis, vereor, confiditis, eheu!
Pannonias pulsat limine Thurca fores.
Haec cecinit vates, monstrant haec carmina fratris
Martini, proceres, Pannonicique viri.

Reverendissimo domino Ladislao Zalkano Episcopo Agriensi ac serenissimi principis domini Ludovici Hungariae et Bohemiae etc. Regis Cancellario, domino suo gratissimo, Marthinus Thyrnavinus, Monachus Sancti Benedicti, sese humiliter commendat.

Quoties, Reverendissime domine, memoria repeto, cuiuscunque ordinis et dignitatis viros, qui in orbe cum laude et gloria versantur, toties tu mihi praecipuus videris, quem omnes imprimis admirari, deinde colere et observare debeant. Quum tu a teneris unguiculis, per omnes aetatis gradus usque modo clarissimis semper virtutibus florueris, et te unicum esse bonitatis et probitatis simulachrum, animi prudentia et fidei integritate omnibus exhibueris, et hoc pacto ad hanc Episcopalem gloriam, ad tanta dignitatum culmina conscendisti. In quibus nunc constitutus nihil crevisse videris. Idem corporis cultus, idem habitus, idem incessus, conversatio eadem, nisi inquantum urgentia regiae celsitudinis negocia impediunt. Tu ab invidiae et livoris labe adeo abhorres, ut nihil neque detestabilius neque homine libero indignius ducas, prospera cuiuscunque fortuna laetaris, doles adversa, omnibus bona et optas et precaris, neminem malivolentia, aut simultate criminaris. Quo fit ut ob singularem tuam prudentiam, virtutem, et linguae facundiam, in magna es (sicuti merito esse debes) existimatione atque auctoritate, tum apud serenissimum Principem Ludovicum Hungariae et Bohemiae Regem, tum apud omnes magnates et cunctas nationes, quas tua humanitate et iustitia tibi mirum in modum coniunxisti. Singula quippe consultissime moderaris, prudentissimeque cuncta disponis, unicuique quod suum est tribuis, alienum non invadis, et propria utilitate neglecta publicam utilitatem tutaris. Omnibus fere tuis conviviis doctos adhibes, artium-

que professores et sublevas, et tua liberalitate atque beneficentia foves. Qui tibi cumulatissimam gratiam referre satagunt, de te scribentes, et praeclara tua facinora celebrantes. Ex eo maxime, quod inter tot curas tot negocia, tot domesticas et externas rerum maximarum occupationes, non intermittis studia litterarum, cum negociis ocium dividis, et historicis lectitandis subcisivas horas impendis. In quorum lectione tanquam diversorio suavissimo conquiescis. Ita nullo tempore desidiae te dedis aut inertiae, neque unquam marcore torpescis, ut enim indefessa vertigo, coelum rotat, ut sol et luna stare loco nesciunt, ita tu continuatis negociis semper irrequietus es, et semper exercitus, semper habes, quod tractes, quod agas, quod mediteris. Non est itaque cur mihi quisquam iure succenseat, quod te prae caeteris admirandum excolendumque proposuerim. Quum tu non parentum precibus, nec sanguinis hereditaria generositate, sed tuo (ut dicitur) marte certando, tuis enitendo virtutibus ad summum nobilitatis culmen tendere, teque virtute veluti face praeclara universo orbi ostendere, procuraveris. Ut igitur meam quoque erga te observationem etiam posteris testatam relinquerem, haec scripta mea tibi dedicare, tuaeque censurae subiicere volui. Quae qualiacunque fuerint, si approbaveris, animum meum ad ampliora excitabis, et me tibi insolubili modo devincies. Suscipe igitur hoc pusillum munus fronte serena et quum a grauioribus negociorum laboribus feriatus fueris, ea perseveranti animo perlege. Vale literatorum singulare profugium, tuique Martini curam suscipere, et sub tutissimis alis tuis defendere non dedigneris.

Martini Thyrnavini Monachi Sancti Benedicti ad Regni Hungariae Proceres, quod in Thurcam bella movere negligunt.

Liber primus.

Hungara nobilitas, cur non consurgis in hostes?
  Cur non bella moves? cur nec in arma ruis?
Barbarus hostis adest cinctus furialibus armis,
  Et tibi constanter praelia saeva parat,

Finibus atque tuis properat fuirbundus aperte,
  Ut rapiat resides ambiciosus opes.
Ut vastet villas torva feritate superbus,
  Templa dei pariter, castra, sacella, domos,
Denique te propria tumide statione repellat,
  Aut iugulet gladio corpora pigra truci.
Pannonicos tandem ritus patriamque loquelam
  Extinguat flemmis perfidus ille vagis,
Fecit ut Armeniis quondam truculenter alumnis,
  Chaoniae populis, Aemathiisque locis.
Urbibus egregiis, castellis, atque subactis
  Gentibus, et regnis marte, furore, nece,
Praesertim Graecis, nuper quos ille profanus
  Oppressit celeri iam cataphractus equo.
Sedibus hinc alios pepulit vesanus avitis,
  Abstulit et magnas impius hostis opes,
Turpiter at certos ferro mactavit acuto.
  Nonnullos aliis obruit usque modis
Perdomuit resides, atque in sua iura redegit,
  Quos nimium graviter nunc sine fine premit.[1]
Tum postquam Danaum dire (!) Maometis alumnus
  Funditus evertit, moenia, iura, decus,
Mox fuerant miseri peregrinas pergere terras
  Compulsi, atque simul tristia fata sequi.
Fugit ad Hesperias, pars altera venit Oatem,
  Pars latuit Geticis sanguinolenta plagis,
Caetera pars varias tristis perrexit ad oras,
  Evitans saevae tristia damna necis.
Sic etiam fuerant sparsi Phrygiique nepotes,
  Dum cecidit Panthus, Troiaque capta fuit,
Et modo sunt multi fracte (!) quos Marte sinistro
  Expulsit a propriis duriter ille focis.
Vilia, qui vacui retinent habitacula passim,
  Quique terunt inopes corde dolente vias.
Coguntur certi latebras habitare ferarum,
  Ast aliqui strictae tecta subire casae.

[1] praemit *A*.

Nulla quies curvae est nec sedes firma senectae,
Quilibet ignota sed regione manet.
Sedibus incertis profugi tristesque vagantur,
Assidue mestos taedia magna gravant.
Dira fames cruciat laceros et frigus opacum,
Continuusque dolor, publica damna, neces.
Vix possunt [1] lassi ventrem saciari voracem,
Nec reparant vires languida membra suas.
Qui dapibus quondam mensas onerabat inemptis,
Iam cupit exiguos pauper habere cibos.
Quilibet est tristis charis orbatus amicis,
Quilibet assidue tempora dura gemit,
Nocte dieque vigil gemitu versatur anhelo,
Sibilat et tacitis tristia verba labris.
Estuat in campis pedibus manibusque ministrat,
Ut rabidam sicco pellat ab ore famam.
Fercula qui quondam multis tribuebat egenis,
Iam mendicat aquas nocte dieque dapes,
Lectus adest nullus, lassis non ulla supellex,
Hospita sed durum praestat arena torum.
Turpiter incedunt lacero velamine tecti,
Afflictos semper squalida barba tegit.
Nec possunt dormire fame dum postulat hora
Quum ponunt nudo frigida membra solo.
Saepe luunt lachrymis natos fidosque sodales,
Extinctos fratres, pocula blanda, domos,
Ossa peremptorum gladiis collapsa parentum,
Tot laceros artus diriguisse nece,
O quocies memorant convivia lauta parentum,
O quocies laudant tempora prisca merum.
Non opus est digitis citharam lassare reduncis,
Edocet haec variis publica fama locis.
Nam si cuncta velim blando perstringere plectro,
Vix daret optatas labilis hora moras.
Figimus ergo vagam sicco sub littore puppim.
Anxius en prohibet plura referre dolor.

[1] passunt *A.*

Legibus at spureis iam quos parere coegit,
Seu quos imperio subdidit ille suo.
Angustas miseros contracto frigore quosdam,
Nonnullos graviter verberibus cruciat
Compedibusque tenet certos, et carcere caeco.
Esurie reliquos affligit atque siti
Hos armenta ferus campis compellit apertis
Pascere continue, setigerosque sues.
Cogitur is manibus muris subvolvere saxa,
Artificum manibus ligna trabesque dare.
Vomere sed certos duraque ligone fatigat,
Ut pecudes alios sic cruciare solet;
Non ignota loquor: res est comperta referte.
Clarius Eoo singula sole patent.
Haec populus clamat dubie vaga concio plebis,
Quilibet haec firmat *quilibet ista fatur,* [1]
Cum senibus iuvenes duros perferre labores.
Coguntur semper condicione pari.
Nobilitas generis nec clarum nomen avorum
Nec prodest virtus ingeniumve iuvat.
Incedunt nudi, rugas frons arida torvas
Contraxit, nimium lumina fronte tument.
Pendula labra rigent, fessos nec corporis artus
Succus alit tepidus, deficiente cibo.
Squalida brumali torpescunt frigore membra,
Interdum torquet fervida colla calor;
Arescunt fauces, sititos, hebet undique corpus,
Quilibet extremos optat habere dies.
Vix patitur Stygio tantas in carcere poenas
Nunc Tityus, quamvis viscere pascat avem.
Sisyphus ad montem portando saxa dolores
Non sentit tantos ardua perpetuo,
Quantos hi tolerant instanter corpore fesso,
Fundentes lachrymas, luctificunque (!) melos.
Nam quum membra solo miseri defessa reclinant,
Insomnes subito surgere cogit atrox.

[1] haec loquitur, az Apponyi-féle szövegbe belejavitva.

Qui fuerat quondam dominus magnusque patronus,
Iam lacer immundae servus adhaeret harae.
Non celebrant ultra lautae convivia cenae,
Nec splendent puro fusca phalerna vitro.
Sed tacitos muto volvunt in pectore questus,
Quilibet atque cupit tristis inire fugam.
Non sic tristis erat deserti in littoris alga
Alcyone rigido praecipitata solo,
Fluctibus eiecti dum cerneret ossa mariti,
Dum planxit chari fletibus orba viri.
Nec sic moesta fuit lacrimans Sydonia Dido,
Dum fugeret thalamos hospes ab arce suos.
Sicut luctificis illi plangoribus omnes
Iugitet afflicti fletibus ora rigant.
Non etenim poterit quisquam lenire dolorem,
Non ibi quis requie corpora fessa levat.
Tempora deficiam, casus si persequar omnes,
Nonque capit carmen tormina cuncta meum.
Nam quum pallenti a morbo prosternitur aeger,
Aut spes infirmo nulla salutis inest.
Mollibus nullus adest illic Podalirius herbis,
Morbida qui posset membra medere pius.
Nulla crudeles Thurcae pietate moventur;
Illic mansveto pectore nullus adest.
Infantes gladiis mactatos mollibus annis
Plangere non audet fletibus orba parens.
Non Pharius tantum Christi cruciavit alumnos,
Corde fuit quamvis durus et ore minax.
Quandoquidem prohibet magno servire tonanti,
Virginis et nomen iam memorare ferus;
Non meritas audet Christo depromere laudes,
Nullus ad igniferos ponere sacra focos.
Fundere non dulces hymnos cantusque sonoros,
Nec precibus dominum sollicitare piis.
Non ibi fulgenti decoratus veste sacerdos,
Audet stelligero sacrificare Iovi.
Psallentumque chori cessarunt dicere laudes,
Nec capiunt arae thura precesque sacrae.

Empyrei regina poli genitrixque tonantis
Nullus excolitur laudibus alma magis.
Illius et templis iam nulla refulget imago,
Nec canitur labiis amplius illud ave.
Quod cecinit quondam celsa demissus ab arce,
Principis aetherei nuncius[1] ille poli.
Nulla manent nostri templis insignia Christi,
Non ibi sancta fides religioque viget;
Ante deum nullus procumbit poplite flexo,
Ulterius nullus numina terna colit.
Articulos audet fidei memorare fidelis
Nullus, nec veterum iura sacrata patrum.
Ludificat dominum coeli rerumque parentem,
Quo nihil in terris sanctius esse potest.
Perdidit ecclesias, subvertit perfidus aras,
Nec resonant sacris turribus Aera magis.
Amplius ulla manet Petri veneranda potestas
Clavigeri, rigido sed latet illa situ.
Barbaries sed cuncta premit, sed turbidus ille
Iustitiam vitio,[2] praecipitavit humi.
Pro virtute nephas regnat, pro laude maligna
Colluvies scelerum, crimina cuncta, Venus.
Non ultra doctae celebrantur Palladis artes,
Non ultra Argolicis dogmata sancta plagis.
Non illic resonant dulces iam pectine Musae,
Sed queritur[3] scissis docta Minerva comis.
Turba magistrorum lacero sordescit amictu,
Cogitur et turpes voce sonare modos.
Ore tonat nullus praecelsa ad pulpita doctor,
Quilibet ast doctus iam rude pectus habet.
Prisca iacet Danaum candentis gloria fame,
Cauda manet turpis, quae caput ante fuit.
An vultis etiam miseri hac sub lege manere
Segniter? an cupitis tanta pericla pati?
Quid proceres igitur facitis? Quid vosque barones?
Cur vultis miserum sponte subire iugum?

[1] nunccius *A*. [2] iusticiam vicio *A*. [3] quaeritur *A*.

Cur sinitis patriam graviter lacerare misellam,
Quae magno venit parta labore nimis?
Nobile cur nomen cupitis famamque perennem
Perdere tam tepide pauperieque premi?
Nonne volunt homines cuncti cupiuntque vicissim
Libertate frui condicione pari?
Nonne solent etiam proprios defendere foetus
Aligenae volucres silvicolaeque ferae?
Et vermes pariter caecis habitare latebris,
Ut placida semper vivere pace queant?
Aere sic volucres teneros contingere foetus,
Ne valeat quisquam nidificare, solent,
Squamigeraeque [1] natant pecudes in gurgite vasto,
Ut vitent hamos, retia, [2] noxa, dolos.
Et foetu privata furit catulosque ferentem
Tygris et irato dente inimica petit.
Setigerique sues ineunt sic praelia semper,
Ne rapiat partus quisque repente suos.
Et leo sic rabiem prenso consumit [3] in hoste,
Ursus et informis prolis amore furit.
Hunc pariter servant animantia cuncta tenorem,
Ut valeant vitam sic retinere suam.
Vos tamen ignari charos delere penates
Et proprios sinitis depopulare focos.
Est pudor immensus vobis violenter ab hoste,
Tantas insidias excidiumque pati
Turpe rudimentum est patriae ratione relicta
Segniter expertum sic tolerare malum.
An solidis vidui proceres a viribus estis
Imbelles, inopes, consiliove rudes?
An vos non facilis pariter natura creavit.
Assuetos [4] bellis ingenioque graves?
Non desunt vobis fustes cur aeque secures,
Non conti, clypei terribilisque tubae,
Non enses validi, balistae, telaque saeva,
Non arcus flexi, spicula caeca, simul.

[1] Squammigeraeque *A.* [2] Recia *A.* [3] consummit *A.* [4] Asuetos *A.*

Loricae rigidae, cristae, galleaeque comantes
Seu miseros homines, quae cruciare solent.
Non desunt pedites, opulentia magna redundat,
Quae superat largas Pigmalionis opes.
Sunt equitum cunei, sunt instrumenta, phalanges,
Et celebres currus, armaque multa nimis.
Sunt celsae naves, foelicia carbasa, classes,
Bladaque quadrupedum dulcis avena cibus.
Omnia sunt vobis dono concessa deorum
Quae bellis licite pugna cruenta velit;
Nititur immanis patrios subvertere ritus,
Symbolicam pariter suppeditare fidem.
Blasfemare deum, leges dissolvere sanctas,
Sanguine sacratos commaculare lares.
Atque salutiferi nomen venerabile Christi
Tollere de medio christicolumque genus.
Maxima cura fuit Danais studiumque colendi,
Antiquis semper religionis iter;
Credebant tunc grande nephas et morte piandum
Divorum ritus vel violare parum.
Cecropidae portentifico sanxere veneno,
Iudicio doctum perdere nempe senem,
Quod male sensisset prisca de relligione,
Quae tunc in terris optima visa fuit.
Hac etiam veterum princeps ratione Sophorum
Palladia solum pulsus ab urbe fuit,
Ingenio quamvis causas penetrare latentes,
Is docuit celeri dogmata cuncta simul,
Mollia cur tepido nascantur gramina sole,
Cur rursus duro frigore nata cadant;
Cur salsum mare, cur Phoebes tam discolor orbis,
Et cur tam crebro turbine ventus eat;
Cur sic stelligeri vertatur semita coeli,
Cur vapor in formas vertitur usque novas,
Nubibus inclusum faciat quis fulminis ignem,
Quidque cometa rubens grando sit atque nives.
Unde cavernoso ventos creet Aeolus[1] atro,

[1] Eoulus *A.*

Cur capiant cursum flumina rauca suum.
Singula quae validae scrutatur mentis acumen,
Edocuit medio splendidiora die.
Attamen hunc potuit minime tolerare magistrum
Constanter Danaum maxima turba patrum.
Malebant potius cultus retinere deorum,
Quam altarum rerum cognitione frui.
Sic et Anaxagoras fuerat mulctatus amare
Nummorum poenis exilioque gravi,
Lamina quod candens tantum penitusque corusca
Dixisset temere Sol foret aethereus.[1]
Credebant illum facinus fecisse nefandum
Actei (!) veteres de gravitate sua,
Quod fuit argutus sic de coelestibus ausus,
Tam nimium leviter talia verba loqui.
Nec minus ingenium Romanis cura laborque
In conservanda relligione fuit.
Hi fuerant quamvis bellorum pondere pressi,
Assidue templi dum patuere fores,
Tullius occubuit liquidis submersus in undis,
Quod librum dederat scribere Petronio.
Mystica qui tenuit sacrorum archana deorum
Pontificum ritus, ardua facta, patrum
Pompiliique Numae congesta volumina flammis,
Urere curavit, Martia Roma vagis.
Dissona quod fuerat illorum relligioni,
Errores pariter si tenuere malos,
Si tanto studio divum simulachra colebant
Horrida falsorum, sacrilegosque focos
Argolici veteres, Romani denique, quorum
Orbis et imperium sub dicione fuit,
Quod mox exilio claros vel morte nefanda
Damnarunt[2] cives praecipuosque sophos,
Qui verbo tantum violarunt numina vana
Laeserunt ritus, pontificumque modos:
Convenit an nobis quos Christus sponte redemit

[1] Aetereus *A*. [2] Dampnarunt *A*.

Sanguine purpureo Christicolasque dedit
Delevit patriae commissa piacula culpae,
Eripuit captos hostis ab insidiis.
Insuper ereptos ad coelica regna vocavit,
Promittens superi praemia magna chori.
Si a nobis praecepta dei serventur ad ungvem
Dumtaxat proceres, pectore, et ex animo
Ut patiamur adhuc Thurcis permittere sanctam.
Barbarico ritu contemerare fidem?
Quam deus instituit iustis ab origine mundi,
Dum patrio latuit pectore, corde, sinu.
Cordibus infudit tandem sanctisque prophetis,
Et fecit proprio subdere colla iugo.
Quam post hoc terris docuit nobisque reliquit,
Dum tonuit labiis dulcia verba suis.
Nonne foret melius crudeli morte perire
Nos pariter domini patria turba simul,
Quam tantum facinus tam molli mente subire,
Rumpere quam veterum iura sacrata patrum,
Quam coeli dominum perverso corde negare,
Quam fines fidei transiliisse male?
Huic siquidem fidei Romana potentia quondam
Cessit et antiquum gerrula turba virum.
Claviger hanc docuit Petrus, dum vita monebat,
Cui dedit in terris iura suprema deus.
Hanc tenuit semper duodenus apostolus olim,
Et sanctus quiuis hanc veneratus erat.
Helias hac coelum sanctus conscendit in altum,
Hac etiam veterum corpora sancta patrum.
Regibus haec pariter Nabathaeo a littore iussit,
Infanti parvo munera larga dare.
Hanc obeunt propter sancti teneraeque puellae,
Fortiter indignae turpia damna[1] necis.
Plectitur hanc propter rigido Tarsensis ab ense,
Hanc propter voluit Barbara sancta mori.
Urentem moriens temnit Laurentius ignem,

[1] dampna *A*.

Cui latuit firmo pectore clara fides.
Et lapides Stephano dulcem fecere ruinam,
Cui patuit celsi lucida porta poli.
Hanc propter sanctos crudeli morte peremptos
Testatur variis pagina sancta locis. —
Hanc sancti partes magna pietate colebant,
Quilibet hanc martyr testificatus erat.
Transeo mille patres, quos lex purissima Christi
Imbuit, et trinum qui coluere deum.
Haec est illa fides, quae crimina cuncta repellit,
Augmentat iustos, illuminatque malos.
Infirmos curat morbis, tribuitque salutem,
Ordinat et cleros, Pontificesque facit.
Iniustis veniam praestat, sanctosque coronat,
Et reparat lapsos, restituitque preces.
Impare rite deos numero gaudere fatetur
Pectore constanti, numina *terna*[1] facit.
Dispulit errores, mendosa volumina carpit,
Fortiter haereticum pellit ab orbe nephas.
Aeternam tandem iustis in fine quietem
Praebet et in campis collocat Elysiis.
In quibus est secura quies, concordia, paxque,
Virtutes omnes, gloria, splendor, honor;
Vita, salus, victus, cunctarum copia rerum,
Seu quodcunque oculus gliscit habere bonum.
Non ibi mors cruciat corpus, non tarda senectus,
Sed nec sicca sitis, nec violenta fames;
Non tristes morbi, contagia nulla fatigant,
Non ibi quis fractus, nec miser esse potest.
Non laetas turbat mentes miserabile bellum,
Non tormenta gravant, prospera cuncta beant.
Luctus adest nullus, vexatio nulla molestat,
Ast ibi perpetuo gaudia firma manent,
Alternisque dies vicibus, noctesque nitescunt,
Tempore perpetuo mollia prata virent.
Illic rura nitent, redolentia floribus arva,

[1] trina (Apponyi példányában javitva).

Frondosi saltus, germina cuncta simul;
Illic fragrat humus violis pulchrisque rosetis,
Circumfusa thymis, purpureisque crocis;
Hic blandi flores semper de gramine manant,
Mollibus e foliis cynnama rara fluunt.
Illic planicies rivis, silvisque comosis,
Irriguis hortis, arboribusque patet.
Frondentes adsunt platani myrtique salubres,
Quaelibet hic arbor thuris odore scatet.
Hic Zephyri semper spirant foelicibus auris,
In lucis volucres carmina blanda canunt,
Fundunt fonticuli latices, dulcesque liquores,
Immortale merum, Nectar et Ambrosiam.
Pandit et ingentes semper vindemia botros,
Iugiter Autumnus caerea poma creat.
Non tibi tempestas nec vis furit horrida venti,
Nec gelido terram rore pruina tegit.
Veris et Autumni concordi foedere leges
Servantur licite, tempore perpetuo,
Illic tecta nitent gemmis, rutilisque smaragdis,
Atria longa patent, lumina pulchra micant.
Illic centenis stat porticus alta columnis,
Calcatus nimium sub pede lucet onyx.
Crystallis [1] paries radiat distincta serenis,
Lumine iucundo regia sponte nitet.
Gemmantes pulchra fulgent testudine lecti,
Nullus at hic Veneris foedera parta colit.
Libertas regnat, virtus et regula morum,
Foelices umbrae vota precesque canunt.
Respiciunt oculis dominum, Regemque potentem,
Et coeli dominam relligione colunt,
Haec loca suscipiunt animas tranquilla piorum,
Quis deus instituit de bonitate sua.
Quae praecepta dei servabant semper ad unguem,
Laudabant dominum, pectore, mente, fide,
Hic habitant Decii merito pietatis honore,

[1] Cristallis. *Ábel* javítja, de Apponyi példányában helyesen.

Mucius et Fabii praemia digna tenent,
Qui patriam propter praesentem fundere vitam
Constanter norant, pectore perplacido.
Si cupitis proceres igitur dominique barones,
Scandere stelligeri lucida tecta poli;
Denique si fauste stabili gaudere quiete,
Et vita semper candidiore frui;
Si regnare simul regno sine fine beato
Cernere flagrantis iugiter ora dei:
Fortiter unanimes saevos propellite Thurcas,
Qui vana dominum relligione colunt;
Qui cupiunt *acriter* [1] castos violare pudores,
Nituntur que sacram praecipitare fidem.
Sic vult aeterni sapientia maxima patris,
Sicque monent leges, iusque pudorque iubet.
Sic fiet vobis sanctum placabile numen,
Ast secus indignos fulminis ita premet.
Pertrahet et Pluton nigrum truculenter ad orcum
Est in quo luctus perpetuusque dolor.
Quo qui deveniunt nunquam revocantur ad auras
Spesque salutis eis nulla relicta manet.
Fumifer illic adest ignis, frigusque molestum,
Dira fames, fetor, suppliciumque grave.
Amnes sulfurei, gemitus stridorque molestus,
Sicca sitis pariter, vincula dira, fames.
Serpentes atri, vermes, et dura flagella,
Damnatos homines quae cruciare solent.
Prodere qui patriam studuerunt ore cruento,
Qui miseros homines suppeditare solent.
Qui cruciant viduas semper miserosque colonos,
Ut cumulent sibimet turpia lucra male.
Hic pro purpureo. Nisi scelerata capillo,
Scylla manet rapidis dilaceranda lupis.
Prodidit ut patriam dulcem propriumque parentem,
Cogitur aerumnas pertolerare malas.
Hic etiam Cacus poenis cruciatur acerbis,
Quod semper villas depopulatus erat.

[1] Apponyi példányában széljegyzet: semp. (semper).

Si vos nobilitas generosaque nomina tangunt,
Cur sinitis proavum suppeditare decus?
Nonne est dedecori priscos postponere mores,
A proavis meritis degenerare piis?
Ridendum est potius titulis gaudere paternis,
Si mens virtutis perdita fruge caret.
Fabius egregia fuerat de stirpe creatus.
Ast animi vitio perdidit omne decus.
Nam postquam fuerat vitiosa labe notatus,
Non potuit patria nobilitate frui.
Quum sibi mox vetuit patrios comsumere[1] census
Urbanus praetor de gravitate sua.
Filius et Scipionis erat genitura serenus,
Polluit at vitio, nobile nomen iners.
Nam quom (!) pro patria timuit bellare solerter,
Sed se sustinuit segnis ab hoste capi.
Mox fuerat (merito)[2] laeto spoliatus honore,
Nec fuit admissus dicere iura magis.
Nil igitur genus attribuit, nil alta propago,
Ast homines dignos mens generosa facit.
Tullus erat quondam genitus de sanguine parvo,
Quum sibi principium rustica villa dedit.
Et tamen imperium Romanum rexit honeste,
Nominis atque sui gloria magna fuit.
Tarquinius[3] Priscus modico surrexit ab ortu,
At virtute sua nobile nomen habet.
Sicque velint, nolint, faveant, aut astra repugnent,
Virtutem semper concomitatur honos.
Squalidus at rursus torpor iacet undique semper,
Deformes vitium culpaque sola facit.
Maiores vestri regnum rexere potenter,
Viribus ingenio, consilioque gravi,
Servabant fines patrios pugnacibus armis,
Pro patria promptas exhibuere manus.

[1] consummere *A.* [2] metito *A.* [3] Tarquinus *A.*

Finibus a patriis arcebant saepius[1] hostes,
Inque fugam iaculis milia multa dabant;
Omnes tunc fuerant Scipiones, atque Metelli,
Quilibet insignis miles ad arma fuit.
Non illos tenuit luxus, non blanda voluptas,
Nec vinum validum, splendida mensa cibis.
Non levis ambitio, nummorum foeda cupido,
Nec placidus somnus, caenaque lauta, torus,
Fraudabant dulci radiantia lumina somno,
Ne fierent rapidis praeda relicta feris.
Hi norant molles sub divo carpere somnos,
Pro patria semper fortia facta pati;
Non illos piguit fessos tolerare labores,
Non gelidos imbres, saeva pericla, metus.
Insvetas tentare vias, mala taedia belli,
Torrentes aestus, horrida tesqua (!) nives.
Non Mavors illos durus, nec terruit hostis,
Nec vesana fames, pugna cruenta, dolus.
Sed nec Scylla ferox, rabies durissima ponti,
Nec nubes dubito[2] terruit atra noto.
Intrepidam vitam medios effundere in hostes,
Gaudebant semper limite pro patrio,
Quilibet optabat pro libertate subire,
Constanter patriae tristia damna necis.
Omnia pro dulci patria aequa mente ferebant,
Terra parens tantum limite tuta foret.
Pugnandi fuerat cunctis nam grata voluntas,
Aspera pro charis bella parare focis.
Clara quidem virtus audaces fecerat illos,
Et vitae nullo turbine fracta fides.
Hostica pugnaces nec bella, nec arma timebant,
Nec saltus riguos, fluctiferumque mare.
Dura nec ignotae *nunquam*[3] discrimina terrae,
Crudeles ventos, littora curva lacus.
Nec Syrtes vastas, tumidas aquilone procellas,
Seu quicquid rigidi maximus orbis habet.

[1] soepius *A.* [2] talán: subito? [3] Apponyi példányán széljegzet: *fortes.*

Dumque fuisset opus pro libertate parentum,
Pro patria chara, pro laribusque suis,
Pergere tentassent furiata mente libenter,
Per freta, per terras, per scopulosque graves.
Per medias acies, rabidaeque per ora Chimerae (!),
Per strictos enses, Martia tela, faces.
Per tauros[1] patulis efflantes navibus ignes,
Per[2] Scythicosque sinus, saxea tecta, nives,
Et per Auernales (si fas est dicere) lucos,
Scyronisque vias per vada caeca simul.
Hos nullus potuit blandis pervertere verbis,
Nullus muneribus praecipitare suis.
Servabant animum rectum mentemque virilem,
Conantes patrios magnificare focos.
Sic illis magnos peperit Bellona triumphos,
Et Mars infractus nomina clara dedit.
Narrant historiae, patriam vehementer amasse
Heroes priscos ex pietate sua,
Fortiter extremos membris portasse dolores,
Saepius et moestas pertolerasse neces.
Patribus et vestris nunquam de pectore cessit,
Terra parens cunctis anteferenda bonis,
Sed semper patrias illis extendere sedes
Condita mens fuerat, pectore, voce, manu;
Hos timuit quondam Rhodanus, Rhenusque bicornis,
Hispanus, Calaber, caeruleumque mare.
Attila dum princeps vastabat regna per orbem,
Traxit et innumeros in sua vota duces.
Quando etiam aequoreos navali caede Britannos
Stravit, et Ausoniam praecipitavit humi.
Urbem quum Venetam mercatrix turba palude,
Condere tentavit moenia,[3] tecta, lares.
Turbaque vipereis cecidit dum magna sagittis
Ursula cum coetu[4] virgo sacrata suo.
Attila quem puppi fecit iugulare proteruus,
Dum martis durum sollicitaret opus.
Singula quaeque cano clare monumenta loquuntur,

[1] Thauros *A.* [2] Pes *A.* [3] menia *A.* [4] caetu *A.*

Atque docet variis pagina scripta locis.
Noscere plura velis, quia labitur hora vetustos
Consule, qui referant, candide lector, avos.
Omnia non potui aeternis committere chartis,
Langueat immodicis ne manus ipsa notis.
Hungara gens igitur bello partisque triumphis,
Clara fuit semper, fortia gesta docent.
Nullus qui Hungariam saevo mavorte petivit,
Victor erat, mox sed caede repulsus abit.
Nam quoties Thurcas molles fortesque Bohemos
Hungara gens pepulit, finibus a patriis.
Non opus est nostris haec scribere facta libellis,
Edocet hoc multis aspera pugna locis.
At postquam nostrum Stephano regnante beato
Agnovit Christum, patria turba simul,
Servabant placidae concordia foedera pacis,
Omnibus una viris mens genorosa fuit.
Legibus internis, rigidisque fornisecus (!) [1] armis.
Tutati fuerant menia, castra, casas.
Iura dabant, siquidem cunctis tunc lance fideli
Quilibet antiquae legis amator erat.
Maxima cura fuit dubias componere lites,
Discordes homines conciliare simul.
Nec princeps regni leges tolerabant (!) iniquas,
Causidicis tribuens praemia digna suis.
Invidiae stimulos frangebant mente, sagaci.
Sincerus Iudex atque tribunal erat,
Liber erat sanctis aditus virtutibus, atque,
Tum licuit verum dicere liberius
Debita virtuti tunc laus, tunc vivere honeste
Sanctum erat, et scelerum pena luenda reis.
Tunc cui virtutis, iusti, integritatis, honesti,
Plus inerat, tanto plus venerandus erat.
Principis imperium tenuerunt fortiter omnes,
Praestantes illi pectoris obsequia,
Spernebant animo, male sana cupidinis arma,
Et ventris dulces luxuriantis opes.

[1] = extrinsecus.

Tractabant animo propriae monumenta salutis,
  Ut possent superi scandere regna poli.
Et cupidas mentes ad caelica regna levabant
  Tollentes geminas prorsus ad astra manus.
Auctoremque suum sedato corde frequenter,
  Laudabant pariter, pectore, thure, prece.
Omnes servabant praecepta salubria vitae.
  Ecclesiaeque suae nemo rebellis erat.
Ast illam semper magna pietate colebant,
  Atque sacerdotes, iura sacrata, simul.
Saepius insani tandem post acta duelli,
  Vivebant iuste, lite remota procul.
Et quum victores post laeta trophaea redibant
  Comiter invicta, praeda recepta manu,
Tum celeri gressu spectatum turba ruebat
  Obvia progrediens talibus orsa modis:
Laus tibi cuncti potens quod nos patriosque nepotes,
  Eruis a rabido faustiter ore canis.
Praecipue uxores, nati, charique propinqui,
  Gaudebant, famuli, turba pudica, quoque.
Laeta domus fuerat, sonuerunt carmine templa,
  Et crepuit toto fistula blanda foro.
Iucundos pariter reddebant Aera boatus,
  Festinosque simul tympana rauca sonos.
Et populus reduces magno suscepit honore,
  Ac studuit supero solvere vota deo.
Thura vaporatis ponendo fumida templis,
  Cessando laudes nec resonare pias.
Hos etiam princeps merito decorabat honore
  Militibus tribuens munera larga suis.
Et reduces magnas cunctis ex ordine palmas,
  Narrabant pariter praelia dura viris.
Quod bene digna satis fortuna reviserat illos,
  Quodque illis dominus maxima lucra dedit.
Quilibet ut potuit pro tantis rite triumphis,
  Sic studuit magnum conciliare Iovem.
Nonnulli Christo sublimia templa dicabant,
  Ille dabat sanctis maxima dona locis.

Praestabant viduis suffragia grata relictis,
Ast aliqui nummos ex pietate dabant.
Ille machaonio miseris succurrit egenis.
Auxilio, potu, vestibus, atque dape.
Talibus officiis vestri meruere parentes,
Nancisci licite, stemmata clara, thronos.
Tunc procerum fuerat concors coniunctio morum,
Corruptus iudex nullus in urbe fuit.
Sic populus mansit iusta sub lege quietus,
Sepositis rixis, causaque rara fuit
Et natale solum tranquilla pace vigebat
Nec timuit quisquam, nec pavor illis erat.
Vomere sollicitis manibus robustus arator,
Gaudens frugiferam sollicitabat humum,
Rusticus et varias hortis transponere plantas
Irriguis poterat semina cuncta palam.
Vinitor et teneras secure ponere vites,
Agricolis dulces foemina ferre dapes,
Carpere purpureos potuit virguncula flores,
Gramineis campis absque timore puer.
Et matrona senex herbas fungosque recentes
Explorare satis, pascua, rura, greges.
Saepius in viridi cursu iuvenesque solebant
Cespite certatim plaudere, voce, manu.
Ceu pueri laeti rigido custode remoto,
Intente ludos concelebrare solent,
Pastor et in campis pecudes pascebat apertis
Effundens placidos laetus ad astra sonos
Interdum densa somnum capiebat in umbra,
Securus tacitis prorsus ab insidiis.
Lathmius ut quondam fertur spirasse quietem
Endymion blandam, gramine dum iacuit.
Candida dum somnum ministravit luna salubrem.
Cautius ut posset basia chara dare.
Gnosia sicut et accubuit defensa labore,
Thesea dum liquidum prosequeretur iter.
Fistula pastoris lepide resonabat ubique,
Tunc ideo mollem praebuit herba torum.

Libertas fuerat cunctis tunc fraude remota,
Et se cura quies, paxque, fidesque pia.
Nam durus quum sponte labor cessabat aratri,
Seu dum festa dies praepediebat opus.
Vivebant laeti convivia lauta parabant,
Fessi messores, artificumque genus.
Turba puellaris lanugine compta iuventus,
Vivitor, agricolae, caetera turba simul,
Sternebant mensas mappis, pictisque tapetis,
Ornabantque domos gramine, fronde, thymo,
Stabat mensa cibis semper redimita superbis,
Atque corymbi fero pocula plena mero.
Quoslibet excepit tunc Hungara turba forenses,
Et tribuit gratum de pietate cibum.
Pinguia vicinus tunc fercula sponte ferebat
Portabat vasis dulcia vina suis,
Fundebant aliqui repetitis vocibus odas
Nullus tunc tristis, nullus avarus erat.
Floribus ornabant crines iuvenesque senesque,
Vestibus et comptis, pectora, membra, sinus.
Tum strepitus fuerat villis, cantusque sonorus
Duxit quisque suas ordine consocias,
Pulsabant terram, circunstans (!) turba canebat,
Et chelys argutum concinit icta melos.
Denique Saturni tunc aurea saecla fuere,
Astraque per terras munera grata dabant
Largius omniparens fundebat singula tellus,
Et Cererem, et Bachum (!), dulcia poma, nuces
Curvati fuerant pomorum pondere rami
Portabatque suum quaelibet arbor onus.
Lympha dabat pisces, cancros, et silva ferinas,
Daedala stipatrix, rosida (!) mella, favos.
Argenti nitidi, cupri, fulvique metalli,
Numerorum pariter copia magna fuit.
Florenis rubeis ludebat rustica pubes,
Et pueris ipsis plena crumena fuit.
Quilibet ingentes tenuit mercedis acervos,
Et fuit omni modis gens opulenta bonis.

Multiplici fuerant cellaria plena liquore,
  Plenus divitiis angulus omnis erat.
Tunc viguit probitas regno, constantia, virtus,
  Maior quam possint carmina nostra loqui.
Ora licet variis essent mihi praedita linguis,
  Gratia Threicii nec minor ipsa ducis,
Accedant querulae Pylii quoque longa senectae
  Tempora staminibus numine parta meis.
Ipse tamen potero minime nunc cuncta referre,
  Illis temporibus quae patuere simul.
Hungara tunc tellus gaudebat sorte beata,
  Egregiis fuerat quae redimita viris.
Rex fuerat Stephanus iuste qui rexit habenas
  Pannonicae gentis, iureque magnifico
Quem deus ex multis delegit milibus unum,
  Ut daret is domino dupla talenta suo.
Quem deus angelico diademate cinxerat olim,
  Ut fieret patriae rite monarcha suae,
Qui primus fidei cultor subvertere ritus
  Sacrilegos voluit funditus Hungaria.
Belligeros qui constanter pugnavit in hostes,
  Et studuit proprio subdere colla iugo
Et tandem sacras domino fundare supremo
  Ecclesias variis (templa sacella) locis,
Quas etiam culte merito dotavit honore,
  Censibus et villis, redditibusque bonis.
In quibus en coeli dominam, summumque tonantem,
  Extollit clerus laudibus assiduis.
Praecipue Monachi lachrymis pia solvere vota
  Atque solent precibus[1] sollicitare deum.
Dux Emericus erat, proles clarissima regis,
  Aeternus sanctae virginitatis honos.
Virtutis cultor, morum probitate venustus
  Illustris meritis de bonitate patris
Qui insomnes studuit iuvenis transducere noctes
  Saepius et monachis oscula casta dare,

[1] praecibus *A.*

Is nunquam corpus luxu maculavit iniquo,
  Sed mansit caelebs corpore, mente, fide.
Hic iuvenis summum prostrato corpore sanctus,
  Pulsabat precibus nocte dieque Iovem.
Carnales siquidem semper contempsit amores,
  Atque voluptates, ocia, blanda, merum,
Omnibus exemplum tribuens venerabile morum,
  Aeternae planum rite salutis iter.
Illius hinc animam niveo candore coruscam
  Quae fuerat nullis victa cupidinibus,
Dulcibus angelicus coetus resonantibus hymnis
  Vexit ad Empirei regna beata ducis.
Postque Ladislaus nulli pietate secundus
  Rex viguit, cuius splendida facta manent.
Nam miseris semper viduis Christique ministris
  Praesidium tribuit, munificasque manus.
Hospitium multis caute praestabat egenis
  Atque peregrinis munera larga dabat.
Hic semper licite regalia sceptra gerebat
  Reddens pro meritis premia digna malis.
Hic fuerat mitis tota bonitate repletus,[2]
  Et princeps verus iustitiaeque tenor.
Sicut enim iusta Traianus mente nitebat,
  Sicut et antiqua relligione Numa,
Sic is legiferi est sectatus iura Lycurgi,
  Pectora servando iudicis aequa boni.
Qualiter hoc regnum placida sub lege teneret,
  Nam sua praecipue maxima cura fuit.
Omnibus hic populis, famulis, dominisque superbis,
  Iustitiam stabili praebuit ille manu.
Non fuit hic mundi vano seductus amore,
  Sed nec deliciis ludificatus erat.
Hunc igitur proceres regni constanter amabant
  Communi voto, sic populosa cohors.
Magnus erat, forma celsus, virtute coruscus,
  Atque manu fortis, relligionis amans.

[1] aegenis *A.* [2] replerus *A.*

Is virtute sua, forti quoque pectore et armis
Dispulit e patriis Tartara monstra plagis.
Quam gratus domino quanta mercede minister
Is fuerat coeli, maxima signa docent.
Nam quum praevalida pergens per inhospita tesqua
Lassa foret nimium bellica turba fame.
Oravit dominum pansis ad sydera palmis,
Ne sineret turmas usque perire fame.
Hinc Christo precibus devoto pectore fusis.
Obtinuit subito (Res nova) nempe cibos.
Nam agmen cervorum nullo pellente cucurrit [1]
In medium populi, quadripedumque genus.
Atque stetit placidum posita feritate patentur (!) [2]
Amplius sit nullus mitius esse velit,
Quilibet hinc praedam quantum mox quisque volebat
Captavit sibimet çonditione sua.
Ast omnes dapibus fuerant quum rite refecti;
Quas dederat summi dextera celsa dei,
Reddebant dignas tanto pro munere grates
Pulsando laetis Sydera dextra sonis:
Laus tibi, cunctorum largitor summe bonorum,
Quod nos esurie non sinis usque mori.
Pasta fuit Manna quondam sic turba fidelis,
Dum fugeret Pharias pulverulenta plagas.
Petraque cum liquidas tribuit durissima lymphas
Qua strinxit siccam turba molesta sitim,
Caetera praetereo miracula magna patroni
Istius alpina candidiora nive.
Nam mihi dictaret Phoebus [3] si turba sororum
Vix possem calamis scribere cuncta meis;
Hungara sed pubes laudes nunc concrepet omnis,
Quod tanto quondam principe digna fuit.
Martia ceu tetricum deflebat Roma Catonem [4]
Taliter hunc flevit patria turba virum.
Floruit Albertus magna mercede sacerdos
Ecclesiae robur pontificumque decus.

[1] cucurit *A.* [2] Apponyi péld.-ban kijavítva: *patenter.* [3] Phoebi? [4] Rhoma cathonem *A.*

Qui Stephanum regem tinxit Baptismatis unda,
  Abluit a vetulis unguine criminibus.
Venerat hic noviter versis praestare iuvamen.
  Demonstrans Hunis dogmata sancta sequi.
Spargebat siquidem fidei documenta per oras
  Pannonicas sacrae relligionis iter.
Perrexit tandem calicem poturus amarum,
  Nomine pro Christi Prussia regna libens.
Floruit Antistes etiam Chenadinus ad unguem,
  Integer et purus relligionis honos.
Gerardus monachus veniens peregrinus ab oris
  Hadriacis, nostras panda (!) carina *plagis,*[1]
Quem sanctus Stephanus magno suscepit honore,[2]
  Fecit et in laudes tot bona verba suas.
Nam fuerat sapiens verbis doctorque fidelis,
  Ingenio praestans, auctoritate potens.
Hic quoque perpetuae dabat hortamenta salutis,
  Fundendo labiis dulcia verba suis.
Quem rex securus tandem decoraverat ample
  Stemmate pontifico pro bonitate sua.
Qui graviter post hoc fuerat de monte Budensi
  Nomine pro Christi praecipitatus humi.
Floruit invictis ut Martia Roma[3] Camillis,
  Sic tumuit claris Hungara terra viris,
Qui veterum patrum fuerant exempla sequuti,
  Viribus ut validis, sic gravitate bona.
Magnus Ioannes vixit qui caedibus olim,
  Thurcarum populos acriter obruerat.
Magnificus Stephanus fuerat Bathoreus Achilles,
  Defensor patriae, portus et aura suae.
Corpore castus erat, fortis sic mente pudicus,
  Qui tribuit famulis praemia digna suis.
Transsilvanus erat iustus prior ipse Monarcha,
  Virtutis custos, regis et alta quies.
Viribus ut solidis Paulus, sic corpore fortis,
  Qui magnus Thurcis terror et horror erat.

[1] plagas kijavítva Apponyi példányában. [2] honor *A.* [3] Rhoma *A.*

Multi praeterea, quorum volat inclita fama
  Tum viguere viri, corpore perspicui,
Armis praevalidi, robusti viribus ipsis,
  Quorum temporibus patria tuta fuit.
Nomina si quorum scriptis comprendere coner,
  Littoreas numero dicere conor aves,
Promptius enumerem siquidem quot littus arenas,
  Hister habet pisces, quot tenet orbis apes.
Praecipue fuerat tamen illustrissimus heros,
  Viribus insignis, consilioque gravis,
Actibus, ingenio prudens, aetate beatus,
  Quo nihil in terris fortius esse potest.
Matthias princeps, regum venerabile culmen,
  Magnanimus, gentis tutor amorque suae.
Sub quo per certos respublica floruit annos,
  Roma [1] velut viguit sub Cicerone potens.
Nam rexit regnum semper moderamine iusto,
  Conspicuus patriae rite monarcha fuit.
Promptus in auxilium miseris, patriaeque labanti,
  Exhibuit validas munificasque manus.
Strenuus [2] ille quidem bellis laetisque triumphis,
  Pro sancta gessit maxima quaeque fide.
Cuius dextra potens populum patriosque penates,
  Saepius a rabido sustulit ore canis.
Belliger is fuerat fidei quam durus in hostes,
  Approbat hoc variis pugna cruenta locis.
Cuius facta quidem nec postera saecla tacebunt,
  Nec praesens vatum Musa silere potest.
Vicerat innumeras plebes, tot regna, tot urbes,
  Hic princeps multis iam metuendus erat.
Germanus sensit, quantum surgebat in armis
  Vis sua, quae misero cognita nuper erat.
Stiria dum cecidit victricibus excita bellis,
  Illius atque urbes oppida, castra, lares.
Austria dum gemuit bellorum pondere pressa,
  Captaque magnifice pulchra Vienna fuit.

[1] Rhoma *A*. [2] Strennuus *A*.

Turpiter et Thurcam magno memore fugatum
Compulit ad proprios saepe redire lares.
Hunc timuit pulchrum Latium fortisque Bohemus,
Euganeus populus Hyppophagusque Gothes,
Axe sub Arctoo positi timuere Poloni,
Et quos occidui littoris arva tenent.
Nam semper magnos agitabat mente triumphos,
Gessit et invicta prospera bella manu.
Maior Alexander fuerat non Hannibal illo,
Fuderit Ausonios [1] tot licet ille duces.
Nec bellis Marius, clara virtute Metellus,
Pelides gestis Attiliusque fide.
Crebrius hic voluit Venetos bellare superbos,
Impia sed minime fata dedere modum.
Hactenus hunc si non crudelia fata tulissent,
Non modo Pannoniae regna minora forent.
Hactenus horrisonis si perdurasset in armis,
Vix Thurca [2] stabilem posset habere locum.
Non etiam querula sua magna potentia Budam
Liquisset celebrem, quae modo mesta gemit.
Illius arx minime sensisset celsa ruinas
Sic nimium truncas, daedala tecta, simul.
Durasset potius solidis sed nixa columnis,
Et caput in toto forsitan orbe foret.
Nota loquor nimium, res non est vana profecto,
Nam sua sunt cunctis cognita gesta locis.
Auxerat hic patriam multum finesque remotos,
Immensas etiam providus auxit opes.
Omnibus e terris aurum sibi sponte ferebant,
Et teretes gemmas, Serica dona, togas
Vix habuit talem pompam fortasse deorum,
Maximus in celso Iuppiter ipse polo.
Nec tenuit terris aequalem forte [3] paratum,
Caesar habens vasti climata magna soli,
Is qualem tenuit luxum pariterque decorem,
Illius et qualem curia temporibus.

[1] Asonios *A.* [2] Thurcas *A.* Apponyi p. törölve az s. [3] fortae *A.*

Arx fuit insignis non parvi vertice montis,
Hoc ubi perspicuas devehit Hister aquas.
Artifica valde cultu celebranda superbo,
Arx constructa manu, regia digna, Iovi.
Quae tenet erectas ad candida sydera turres,
Est quibus in toto pulchrius orbe nihil.
Ardentis siquidem candescunt lampade Solis,
Dum Phoebus radios spargit in orbe suos
Sicut enim vitrum perlucet solis ab ictu,
Taliter et turres sole rubente micant.
De qua spectantur montes, foenilia, sylvae,
Umbrosae valles, pascua, prata, tethys (?)
Illius átria sunt Phrygiis[1] suffecta columnis,
Illius atque aedes robora firma tenent.
Haec poterat superare domum Solominis aperte,
Quae quamvis fuerat, regia mira nimis.
Illic purpureis radiabant ampla tapetis
Atria, sic querulae limina lata, fores,
Atque colorati niveo de marmore postes
Splendebant pariter, daedala tecta tholi,
Ast intus pulchris habitacula picta figuris,
Transversaeque trabes, purpureique thori.
Et paries multa decoratus imagine fornax,
Quae fuerat docta rite peracta manu.
Pendebant vestes fulgenti murice tinctae,
Splendentes pallae, serica pensa, simul.
Mensa patens etiam miro candore nitebat,
Quae fuerat variis tota referta bonis.
Fulgebant etiam triclinia, magna supellex,
Atque metalliferis vasa recisa, typis.
Pinguia praeterea, fumosae claustra popinae,
In quibus affuerat multus odore cibus.
Multiplici fuerant cellaria plena liquore,
Insuper et variis dulcia vina cadis.
Vel quae Creta parit, vel Chia, aut alta Veseni,
Arbusta aut Rheni saxea rura vagi,
Vel quae Campanus mustoso colle Phalernus,

[1] Phrigiis *A*.

Vel tribuit nostris Syrmia mesta plagis.
Ardua quottidie ut crescebant menia Budae,
Taliter assidue conscia fama foris.
Argento fuerat dives, sed ditior auro
Hic princeps, patriae maxima palma suae.
Quicquid in antiquo fuerat mundoque recenti,
Omnia possedit prosperitate bona.
Hic opibus poterat priscos superare Quirites,
Divitias Croesi, divitiasque Mydae.
Curia cum nitidis micuit distincta ministris,
Militibus variis, cuspigeroque duce.
Affuit et pubes longis redimita capillis,
Formosi pueri conveniente toga.
Germanus fuerat praesens, crispusque Polonus,
Criniti proceres, bellica turba simul.
Ludebat miles gladiis, docilisque iuventus
Cursibus ast alii pectine, voce, lyra,
At reliqui ferro certamina dura bidenti
Congressi fuerant, cuspide, fuste, sude.
Hinc litui, ast illinc, tum cornua curva sonabant.
Fundebant sonitus tympana rauca suos.
Post ingens valide fragor Aethera summa replebat,
Dum lapso tellus milite pressa fuit.
Spectabant varii mirantes ordine longo
Hos ludos populi, magnificosque iocos,
Magnanimus princeps haec maiestate serena
Spectabat pariter laetus ab arce sua.
Et quoscunque suo cernebat munere dignos,
Mox illis placide grandia dona dabat.
Condita si mihi mens et pectus firmius esset,
Pluraque cum linguis pluribus ora forent.
Non tamen idcirco complecterer omnia verbis,
Materia vires exuperante meas.
Hic habuit quamvis hostes, proceresque rebelles,
Imprimis multos, foedere, mente, dolo,
Sed vicit tandem magno luctamine cunctos,
Astringens armis in sua vota [1] feris.

[1] in sua in vota *A.*

Suspendens quosdam furcis, quosdamque cathenis,
  Perdomuit duris, carcere sollicito,
Nonnullis dentes violenter ab ore cruento,
  Extraxit nudos, forcipe difficili.
Cedere nonnullos virgis baculisque molestis
  Fecit, et infoelix exiliumque pati.
Taliter hic rigidas studuit frenare cohortes
  Subdere perpetuo colla superba iugo.
Hic fuerat princeps regni, roburque perenne,
  Profugium iustis, perniciesque malis.
Hunc hostes tandem saevi proceresque timebant,
  Atque sacerdotes, magnanimique duces.
Ut famuli pavitant dominum, puerique magistrum,
  Seu timet a rapidis molliter agna lupis.
Talibus hic factis auxit memorabile nomen,
  Illustrem famam, perpetuumque decus.
Principis infractas quis posset dicere vires?
  Quis posset laudes commemorare suas?
Herculis ut vires domuerunt omnia monstra,
  Non hostes aliter contudit iste feros.
Hunc si Meonius vates novisset aperte,
  Scripsisset numeris singula gesta suis.
Si posset lachrymis iterum sua vita reverti,
  Nunc (merito) lachrymis omnia plena forent.
Publica turbatae nam pulsat gentis egestas,
  Quae premitur gravibus nunc violenta malis.
Is posset regnum modo maiestate potenti
  Viribus in priscum nunc reparare decus.
Id mihi sit dictum, ne scandam celsius, et ne
  Nunc videar famam diminuisse suam.
Praesertim numeros quum dicar inceptus ad omnes,
  Nec mihi nunc moesto docta Thalia favet.
Sic armis proavi pariter, bellisque superbis
  Pellebant vestri, tristia bella procul.
Sic mansit sospes regnum cum sospita turma
  Sic timuit priscos gens inimica patres.

Liber tertius.

At postquam triste mors improba sustulit illos
Primaevos patres, decidit omne decus.
Actutum procul et virtus, et fama recessit,
Virtutis nullo regula fine manet.
Orba iacent veterum victricia signa parentum,
Terra gemit [1] rapidis dilaceranda lupis.
Quilibet alterius iacturis commoda quaerit
Et per quaesitas fraude superbit opes
Quilibet atque studet lites componere falsas,
Quilibet ingentes amplificare domos.
Quam primum magnos poterit quis scandere fasces
Aut haurire avidas luxuriosus opes.
Actutum vanus vitam colit hanc genialem,
Delitiis fruitur, illecebrasque capit.
Largifluas epulas subito, sapidosque palato
Nidores struit, et pocula blanda locat.
Hinc exquisitos gustus, lancesque nitentes
Comparat, atque novam (fercula mille) gulam.
Zinziber Eoo calidum mercatur ab Indo,
Rugosumque piper, Cinnama rara simul.
Congerit hesperidum fulvos ex arbore foetus,
Et quicquid Libyae [2] fertilitatis habet.
Possidet impensis et medica poma superbis,
Sic Cilicum flores, puniceumque crocum.
Sumptibus immensis peregrinas invehit escas,
Et ventris dulces luxuriantis opes.
Acquirit dorcas, damas sub rupe vagantes,
Perdices, turdos, caprigerumque pecus,
Sic igitur coenis elementa per omnia quaerit,
Pisces, et volucres, sylvicolasque feras.
Mensa nitet dapibus nimium redimita superbis
Illius et grato multus odore cibus.
Non patrii latices, nec nostris montibus uvae
Sufficiunt natae, Cretica praeda iuvat.

[1] genuit *A*. Apponyi példányában törléssel és javitva. [2] Libiae *A*.

Massica vina placent, et Tergestina probantur.
  Extinguunt cupidam vixque Phalerna sitim.
Crescit luxuries rerum, perdensque vorago.
  Conturbat sensus, debilitatque caput,
Hinc varios miseris languores artubus infert,
  Hinc vexat lentos tarda podagra pedes.
Sic veniunt tristes morbi, turpisque senectus,
  Sic subiti cineres, corpora vasta necant.
Hac ratione potest minime succurrere regno
  Viribus, et patriae fortis adesse piae.
Exanguis livor caeco vos macerat igne,
  Et turpis questus, ambitioque levis.
O nimium studiis hominum sociata cupido,
  O nimium veris aemula facta bonis.
Insidias sentit quamvis qui vera fatetur,
  Exilium, siccas (vim, mala damna) minas
Ast moneo verum, nam si petit improba lingua
  Questum, nemo potest hunc retinere diu
Non taxoque status, verum sed dicere posco
  Arguo sed vicium, crimina, turpe nefas.
Quilibet alterius sortem nigrare laborat
  Morsibus infestis, fraudibus atque dolis.
Et demens tacitum cruciat discordia pectus
  Disgregat et mentes, nec sinit esse pares.
Quilibet ecclesias Christi manifeste remordet,
  Atque sacerdotes carpere dente solet.
Iustus ab iniusto nullo discrimine vivit,
  Virtutem crimen praecipitavit humi,
Vivere virtuti est nunc delirare, bonumque
  Se formare pudor, fraus, dolus, ira placent
Ingenium fallax, mens subdola nequior astus
  Caetera vix ausim scribere, sive loqui.
Spreta iacet probitas, vicium dominatur et aurum;
  Simplicitas premitur, integritasque perit.
Floret adulator, latro saltat, leno triumphat,
  Heu sycophanta regit, proditor alta petit.
Relligio contempta manet, regisque potestas
  Despicitur, rarus obsequiosus adest.

Taxantur miserae plebes, viduaeque relictae,
Nil praeter censum dulcius esse placet.
Nemo malum punit, sua lex est cuique voluntas,
Oppida sic pereunt, castra sacella, solum.
Tolle precor princeps haec crimina, tolle potenter.
Nam potis es monitis flectere cuncta tuis.
Utere consiliis, sed nec minus utere et armis
Hoc patrium decus est, caetera laudis habent.
Susceptum regnum certe moderare teneris,
Quom tutor patriae diceris, atque pater.
Hac ratione tibi est concessa potentia coelo
Ut timeat lituos gens malefida tuos.
Ut patriam dulcem defendas fortibus armis
Ut prodesse queas nocte dieque tuis.
Per te ut direpti patriae reddantur honores,
Per te ut sublatae restituantur opes
Nam male consulitur titulis ubi culpa peracti.
Criminis et vicii conscia facta patent.
Propterea omnipotens hoc lamentabile regnum
Affligit assidue, grandine,[1] peste, fame,
Idcirco veniunt nobis contraria fata,
Horrendae strages, publica damna, neces.
Terra negat fruges, et vinea culta racemos,
Silva nec hirsutas praebet ut ante feras,
Aura patens volucres, planus nec campus aristas,
Nec tribuit pisces, ut prius, unda[2] vagos.
Non dulces mellona favos pomonaque Baccas,
Nec solvunt horti semina iacta pigri.
Continue vexat rabies saevissima morbi,
Et civile nephas, horrida bella domi.
Prodita sunt nostrae temeraria praelia gentis,
Perpetuo nullo teste probanda manent.
Haec etenim novit Boreas Zephyrusque secundus,
Novit dives Arabs, aurifer atque Tagus.
Externi norunt populi quos respicit Auster,
Atque ea sunt cunctis cognita bella plagis.

[1] Grandine *A*. [2] unde *A*.

Quandoquidem vestros voluit delere nepotes,
Vos etiam turpi rustica turba nece.
Sol postquam roseus iam mille peregerat annos,
Virginis a partu saecula quinque simul
Iunxerat his gelidos dum bisseptemque decembres,
Dum lucus nituit, frondis honore virens.
Dum Zephyrus tepido mulcebat rura sereno,
Ac micuit pulchris fertilis herba comis.
Rusticitas siquidem multum furiebat in armis
Tunc demens gravibus, bellaque dura movit,
Mens illi fuerat tellurem vertere nunquam,
Ulterius tardos nec stimulare boves.
Ponere non teneras maturo tempore vites,
Nec campo viridi pascere molle pecus.
Dumtaxat fuerat regnandi magna cupido.
Dumtaxat praedam, bellaque dura sequi.
Hac ratione feros falces mutabat in enses,
Occas et Buras, dura metalla simul,
Portabat galeas, clypeos, saevasque secures,
Loricas trilices, ferrea scuta, sudes,
Fulmineos enses, et scabra rubigine tela.
Et quaecunque homines discruciare solent.
Vastabat villas, hortos, pecuaria, caulas,
Et quicquid regno commoditatis erat.
Hinc spoliabat amens donaria, templa, sacella,
Thuricremas aras, sacrificosque sinus.
Non illam puduit castos violare pudores,
Vestales sanctas, virgineosque choros;
Non illam tenuit reverentia iusque deorum,
Non amor, aut pietas, nec manifesta fides.
Stringebat certos nervis durisque cathenis,
Traxit et innumeros in sua bella viros.
Rusticus hinc campis exercitus ibat apertis,
Posuit et lato Martia castra solo.
Post varias arces dura obsidione premebat,
Vulcano rapido, Marteque quippe gravi.
Mactabat cunctos nullo discrimine passim,
Cives, pontifices, presbyterosque bonos.

Claustrinos fratres, sacros, viduasque relictas,
Serviles homines municepesque viros.
Interemit quosdam gladiis telisque cruentis,
Ast alios verubus praecipitavit humi.
Nonnullis stricto transfixit viscera ferro
Et certis spatulas, guttura, corda, caput.
Semicremis reliquum suspendit corpora palis,
Certis diripuit brachia, crura, manus.
Caetera Pentheo lacerabat corpora ritu,
Exectis venis visceribusque suis.
Stillabant misero nimiae de corpore guttae,
Undique cum mesto pectore luctus erat.
Undique clamor erat grandis, clangorque tubarum,
Fervebant duro singula Marte loca.
Ceu solet in sylvis fieri dum voce canora
Insequitur fortem sedula turba feram.
Dumque canes stimulat rapidos clamore furenti,
Ut capiant illam sedulitate sua.
Stabant humano rubricati sanguine pali,
Crudeles Cunei, tristia bella nimis.
Stabant attoniti proceres, et corde gelato,
Ex terrore gravi, saevitiaque truci.
Tunc vis nobilium cecidit, tum maxima regni
Pars iacuit bellis debilitata feris,
Vix latus tenuit iugulata cadavera campus,
Flumina pro lymphis plena cruoris erant.
Tum multi periere viri Stephanusque Thelegdus,
Nicoleos praesul, maxima turba nimis,
Quam si nunc vellem scriptis perstringere nostris
Promptius enarrem quot parit Hybla [1] favos.
Quotque Tibiscus habet pisces, volucresque canoras,
Quot numero gentes maximas [2] orbis habet.
Caetera scriptores recitent vatesque periti,
Qui possunt calamis scribere cuncta suis
Nam mea frigenti torpentia sanguine corda
Non sunt heu magnis apta sonare tubis.

[1] hibla *A.* [2] maximus ?

Nunc etiam Thurcas conatur praeda peracta
Ulterius vestros extenuare lares.
Appetit et regnum, villis, castrisque receptis.
Et iam de vestra gente tributa petit.
Nam sibi corde sedet subita dulcedine capto,
Qualiter hoc regnum subdere posset atrox.
Idcirco siquidem portus sceleratus ademit,
Et studuit vestras sublaqueare vias.
Aptius ut posset partrios dissolvere mores,
Atque inferre magis, vulnera, tela, neces.
Iugiter hinc statuit pugnae monumenta futurae,
Et tacitos solita colligit arte dolos.
In vos assidue rabiosam perficit iram.
Dentibus, et labris ringit et ore fremit.
Cura tamen regni vobis de mente recessit,
Nec vultis caecos anticipare metus.
Estis et immemores patriae proprieque salutis,
Torpetis viciis fraudibus atque dolis.
Nam quum pingue[1] solum populator mente revolvit,
Pirgenio salibus, purpureoque croco.
Argento, stanno, cupro fulvoque metallo,
Irriguis hortis, piscibus aequoreis.
Mox cupit impatiens illud tam fortibus ausis,
Audeat ut vestros iam penetrare sinus.
Atque cruoriflua turpis spurcatus ab hasta,
Vos mactare simul, cuspide fuste, sude.
Namque adeo finem renuit scelerata cupido,
Nec habet armorum pestis avara modum.
Nam subito praedae rapitur mens coeca furore.
Et sitit hanc tacitis perfidus ille dolis.
Audax ille quidem semper qui crimine crevit,
Exultat tinctas sanguine ferre manus.
Hungara quem tellus multum est experta nefandum,
Quum nuper misere publica damna tulit.
Tempore quo mox libra pares exercuit horas,
Quoque pari spacio nox fuit atque dies.

[1] pinguae *A*.

Virginis a partu Titan dum volveret annos,
Quindecies centum, lustra quaterna simul.
Frugifer Autumnus semel et revolutus adesset,
Dum feruent plenis dulcia musta cadis.
Vastavit late vestri confinia regni
Vastavit campos, praedia, rura, focos.
Abstulit et laetas messes, et dulcia musta,
Fumosas pernas, pinguia larda, merum.
Divitias multas, vestes, aurique talenta,
Utile seu quicquid noverat esse rapax.
Praesertim pecudes, vaccas, violenter abegit.
Sic armenta boum, quadrupedumque genus.
Ut pecudes pueros, iuvenes, hominesque pudicos,
Atque sacerdotes praecipitavit humi.
Post cepit villas, arces, castella, sacella,
Piscosos amnes, pascua, prata, lacus.
Arx fuit Albensis praesertim nomine dicta
Insignis multum nomine, laude, situ.
Turribus haec fuerat fortis, valloque potenti
Moenibus atque altis caeruleisque vadis.
Nam Savus horrisonam devoluit fluminis undam.
Irrigat hic fretum (gramina prata) solum.
Danubius pariter largis tumefactus ab undis,
Perluit hanc fluidis ocyus ille vadis.
Hac fuit haud longe tardissimus amne Tibiscus,
Foecundus nimium squamigero pecore.
Haec fuit invicto quamvis munimine tuta,
Hanc hostis nunquam, machina nulla movit.
Nunquam hostis fuerat pugnax hac arce potitus,
Hactenus at semper inviolata fuit.
Hanc tamen ille ferox dura obsidione recepit,
Quam modo perversus, fortiter usque tenet.
Iam potis est heu heu nequam populare patenter
Hungariae partes, Illyricosque[1] sinus.
Sanguine iam terram poterit saturare iacentem,
Ad nutum fraudis, semper inire viam.

[1] Illiricosque *A*.

Undique quum teneat, caute vada caeca protervus,
Securos portus, flumina terna simul.
Iam timor Austriacos graviter perterruit agros,
Carnus et assidue bella futura timet.
Stiria iam trepidat, vicina Polonia languet,
Tristantur populi, proxima regna pavent.
Spes fuit illa quidem regnis, clypeusque fidelis,
Haec murus trepidis civibus alter erat.
Hinc trepidant omnes pariter iuvenesque senesque,
Nec cessant madidas semper habere genas.
Et vacuas aures lachrymosis vocibus implent,
Iugiter horrendus surgit ad astra clamor.
Nonque tacent mesti lugubria dicere verba,
Ex quo illis queruli causa doloris adest.
Non pastor pecudes audet non pascere porcos,
Rusticus et raro vomere pauper arat.
Carpere non fructus audet, nec tollere messes
Foemina, nec curva pabula falce metit.
Semina sollicitus culti non villicus horti,
Nec virgo tenues, lilia pulchra, rosas.
Agricolae segetes, surgentes vinitor uvas,
Quum patulos campos nullus adire potest.
Praesertim miseri memorant dum damna coloni
Hactenus ut semper census inanis erat.
Nulla potest pavidi scribi mensura timoris,
Nullus tristitiae nec modus atque mali.
Quilibet est tristis, pavidus, lachrymosus, amarus,
Et mulier magnas fletibus auxit aquas.
Syrmia praecipue tanto correpta flagello
Mesta gemit, bellis debilitata feris.
Conqueritur tristis vestro madefacta cruore,
Amissasque [1] die quolibet angit opes.
Nam domus exhaustae populis, opibusque paternis
Illic iam contra iusque piumque [2] manent.
Surripuit siquidem partem populator avarus
Illius, et partem depopulavit ovans.

[1] Ammissasque *A.* [2] piumque *A.*

Continuis vexata malis iam tota senescit,
Hostiles queritur dilacerata manus.
Crudeli siquidem torquent sua pectora luctu,
Illic mortales conditione pari.
Turpibus atque solent facies signare figuris,
Tollentes geminas [1] prorsus ad astra manus.
Et mulier clamat flavis discincta capillis,
Pulsando pugnis pectora nuda suis.
Ast homines patulas feriunt ululatibus auras.
Et nimium miseri, damna futura timent.
Lingua stupet tantas strages ventosa referre,
Horrescit ratio, mens furiata pavet.
Diruta templa iacent lapsis ingentia muris,
Oppida cum villis, claustra, sacella, domus.
Quas autor scelerum nimium populavit inique,
Extinxit flammis funditus assiduis.
Hinc populus plangit fluidis madefactus ocellis,
Afflictus valde, tristia damna [2] neces,
Natorum matres crudelia funera plangunt,
Et lacerant madidas ungue rigente genas,
Atque soror fletus oculis effundit inanes,
Et queritur fratrem surripuisse suum.
Quid referam iuvenes raptos, viduasque nurusque
Atque peremptorum corpora caesa virum?
Quid memorem gladiis mactatos mollibus annis
Infantes, pueros, praecipuosque senes?
Quos si connumerare velim cunctosque referre
Promptius enumerem sydera clara polo,
Littora quot conchas, quot amena rosaria flores,[3]
Quotque sopori ferum grana papaver habet.
Omnibus en dulcem requiem sceleratus ademit,
Et clausit nostras nequiter ille vias.
Possumus exhausti molles non carpere somnos,
Nec dulcis pascit languida membra sopor.
Rumpit et insomnis decretam cura quietem,
Quae nisi sincerea sistere mente nequit.

[1] gemminas *A.* [2] dampna *A.* [3] flores *A.*

Continue nostris decerpitur undique metis.
Quottidie nostrae dilacerantur opes.
Iam nimium gelido terrore pavescimus omnes,
Languescitque puer Thurcia (!) signa videns.
Ex propriis trahimur laribus patimurque coacti
Exilium, et dulci pellimur e patria.
Nescio quid reliquum volui recitare molestus
Nam mens non meminit caeca dolore magis.
Et dolor immodicus memori sub mente repostus,
Flexit ab intento tramite nempe stilum.
Vos tamen Antistes Thoma atque Emerice Perenni,
Et quos ante dies sustulit hora brevis,
Vos quia nunc alacres superastis tristia bella,
Foelices fecit mors violenta nimis.
Si uos incolumes servasset Juppiter ambos,
Forsitan in regno, prospera cuncta forent.
Hostis non arcem forsan cepisset amarus,
Oppida, nec castra depopulata forent.
Nam uos divitiis dominus decoraverat ample.
Actibus, ingenio, consilioque gravi.
Est tamen Antistes rursus venerandus aperte, [1]
Gloria nativi spesque salusque soli.
Pannoniae primas validus roburque perenne,
Cuius consilio curia tota favet.
Qui gaudet grato servorum corde suorum,
Cuius opem sentit patria turba nimis.
Qui curat patrios multum decorare penates,
Nummis, consilio relligione sacra.
Qui excitat assidue cunctos ad bella superba,
Militibus tribuens praemia larga suis,
Armatasque suo firmat sermone catervas,
Cedat ut exuviis gens inimica suis.
Qui prodesse cupit populo, regnoque labanti,
Subiectos placida vivere pace sinit.
Hic ovium sacrum prudens speculator habetur,
Ne sibi commissum turbet ovile lupus,

[1] aperfe *A*.

Quem precor in Pylios servet mihi Juppiter annos,
  Et tribuat votis prospera cuncta suis.
Quatenus hic dulces vivat foeliciter annos,
  Atque suum clerum faustiter usque regat.
At variis nostra versatur vita periclis
  Omne repletur iter retibus[1] & laqueis.
Nam nos continue resides timor anxius urget,
  Iam quos adverso terruit hostis equo.
Et quos nunc hasta, gladio, nunc igne corusco,
  Mille modis dire perdere saevit ovans.
Vastatur patria infoelix, horrentibus armis
  Letali feruent omnia Marte loca,
Non corpus querulo, nec mens vacat aegra dolore.
  Optatamque fugit vita coacta necem.
Quottidie veniunt incertae murmura famae,
  Quottidie rumor garrit in aure novus.
Heu dolor, heu luctus miser, heu lachrimabile tempus,
  Nec nobis requies, nec mora grata datur.
Novimus Argolico tristem sub milite Troiam[2]
  Troianis patimur vix leviora malis.
Cur sumus heu miseri non illo tempore nati.
  Quo pax in terris vitaque tuta fuit?
Dum nullae fuerant urbes sub menibus altis,
  Nec celsas arces condere cura fuit.
Planicies fuerat tantum villaeque patentes,
  Hungara sed tellus pace quieta fuit,
Nec navis Petri pelagi vexata procellis,
  Sed fuerat semper remige tuta satis,
Non fuerat duros opus exhorrescere cautes,
  Non etiam Libycos pertimuisse canes.
Ordine converso sed te nunc tempora praebent,
  Vertitur instabili quaelibet hora rota.
Error inest magnus, semper versamur in illo,
  In luctu semper vita misella manet.
Frigidus Arctoo Boreas emissus ab axe,
  Nititur adversis vela ferire vadis.

[1] rethibus *A.* [2] Troiani *A.*

Barbara gens turbat, hostilia tela fatigant
Nulla quies miseris, sors inimica viget.
Sic variat fortuna vices adversa secundis
Subdit, et ambiguo numine ludit atrox.
O deus omnipotens, lachrymis inflectere nostris,
Daque salutiferam (nam potes) ultro manum,
Obrue iam Thurcas avidos, contunde furores
Externos, nostrum iam subeantque iugum.
Ut veniant vires, redeat iucunda potestas,
Libertas pariter, pax, amor, alta quies.
Gens inimica cupit tua nam subvertere templa,
Legibus ut sanctis non sit in orbe locus.
Perfida nunc etiam maculavit sanguine multa,
Subvertens aras, claustra, sacella, focos.
Surripuit calices, pateras, lancesque nitentes,
Campanas sacras, vascula, vasa, scyphos.
Taliter ecclesias sanctas spoliavit iniquus,
Sicque tuam laesit perfida turba crucem.
Tuque dei genitrix nostros miserata dolores,
Porrige praesidium, virgo beata, tuum.
Protege commissum regnum populumque labantem,
Hungariae fines, moenia, iura, decus.
Impia ne lanient ultra vexentque nocenter
Pectora, nos tristes barbarieque premant.
Vos etiam sancti reges, fidique patroni,
Pellite nunc hostes assiduis precibus.
Multa trophaea manu valida licet antetulistis,
Dum vobis terris corpore vita fuit.
At modo, si domino pro nobis rite precatus
Fuderitis, surda non bibet aure pios.
Quis tibi causa mali, precor, o iustissima tellus,
Terra parens cunctis anteferenda bonis?
Quod duros pateris morsus confecta dolore
A propriis querulo, conscia terra viris.
Segnicies, livor, demens discordia, lites,
Ambitio procerum, turpia lucra, doli.
Gens tua te graviter prisco spoliavit honore,
Sic tibi per luctus sors inimica manet.

Quis furor est domini quod vos discordia praeceps
Vexat, et infoelix invidiae stimulus?
Quisque suas animi nutrit certamine partes,
Dissidet impatiens, foedera nulla tenet.
Hinc veniunt rixae, dispar sententia vulgi,
Scinditur et regnum pax ruit atque fides.
Hoc civile nephas, discors haec pugna coegit,
Saepius ut patimur publica damna, neces.
Singula compositam servant animantia pacem
Et natura suo tramite cuncta regit.
Ursus ab ursino vix unquam laeditur ungue,
Nec lupus infestat dente vel ore lupum.
Et sua consociant hirsutos iura leones,
Nec ruit in reliquam bestia sponte feram.
Sic elementa suum faciunt retinentque tenorem,
Perque vices lucent sydera clara suas.
Alternatque suos Phoebe cum fratre meatus,
Quum dant temporibus lumina pulchra suis.
Solus homo summi quem numinis ornat imago,
Et ratio cunctis extulit alta feris.
Hostili rapitur posita ratione tumultu,
Inque suam speciem saevit et ore furit.
O rigidi proceres, cur vos malus abstulit error?
Vestraque cur rabie tristia corde tument?
Nunquam discordes Thurcam superare potestis,
Nunquam sic proprios nec tueare focos.
Perdit enim magnas divisa potentia vires,
Fervida dum fuerit sparsa tepescit aqua.
Ambitiosa brevi discordia destruit hora,
Omnia quae multo parta labore vigent.
Sic ternos moriens natos Micypsa monebat,
O nunquam memori corde cadente senex.
Pervulgata viget nostri sententia Christi.
Divinum regnum seditione ruit.
Sic olim cecidit discordibus excita bellis,
Carthago Libyae, culmina celsa, Lares
Oppida, sic arces, sic Ilion ingens
Corruit, et Priami regia pulchra senis.

Sic liquet celebrem sua magna potentia Romam,[1]
Fractaque sic sensit publica damna, neces.
Aut vos perpetui vexant oblivia somni,
Lethei[2] aut latices, corda sepulta tenent.
Patria nam dulcis saevo percussa dolore,
En graviter questu nocte dieque gemit.
Vos tamen ingrati domino patriaeque labanti
Taliter hanc sinitis tot mala sponte pati.
Heu quid ab officio digressa est gratia? Quum vos
Haec peperit sanos relligione pares.
Progenitos aluit mansveto pectore semper,
Ingenium tribuens, eloquiumque bonum.
Divitiis validos post hoc decoravit opimis,
Legibus et firmis iuribus, ac titulis.
Auxit opes multas splendentia vestra per orbem
Nomina divulgans, stemmata vestra palam.
Praestitit hinc vobis connubia sacra, facesque,
Et charas soboles (pignora grata) nurus.
Et consanguineos fratres parvosque nepotes,
Hinc fecit magna commoditate frui.
Lanigeras praestans pecudes, genus omne ferarum.
Sic armenta boum, praedia lata, casas,
Et census, campos, villas, rutilumque metallum
Irriguos hortos, pascua, rura, greges.
Piscosos amnes, pinguentia frugibus arva
Argentum nitidum, purpureumque crocum.
Glandiferas silvas, lucos, pomaria fructus,
Et pariter cunctas fertilitatis opes.
Illa parit siquidem phasianos, atque palumbes,
Sic cervos, damas, caprigerumque pecus.
Haec multas opibus sustentat patria gentes,
Divitiisque suis plurima regna fovet.
Partibus Austriacis vasto de gurgite pisces,
Transmittit multos, lanigerasque greges.
Atque boves crassos, vaccas, pinguesque iuvencos,
Castaneas, milium, pinguia larda, cepe.

[1] Rhomam *A*. [2] Laethei *A*.

Fumosas pernas, gallos, leporesque fugaces,
Et quae vix longa voce referre queam.
Haec steriles nutrit Carnos, crisposque Moravos,
Haec porcos Stiris (!) vendere saepe solet.
Haec auro ditat Latios, doctosque Polonos
Destinat et variis dulcia vina plagis.
Hirsutasque cutes multas transmittit ad oras,
Cornipedes etiam de grege praebet equos.
Sed pietas patriae vobis de mente recessit,
Iustitiaeque fides, indiciumque pium.
Nunc igitur, si digna loquor, dum tempora suadent,
Si mordet patriae non moriturus amor,
Et si firma fides vobis in pectore regnat,
Mentibus et vestris gratia prisca sedet,
Denique si cupitis veteres assumere[1] mores,
Reddere et antiquae saecula militiae:
Huc precor, huc vestras omnes advertite mentes,
Vos domini proceres Hungara turba simul.
Unanimem pariter vitae servate tenorem
Sepositis rixis, invidiaque mala.
Foedus amicitiae parili constringite mente,
Ingentes animos, conciliate simul.
Iungite concordi mortalia pectora nexu,
Mutua sic pietas, sic socialis amor.
Vivite sepositis rixis, et lite remota.
Sit semper gratum nomen in ore pio.
Occupet instanter mentes concordia vestras,
Semper amor castus pectora vestra regat.
Semper amicitiam parili constringite mente,
Qua nihil in terris charius esse potest.
Nec maius quicquam facilis natura creavit,
Pectore amicitiae fortia facta probant.
Haec siquidem firmo fortissima pectora nodo
Nectit, et intente foedera firma tenet.
Excitat omne bonum, firmat, moderatur, alitque,
Oblectat mentes, et facit esse pares.

[1] assummere *A*.

Haec socios, hominum coetus componit et urbes,
Haec sanctas leges sanctaque iura locat.
Haec pulchre semper mensuram vendicat omnem,
Qua sine confuse singula facta ruunt.
Immotae retinet secreta silentia mentis,
Virtutes nutrit, debilitatque nephas.
Confortat vires validas animumque virilem,
Conservat famam, multiplicatque decus.
Insidias nullas metuit, nec tristia damna,
Incutit infestis hostibus acta metum.
Compescit rigidas mentes, litesque repellit,
Ac dirimit studio bella cruenta suo.
Auget opes avidas, urbes, patrimonia, census,
Versutos homines pacificare solet.
Adiuvat humanam vitam patriosque penates,
Mutua corda ligat, laeta trophaea facit.
Fortiter haec adversa levat, sed prospera pascit,
Audacter semper monstra superba fugat.
Saepius adversas quoque res facit esse secundas,
Dispellens studio, sordida fata suo,
Sola tenet villas, arces, urbesque potentes,
Conservat patriam, moenia, iura, domos.
Reddit et aeternam pacem foedusque perenne,
Iratosque deos conciliare facit.
Pluribus haud opus est, concordia cuncta gubernat
Facta hominum, leges, foedera, pacta, fidem.
Seu quicquid magno clausum iacet undique mundo,
Singula sustentat, singula facta fovet.
Hanc propter Stygias quondam descendit ad undas,
Pyritous (!) cunctis maxima norma viris.
Dum Theseus voluit Cereris deducere natam,
Ille comes apto tempore factus erat.
Sicque paratus erat Pylades effundere vitam,
Dum iustis furiis mestus Orestis[1] erat.
Liberat alterna Pollux quoque Castora morte,
Qui vitam fratri dimidiam tribuit.

[1] Orestes ?

Hanc igitur proceres, parili si pectore semper
  Gesseritis clausam, pefida turba cadet.
Si quod erit damnum, facile pelletis acerbum,
  Nullus erit qui vos laedere rite queat.
Sternetis saevos Thurcas, Asiamque prophanam,
  Non erit erecto dente timendus aper.
Vivetis placidae contenti munere pacis,
  Et fugiet nostros mors procul acta lares.
Orbis et immensus vestros celebrabit honores,
  Virtutumque comes, gloria perpes erit.
Pellite de medio discordes atque bilingues,
  Ne noceat regno turba maligna pio,
Nam nisi turba gravis tollatur prorsus ab inde,
  Patria non poterit tuta manere satis.
Tolle moras igitur post tanta pericula tandem,
  Hungara nobilitas, sic populosa cohors
Pugnes pro patria, pro libertate parentum,
  Nunquam pro patria mors est acerba tua.
Amplius extollet vires inimicus in omnes,
  Si plus distuleris. bella movere sibi.
Ipsa sinu mulier natum complexa peribit,
  Nec sua defendent tempora cana senem.
Tristibus incipies semper pallescere curis,
  Et fient vitae tedia mesta tuae,
Oppida cumque suis rumpentur moenibus urbes,
  Undique conspicies carpere velle fugam.
Sic tua perpetuo morietur tempore fama,
  Ac fies cunctis fabula vana viris.
At si pugnaces pariter surgetis in hostes,
  Ardenter nobis, prospera cuncta fluent.
Omnipotens aderit conamina vestra iuvando,
  Et dabit auxilium, protinus ipse suum.
Sufficiet promptus validas in praelia vires,
  Hostis ut infestus concutiendus eat.
Nam Thurcas nil Marte valet, nec idoneus armis
  Est tantum celeri praestigiosus equo.
Nilque profanus agit solum clamore furenti,
  Non nisi perversus calliditate ferit.

Non pugnare audet constanti pectore vilis,
In castris pugnae. nil nisi nomen habet.
Is virtute sua nunquam superavit amaros
Hostes, nec quenquam vincere visus erat.
Sed vel proditione gravi, vel fraude maligna,
Subiecit populos in sua iura pigros.
Spurca Venus siquidem lubricos depascitur artus
Illius, et corpus debilitare solet.
Luxuries hebetat certe caligine sensus
Enervat vires, langvida membra facit.
Et parit ignavos animos, mentesque supinas
Confundit cerebrum, corpora multa necat,
Nam miser in mores defluxit Sardanapalos,
Hoc vera dignum relligione putans.
Idcirco gravibus semper mollescit in armis,
Hac ratione valet spurcus ad arma nihil.
Assvetus [1] bellat longo dumtaxat ab usu,
Hinc solet actutum victus inire fugam.
Rite potestis eum parva compescere gente,
Et facile rapidum perdere falce canem.
Consona [2] si dictis videor minus esse loquutus,
Facta satis possunt ore tacente loqui.
A vestris quoties fuerat correpta veredis
Gens malefida, satis praelia multa docent.
Antistes etiam Petrus, Banusque fidelis
Prostravit paucis agmina Thurca viris.
Sic Iacobus item nuper cum laude perenni
Bamphius antiqua nobilitate vigens,
Milite cum pauco turmam percussit iniquam,
Et redit [3] ad proprios praeda recepta lares.
Patria tuta esset pagano semper ab hoste
Illi dum similis caetera turba foret,
Et Rex est iuvenis regili stirpe creatus,
Qui vincit veterum stemmata clara patrum.
Qui facile poterit sacros contundere Thurcas,
Hostibus et tumidis praelia dura dare.

[1] Asuetus *A.* [2] Cousona *A.* [3] rediit *A.*

Sunt illi solidae iuvenili corpore vires.
  Sunt et divitiae, plurima regna, duces.
Praeterea regnat magnis munitus amicis,
  Affinesque tenet conditione pares,
Qui aeternam servant pacem foedusque perenne,
  Fortiter et fidae pectus amicitiae.
Hi sibi praesidio fient radiantibus armis,
  Magnificis opibus, consilioque gravi.
Est dux qui Austriacas recte moderatur habenas,
  Viribus infractis, ac vis ad arma potens;
Cuius de magnis atavis insignia serpunt,
  Et de Caesareo nobile stemma thoro.
Quem proceres trepidant nimium civesque proterui,
  Urbes egregiae clamque palamque timent.
Nam certos misera fecit iam morte perire,
  Quos civile nephas fecerat esse malos.
Hic potis est solus turpem convincere Thurcam
  Illius et vires debilitare satis.
Est etiam princeps patruus fortissimus heros
  Qui regit Arctoi sceptra superba soli.
Qui semper pugnis hostes superavit amaros,
  Contrivit Moschos, Hippofagosque Getas.
Iugiter et cuius rigidis exercitus armis,
  Ut valeat fida patria pace frui.
Unicus hic forti Thurcas, Asiamque prophanam
  Sacrilegos poterit sternere quippe manu.
Denique Caesar amicus adest, Regesque potentes,
  Qui inter se placidae foedera pacis habent.
Firmiter hi poterunt hostem propellere densum,
  Principibus tantis, nec satis unus erit.
Pontificum princeps, regnorum magna potestas,
  Consurgent pariter, Christicolumque genus.
Illustres domini, plebis lectissima pubes,
  Magnanimi reges, bellica turba, duces.
Prosternent Thurcam miserum, capientque fugacem,
  Prone contundent, et sua colla prement.
Evellent vasti cunctis de partibus orbis,
  Tollent e medio barbara terga loco.

Ne tam saeva lues totum proserpat in orbem
Ne laedat Christi perfida turba crucem.
Si Thurcas nulla medicabilis amplius arte.[1]
Victus erit grate, prosperitate bona.
Ducetur captus manibus post terga ligatis,
Et vobis magnus pompa triumphus erit.
Hunc primo rigidam cogetis lingere terram
Servitium post hoc colla superba pati.
Hinc aliis oculi cultris fodientur acutis,
His franget querulum tegula iacta caput.
Sordida nonnullis scindetur gutture lingua
Et cadet ante suos illa resecta pedes.
Magna ruet gladiis, pars maxima falce peribit
Fluctibus et resides obruet unda suis.
Atque peremptorum iugulata cadavera campis,
Membra canes siquidem viscera carpet avis,
Tum subito nostras peregrinus vultur in oras
Convolet immanis praescia caedis avis.
Hungara non tellus crudelia monstra timebit,
Ulterius nullis succubitura malis.
Non etenim extincti post hoc reparabilis anguis
Vita erit, exectum aut crescet ut ante caput.
Strata erit exsortis nam dura potentia Thurci,
Tempore perpetuo non metuenda magis.
Nonque magis victus nostras vastabit harenas,
Nec sibi de reliquo pervius orbis erit
Pervius orbis erit, sua fiet gloria peior
Quam fuit Euriali *Tantalidumque*[2] simul.
Falciferi venient rursus tum iura tyranni,
Astreae pariter munera sancta deae.
Hinc placida totus requie pacabitur orbis.
Assidue letus numina trina colet.
Et rerum series putris renovabitur aetas
Prospera librato tramite cuncta fluent.
Mitius aura levis spirabit vere sereno,
Et coelum dextro sydere semper erit.

[1] arre *A*. [2] Apponyi példányában *Tantalidisque senis*.

Exercente novo nascentur singula sole
  Semina, nec sterili frigore nata cadent.
Frugibus omnis ager, tumidis vineta racemis
  Lascivient, vernis pascua prata rosis,
Omnia florescent optato tempore semper.
  Nec Boreas flores turbine corripiet.
Aeolus obscuro ventos nam claudet in antro,
  Ne excuciant flabris germina blanda suis.
Frigida squamigeros producent flumina pisces,
  Et tellus cunctas fertilitatis opes.
Non erit ulterius plebemque dicare necessum,
  Dives enim spoliis quilibet esse potest.
Quilibet ex lucro poterit praedaque recepta
  Perpetuo magna commoditate frui.
Gaudebunt proceres contenti munere pacis,
  Rusticus et stabili sede quietus erit,
Nam mavors tristis posita feritate tacebit,
  De reliquo Bifrons finiet arma deus.
Deponet clypeum miles galeamque coruscam.
  Ornabuntque suum florida serta caput.
Nullus turbabit proceres nullusque colonos,
  Cessabit mestus stringere corda pavor.
Quilibet ausus erit campo recubare patenti,
  Ebrius et medio ponere membra foro.
Fundere sic quivis laetos ad sydera cantus
  Foelices etiam continuare dies.
Nullus erit questus, nec plangent damna coloni,
  Nec laedet nostros tabida pestis agros.
Amplius ulla gravis fient monumenta doloris
  Quilibet ast poterit gaudia blanda sequi.
Omnes divitias poterunt cumulare superbas
  Nec minuet pondus iusta moneta suum.
Non vacuus semper nigris obducitur aer
  Nubibus interdum lumine sponte micat.
Saepe malis fortuna favet, sed praemia tandem
  Unusquisque feret, respicit omne deus.
Sicut erant olim modo sic sunt aspera bella.
Tunc etiam ut quondam tempora pacis erunt.

Cum proceres, tum Rex pariter dominique Barones
Iusticiam, pacem, sanctaque iura colent.
Iurgia cessabunt, lites, fraudesque malignae,
Et vulgus vivet cum pietate bona.
Sic proceres etiam concordi foedere semper
Inter eos fiet pax amor atque quies.
Virtutesque novae regnabunt, phasque piumque,
Pax veniet cunctis associata bonis
Et Rex in patria securus sede quiescet
Edicens populis optima iura suis.
Illius et gemmis praetoria cuncta nitescent,
Et sibi progenies clara superstes erit.
Nam nostri Regina sol de Rege decoros
Producet Reges, parturietque mares.
In quorum vultu pulcherrima forma nitescet
Quique regent patris regna superba senis.
Et mea fama quidem celebris nomenque vigebit,
Qui semper tristis nunc mea fata gemo.
Ipse canam siquidem palmas et fortia dicam
Principis Huniaci, praelia, bella, libens,
Non tunc curabo turpes rubigine dentes
Officium vatis destruet invidiam.
Si tu scire velis, quis me cognoscere fecit,
Aut praedicta dedit scribere facta mihi,
Haec mihi Martino sacrata lapsus ab arce
Interpres superum vaticinatus erat.
Praedixere novem quoque[1] cum Iove numina dextro
Et Charites pariter Pallas, Apollo, Ceres.
Nam vigil est superis de sacris cura poetis,
Idcirco faciles Vatibus esse solent.

Finis.

---

[1] que-que *A*.

Marsilius Ficinus Nicolao Episcopo Vaciensi et Francisco Bandino S. D.

Egy hosszú értekezés Marsilius Ficinus leveleinek II-ik könyvében, fol. 688.

Tárgya: Forma corporea dividitur et movetur ab alio. Anima rationalis non dividitur, sed ex se ipsa movetur. Angelus neque dividitur neque movetur, sed aliunde impletur. Deus est plenitudo una simplex immensa.

Minthogy érdektelen, nem tartom szükségesnek közölni.

Marsilius Ficinus Mathiae felicissimo Pannoniae regi in pace securitatem, in bello victoriam, in victoria gloriam sempiternam vaticinatur. [1]

Plato noster, philosophorum pater, rex felicissime, Xenocratem Dionemque dilectos discipulos suos, viros quidem sanctos, sed paulo severiores tristioresque quam decere philosophos videretur, saepe monere solebat, ut Gratiis sacra diligentissime facerent, quo gratiosiores iucundioresque redderentur. Quod autem Platoni nostro [2] quondam erga discipulos suos [3] agendum fuit, idem mihi nunc erga geminos epistolarum mearum libros quasi liberos meos video faciendum. Videor equidem frigido quodam, ut ita dicam, [4] semine gravidus, hos aliquanto [5] severiores quam epistolares liberos deceat peperisse. Quis enim in seculis regionibus-

[1] p. 721. A Wolfenbütteli codexből (Libri duo Epistolarum Mathiae Marsilii Ficini Florentini ad Mathiam Serenissimum Pannoniae Regem invictum. Calendis Octobribus MCCCCLXXXIIII.) közli Rumi („Auszüge aus den Handschriften der Corvinischen Ofner Bibliothek, die sich jetzt in der Bibliothek in Wolfenbüttel befinden, besonders in Hinsicht der Verdienste des ungrischen Königs Matthias Corvinus um die Beförderung der Wissenschaften in seinem Zeitalter“ a „Zeitschrift von und für Ungern“ 1804-iki évfolyamában). A levél czíme *W*-ben (a Wolfenbütteli codexben): *Exhortatio ad bellum contra Barbaros.* Marsilius Ficinus Florentinus Mathiae Felicissimo Pannoniae Regi stb. [2] *nostro* hiányzik *W*-ben. [3] duos *W*. [4] ut dixerim *W*. [5] aliquando *F*.

que[1] ferreis aurea unquam opera vel argentea[2] condat. Quamobrem Platonico more iam[3] iubeo eos non modo sacrificare Gratiis, verum etiam iis sese tota mente vovere, quo gratiosiores urbanioresque evadant. Ecce iam igitur, nonne[4] vides, repente nescio quo numine, scio certe felici quodam spiritu rapti versus excelsum palatium tuum tanquam[5] propriam Gratiarum aedem iter arripiunt[6] sperantes (ut arbitror), penes te solum Gratiarum trium, id est,[7] aequi Iovis, almi Phoebi, venustae Veneris, splendore gratissimo[8] circumfundi, unde tristiori illo statim vultu mutato clariores posthac laetioresque intuentibus admodum videantur. Tu vero, precor, rex felicissime, Marsilianos filios dum sacram[9] supplices aedem istam ingrediuntur, laetis vegetisque oculorum tuorum radiis, sicut caetera soles, inspicias. Sic enim[10] et ipse[11] mihi quidem, quod sint solum, regiae vero maiestati, quod pulchri sint, omnino debebunt. Atque ego duci meo Platoni, qui solum principem illum venerari iubebat, in quo excellens sapientia cum summa potentia iungeretur, satisfecisse videbor. Neque Platoni solum ob ipsam Mathiae regis invicti venerationem, sed caeteris etiam Graecis philosophis, immo etiam poëtis, oratoribus, historicis, scriptoribus denique omnibus procul dubio satis fecero. Hi enim omnes cum olim summo studio nihil aliud quam veram gloriam lucemque quaesiverint,[12] tandem post multa lucis secula in tenebras sub saevis Turcis,[13] proh dolor stellae, inquam, sub truculentis feris in tenebras corruerunt.[14] Iacent[15] heu caelestia liberalium doctrinarum artiumque lumina iamdiu in lymbo; immo vero sub loco longe quam sit lymbus obscuriore. Et quemadmodum veteres illi sancti quondam[16] in lymbo[17] iacentes Messiam, sic et hi sapientes Mathiam, quasi Messiam Mathiam miseri perpetuo clamore vociferantur, qui eos a lymbo, vel potius ab inferis, in lucem vitamque restituat. Mathiam non litterati, quos dixi tantum verum etiam natio-

[1] *regionibusque* hiányzik *W*-ben. [2] aurea unquam vel arg. op. condat *W*. [3] *iam* hiányzik *W*-ben. [4] non me *W*. [5] tamque *W*. [6] arripiant *W*. [7] *id est* hiányzik *W*-ben. [8] gratiosissimo *W*. [9] sacras *F*. [10] *enim* hiányzik *W*-ben. [11] ipsi *W*. [12] quaesiverunt *W*. [13] Turchis *Fw*. [14] corruunt *H*. [15] iaciunt *W*. [16] quondam *F*. [17] limbo *W*.

nes quam plurimae in Asia atque Europa sub Turcis[1] immanibus, quasi Iudaei sub impio Pharaone, miserabiliter servientes Mathiam, inquam, tanquam Mosem[2] alterum assidue clamitant, cui deus mare dividat rubrum et quaelibet passim in via mirabiliter patefaciat, electos dei filios ab extrema servitute atque miseria prorsus liberaturo. Mathiam rursus[3] Italia pulchra atque ipsa bonorum omnium mater, sancta religio assiduis vocat clamoribus, eius tantum manibus immanes barbarorum manus feliciter evasura. Quam ob rem gemini[4] quoque liberi isti[5] mei almam penes te Gratiarum aedem ingressi, preces iam sibi supplicas pro communi omnium salute verbis eiusmodi fundunt. Surge, age, Mathia iterum[6] auspiciis felicissimis, quemadmodum saepe alias feliciter surrexisti.[7] Surge, praecamur, o victor Heracles,[8] dum tempus adest adversus dira[9] haec et immania monstra, quae tam nefarie depopulantur agros, oppida diruunt, devorant homines, legum omnium liberaliumque artium disciplinas atque, id quod miserrimum est, religionem sanctam, non solum sordidissimis pedibus impie calcant, verum etiam quantum in eis est, ex omni hominum memoria delent. Vicisti Hercules monstra eiusmodi mirabiliter sola[10] virtute saepius atque domuisti. Sed nova[11] iamiam victoria, scimus procul dubio quid loquamur, immo quid tibi vaticinemur,[12] nova tibi victoria caelo demittitur[13] alto. Tibi certe rursum pro universo hominum virtutumque genere, pro ipso deo fortiter pugnaturo omnis favebit orbis, totus militabit aether et coniurati venient ad classica venti. Tibi soli deus omnipotens[14] imperium sine fine dabit.[15] Summus ille deus, qui solem in caelo[16] constituit stellarum caelique regem, Mathiam quoque solum sub sole constituit, imperium Oceano, famam[17] qui terminet astris.

Calendis Octobribus 1480.[18]

---

[1] Turchis *FW*. [2] Moisem *F*., Moysem *W*. [3] prorsus *HW*. [4] genuini *W*. [5] isti liberi *W*. [6] verum *W*. [7] surexisti *W*. [8] Hercules *W*. [9] dura *W*. [10] solum *W*. [11] nota *W*. [12] vaticiner *W*. [13] dimittitur *W*. [14] competens *W*. [15] dedit *H*. [16] Deo *H*., coelo *W*. [17] Occeano formam. [18] MCCCCLXXXIIII. *W*.

Prooemium Marsilii Ficini in opusculum eius de vita Platonis ad Franciscum Bandinum. [1]

Natus est mihi nuper in ipso omnipotentis Christi natali Plato quidam, Bandine magnanime, qui quamvis avo illi suo patrique nostro Platoni longe sit impar, videtur tamen nescio quomodo, utcunque potest,[2] indole similis. Ad hunc ego conversus, o Plato, inquam, patriasne avitasque sedes[3] repetas[4] Athenarum? At ille repente, O fatum, exclamavit, iniquum, nulla mihi proh dolor, nulla usquam restat patria domus! O ferrea secula, quibus Mars ille[5] saevissimus Atticas diruit Palladis arces! Non igitur in miseram Graeciam, sed in Pannoniam, Marsili, me conferam. Ibi enim floret magnus rex ille Mathias, qui mira quadam potentia simul[6] et sapientia fretus certis relabentibus annis aedem potenti sapientique Palladi, hoc est Graecorum gymnasia, reparabit.[7] Ibidem praeterea penes regem ipsum Pannoniae felicissimum feliciter vivit[8] Bandinus ille meus, qui divi[9] Platonis natalia quondam Florentiae suis sumptibus et apparatu regio celebravit in urbe, atque etiam extra urbem, dum convivium idem apud clarissimos Medices nostros instauraretur, primus[10] interfuit. Ibo igitur iam celer et alacer in Pannoniam ad amicos. Denique huic ipse inquam, decus id est[11] nostrum, melioribus utere fatis. Vale.[12]

Marsilius Ficinus Florentinus Reverendo in Christo patri Domino Nicolao Batoreo Episcopo Vaciensi Pannonio S. D.[13]

Cum accepi tuas Bandinique litteras, quibus vehementer[14] suadetis, ut in Pannoniam proficiscar, gratissimus Mathiae serenissimo Pannoniae regi futurus, perfeceram iam quinque Platonicae sapientiae claves quarum una cae-

[1] p. 782. [2] patri *W*. [3] stellas *FH*. [4] repetas *W*. [5] illae *H*. [6] simul *H*. [7] reparavit *W*. [8] vivat *F*. [9] diu *W*. [10] *primus* hiányzik *W*-ben. [11] *idest* hiányzik *W*-ben. [12] *Vale* hiányzik *HW*-ben. [13] *D.* hiányzik *F*-ben, *S. D.* *W*-ben. [14] vehementes *F*.

teris brevior ad vos venit. Venire autem me difficile est. Vivere deinde sub isto caelo forsitan difficilius. Verum, ut rectius loquar, si venturus sim ad vos, discedam a[1] vobis prius oportet, quam redeam. Fieri vero[2] nequit ut[3] ab his discedam, quibuscum mihi conciliante Musa, unus iamdiu factus est[4] animus. Ama, precor, ut facis, Marsilium tuum, te ob egregias virtutes tuas ardenter amantem. Ama similiter Franciscum Bandinum nostrum virum ingenio magnificentiaque praestantem; commenda utrumque, si decet, Matthiae felicissimo regi; huic nonnihil ex officina nostra brevi tempore proditurum nos utcunque poterit commendabit. Valete felices animi atque vivite mecum, invitis montibus, qui nos separare[5] videntur; vivite mecum felices animi vel altissimis montibus admodum altiores.

Hoc ego sum vobis, unus sibi quisque quid ipse est,
Hoc mihi vos estis, quod duo sunt oculi.

Octavo[6] Kalendas Junias MCCCCLXXIX. Florentiae.

Marsilius Ficinus Francisco Bandino S. P. D.[7]

Salve amantissime pariter atque amatissime[8] mi Bandine, salve, inquam, millies, immo semper in sempiterno auctore salutis deo. Addidissem et in Platone,[9] si modo quaerenda post deum esset salus in homine. Valemus bene, quod in primis audire cupis. Quod et de te audivimus nuper, speramusque nos in dies audituros. Dedicavi Mathiae invicto Pannoniae regi geminos nostrarum libros epistolarum, qui nunc Francisci Iunii opera exscribuntur. Caeteri vero libri nostri quos optatis, sunt iam in manibus impressorum; expressi cum fuerint, legati ad vos accedent, nostram vobis mentem feliciter expressuri. Haec interim epistola tres tibi potissimum nobis in Musis amicos mandat iterum atque

[1] *a* hiányzik *fw*-ben. [2] *vero* hiányzik *H*-ban. [3] *ut* hiányzik *FW*-ben. [4] *est* hiányzik *F*-ben. [5] separe *F*., *qui nos — alt. montibus* hiányzik *W*-ben. [6] IIII *F*., az egêsz datum háinyzik *F*-ben. [7] p. 756. P. D. hiányzik *F*-ben. [8] pariter atque amatissime hiányzik *H*-ban. [9] Platonem *H*.

iterum salutandos, episcopum[1] Colocensem, episcopum[2] Vaciensem Petrumque Garasdam. Valete felices. IX Mai MCCCCLXXXII.[2] Florentiae.[3]

Marsilius Ficinus Francisco Bandino S. P. D.[4]

Misi nuper nonnulla ad Mathiam invictum Pannoniae regem ex nostra hac officina iam diu deprompta, ea in primis Bandine, spe eaque fiducia, ut quae ego nescio quo pacto Saturnia feceram, suo ille splendore Iovia faciat. Quod equidem ita demum me facile spero consecuturum, si quae nos ad eum Marsiliana misimus, ipse quandoque Mercuriali (ut soles)[5] ore apud regem regia reddas.

Exscripsit autem haec Amitinus frater meus fere alter ego Sebastianus legitimus theologiae professor; hic dum illam legeret exscriberetque epistolam, in qua iam diu respondebam vobis, non posse me facile quod optabam, accessu istuc meo nunc satis vestro[6] desiderio facere non potuit se continere,[7] quin quasi quidam semipoëta meis auribus protinus intonaret: Non patiar, o Marsili, non patiar unquam, quantum potero, te unquam non posse quod optes. Quid ergo? Inveni, Ficine, viam grata[8] repertis, quae tanto te reddat amico. At ego quanam istuc[9] efficies, inquam, Salvine, via? Si ego, inquit, illuc Ficinus alter accessero, tu in me saltem quo cupiebas accesseris.[10] Sed felicibus in Pannoniam constitui auspiciis proficisci. Id est autem tutis Bandini nostri pedibus, qui et ipse feliciter est profectus. Hunc equidem, mi Francisce, et apud te laudarem et tibi plurimum commendarem, si vel deceret alicubi laudare me ipsum vel oporteret commendare me mihi. Vale feliciter. Vive felix. Ama ut soles, scribe quae soles.[11] Salutant amici. Saluta amicos. Commendo te regiis, commendo nos regi.[12] In agro Caregio.[13] XX Septembris MCCCCLXXXII.

---

[1] epistolam *H.* [2] *F*-ben nem bizonyos, 1482 vagy 1472 van-e irva. [3] Hiányzik *H*-ban. [4] p. 857. — P. D. hiányzik *F*-ben. [5] solet *H.* [6] nostro *F.* [7] contine *H.* [8] gratare *FW.*, talán *gratam*-ot kell irni? [9] isthuc *F.* [10] cesseris *F.* [11] satis *H.* [12] ex *H.*, de v. ö. Ficinusnak Mátyás királyhoz 1489 szept. 6-án irt levele végén: „*in* agro Caregio“. [13] Charegio *FW.*

Marsilius Ficinus Francisco Bandino S. P. D.[1]

Litterae, mi Bandine, tuae prosperam quidem valetudinem tuam mihi significant, meam vero confirmant. Ego vicissim idcirco respondeo, ut dum significo tibi meam, tuam quoque confirmem. Non immerito amicorum alter pendet ex altero, siquidem est alter in altero.

De Vaciensi vero Episcopo nostro quid dicam? Verum satis equidem dixi, modo cum de nobis dixi, proinde si amorem erga hunc explicare meum voluero caeteris quidem longissimus ero, mihi vero brevissimus. Ergo ne vel alios prolixitas taedeat,[2] vel me poeniteat, brevitatis affectu duntaxat contentus ero quandoquidem sermone non possum.

Marsilius Ficinus Francisco Bandino S. P. D.[3]

Accedit ad vos tandem Plato noster pia Philippi Valoris opera. Neque profecto absque singulari valore valuisset unquam tanta terrarum spatia peragrare. Ergo age, complatonice mi Bandine, quantum ego te amo, quantum et tu me amas, tantum sicut et soles honora Platonem. Ac si Platoni nunc iterum peregrino opus est hospitio, hospes esto.[4] Rursus si parum isthic noto opus est praecone, esto praeco, si denique inter adversarios trepidanti necessarium fuerit partrimonium, esto patronus. Vale.[5]

Marsilius Ficinus Francisco Bandino S. P. D.[6]

Platonem, Bandine, quem expetistis, arbitror iam ad vos ante has litteras pervenisse; hunc ergo felices[7] interea legite dum ego do operam, ut quandoque[8] legatis lecto Platone Plotinum. Plotinus noster Platonicorum una cum Platone suo facile princeps quinquaginta et quatuor divinos[9]

[1] p. 859. — P. hiányzik *F*-ben. [2] taedat *H*. [3] p. 870. — P. D· hiányzik *F*-ben. [4] est *H*. [5] Vale hiányzik *H*-ban. [6] p. 871. P. hiányzik *F*-ben. [7] feliciter *H*. [8] quando quod *H*. [9] *divinos* hiányzik *F*-ben.

composuit libros. Trigesimo eius libro hac hora (deo aspirante) extremam imposui manum. Ita profecto iubet deus omnipotens hac nos divina providentia ducit, hac ergo sequamur.

Ioannes[1] Pannonius Marsilio Ficino Platonico S. P. D.

Legi Budae in epistola ad Bandinum, item in prooemio tuo super Platonem et in[2] prooemio theologiae tuae, quantum astruas providentiae, quod aliquis esse fati suspicabitur. Primo non video equidem, ad quid serviat providentiae renovatio antiquorum. Deinde non est Christiana illa antiquorum[3] Theologia. Praeterea memini, cum olim in Italiam profectus Latinis literis et Graecis erudirer Florentiae, me a duobus vestrum[4] astrologis audivisse, te ex quadam siderum positione antiquas renovaturum philosophorum sententias. Quamquidem positionem siderum etsi audiverim, non satis recolo, sed te arbitror meminisse, immo et per te invenisse. Adduxerunt item illi astrologi ad suum iudicium confirmandum, quod fatali quodam tempore antiquum cytharae sonum et cantum et carmina Orphica oblivioni prius tradita luci restituisses. Mox et Mercurium trismegistum antiquissimum traduxisti et Pythagorica multa; item carmina Zoroastris explanavisti et *antequam*[5] *Florentia huc redirem* transferendo Platoni manum inieceras, iisdem (ut equidem suspicor) astronomicis auspiciis. Quod autem haec non tam providentia, quam fato quodam fiant abs te, illud etiam argumento est, quod ante haec omnia antiquum quendam philosophum sive poëtam, utpote adhuc adolescens leviter propagasti, quem deinde meliori fretus consilio suppressisti et (ut audio) pro viribus extinxisti,[6] neque fuerat illud divinae providentiae munus, quod ipse aetate prudentior factus merito iudicasti damnandum. Equidem te amice moneo, caveas, ne forte curiositas quaedam sit isthaec renovatio antiquorum, potius quam religio.

---

[1] Iohannes *F.* [2] *in* hiányzik *H*-ban. [3] *Deinde non est Christiana illa antiquorum* hiányzik *H*-ban. [4] vestrorum *H.* [5] et tanquam *F.* [6] extinsisti *F.*, extraxisti *H.*

Marsilius Ficinus Ioanni Pannonio S. P. D.[1]

Si nostra quae legisse te dicis, intellexisses, non dubitares nunc, qua potissimum ratione nostra haec veterum renovatio divinae providentiae serviat. Principio neque debemus ab illis ad summum Christiana requirere qui Christi adventum antecesserunt, neque confidere acuta et quodammodo philosophica hominum ingenia unquam alia quadam esca praeter quam philosophica ad perfectam religionem allici posse paulatim ac perduci. Acuta enim ingenia soli se rationi committunt, cumque a religioso quodam philosopho hanc[2] accipiunt religionem, subito communem libenter amittunt. Qua quidem imbuti ad meliorem religionis speciem sub genere comprehensam facilius traducuntur. Itaque non absque divina providentia, volente omnes pro singulorum ingenio ad se mirabiliter revocare, factum est, ut pia quaedam philosophia quondam et apud Persas sub Zoroastre, et apud Aegyptios sub Mercurio nasceretur utrobique sibimet consona, nutriretur deinde apud Thraces sub Orpheo atque Aglaophemo, adolesceret quoque mox sub Pythagora apud Graecos et Italos. Tandem vero a divo Platone consummaretur Athenis. Vetus autem theologorum mos erat divina mysteria tum mathematicis numeris et figuris, tum poëticis figmentis obtegere. Plotinus tandem his theologiam velaminibus denudavit[3] primusque et solus, ut Porphyrius Proclusque testantur, arcana veterum divinitus penetravit; sed ob incredibilem tum verborum brevitatem tum sententiarum copiam sensusque profunditatem non translatione tantum linguae, sed commentariis indiget. Nos ergo in theologis superioribus traducendis et explanandis hactenus laboravimus. Nunc vero quotidie in Plotini libris similiter laboramus, huic operi nos sicut et illi suo, divinitus destinatus, ut hac Theologia in lucem prodeunte et poëtae desinant gesta mysteriaque pietatis impie fabulis suis annumerare et Peripatetici, id est Philosophi omnes admoneantur non esse de

[1] P. D. hiányzik *F*-ben. [2] *hanc* hiányzik *H*-ban. [3] enudavat *H*.

religione saltem communi [1] tanquam de anilibus fabulis sentiendum. Totus enim terrarum orbis a Peripateticis occupatus in duas plurimum [2] divisus est sectas, Alexandrinam et Averroicam. [3] Illi quidem intellectum nostrum esse mortalem existimant, hi vero unicum esse contendunt. Utrique religionem omnem funditus aeque tollunt. Si quis autem putet tam divulgatam impietatem [4] tamque acribus munitam ingeniis, sola quadam simplici praedicatione fidei apud homines posse deleri, is a vero longius aberrare [5] palam re ipsa protinus convincetur. Maiori admodum hic opus est potestate. Id autem est vel divinis miraculis ubique patentibus, vel saltem philosophica quadam religione Philosophis his [6] eam libentius audituris quandoque persuasura. Placet autem divinae providentiae his seculis ipsum religionis suae genus auctoritate rationeque philosophica confirmare, quoad statuto quodam tempore verissimam [7] religionis speciem (ut olim [8] quandoque fecit) manifestis per omnes gentes confirmet miraculis. Quod vero tu [9] nostri huius operis causam in fatum referre volens de nostra genesi attigisti, non inficior equidem in hac ipsa figura Saturnum in Aquario ascendentem et Solem Mercuriumque in nona [10] coeli plaga aspectumque reliquorum Planetarum ad ipsam nonam significare hominem rerum antiquarum innovatorem, sed efficere nego. Tu quoque si epistolam nostram de Magorum stella et similem in Theologia nostra disputationem, item Plotini libros hac ipsa de re tractantes, quos et traduximus, diligentissime legeris, plane intelliges, officia publici boni ad animos pertinentia, dependere quidem praecipue velut a communibus primisque causis a supernis mentibus Dei summi ministris proficisci etiam quodammodo tanquam a causis propriis atque ultimis, ab humanis consiliis, ubi se superius accomodant. Significari autem a figuris motibusque caelestibus, velut divinarum mentium instrumentis. Disces praeterea fatum, id est, coelestium seriem causarum providentiae divi-

[1] *saltem communi* hiányzik *H*-ban. [2] *plurimum* hiányzik *F*-ben. [3] Averoicam *F.* [4] pietate *H.* [5] aberrat *H.* [6] *his* hiányzik *F*-ben. [7] veris infimam *H.* [8] enim *H.* [9] *tu* hiányzik *F*-ben. [10] nova *H.*

nae servire. Animos vero nostros[1] tunc maxime liberos iudicari, quando maxime cum divina voluntate consentiunt. Quoniam vero te poëtarum apprime studiosum esse cognosco, rem totam una cum Marone concludam. Aeneas, id est heroicus animus descensurus ad inferos et iterum ascensurus, id est, secreta divinorum mysteria penetraturus, et obscura editurus in lucem, tanquam et divinitus (ut ait) genitus quem et aequus amabat Iupiter[2] et divina ad idem oracula provocabant. Incedit rursus ad idem, libero quodam arbitrio, ubi eum ardens evehit ad aethera virtus, et ubi consultat, quid potissimum sit agendum, et sponte oracula consulit et semper libentissime cum sententia divina consentit. Confert ad idem fatum providentiae serviens ab oraculo designatum. Carpe manu namque ipse volens facilisque sequetur. Si te fata vocant, aliter non viribus ullis vincere, neque duro[3] poteris convellere ferro. Profecto fatum velut providentiae praeco ad id te vocat, id tibi significat, quod statuit et imperat providentia, tu vero eatenus opus arduum vales ad finem usque perducere, quatenus duo haec aspirant. Eatenus quoque agis libere, quatenus libenter providentiae pares. Et tunc revera es in regno fati dominus, quando videris in regno providentiae servus. Vale.[4]

Marsilius Ficinus Francisco Bandino S. P. D.[5]

Quod Platonis nostri libri tandem ab impressoribus sint expressi pia Philippi Valoris opera et magnifica manu factum est. Quod autem minus eleganter[6] expressi, id partim negligentia impressorum vel[7] potius oppressorum, partim, (si dictu fas est) malignitate fortunae nobis accidisse putato.[8] Doles autem (quae[9] tua pietas est) *senem hunc nostrum ad vos squalidum* accessisse. Desine, precor mi, Bandine, dolore. Sic enim et natura comparatum est et sorte datum, ut qui e *carcere* diuturno solvuntur profundisque tenebris eruuntur, sqalentes[10] prodeant, macieque confecti. Est ali-

[1] vostros *H.* [2] Iuppiter *H.* [3] duo *H.* [4] *Vale* hiányzik *H*-ban' [5] p. 872 — P. hiányzik *F*-ben. [6] elegantes *F.* [7] sive *F.* [8] putabo *H.* [9] qua *H.* [10] squallentes *F.*

quid post multa tenebrarum secula vidisse lucem, est plurimum ab inferis surrexisse. Iam sub divo est divus Plato, iam spirat Phoebus pater ex alto suis filium radiis illustrabit. Vale.[1] XXX Maij 1485. Florentiae.[2]

Marsilius Ficinus Francisco Bandino S. P. D.[3]

Dices, mi Bandine, video, immo iam diu dicis, Marsilium ad amicos raro parumque scribere, contra quam frequens et longus postulat amor, saepe multumque requirens. Ego vero multa semper mihi videor ad amicos scribere dum assidue multa conscribo amicis caeterisque legenda. Plotinus iamdiu quod promiseram, Latina disputat lingua, quatuor et quinquaginta libris, sed horum insuper commentaria poscit a nobis. Octo iam peregimus Deoque confisi alacriter ad caetera peregimus. Commenda nos Mathiae invicto Pannoniae rēgi. Sed dicito non posse commendatum habere Marsilium, nisi *Iacobum Azarolum* in primis delitias nostras habeat commendatum.

Marsilius Ficinus Francisco Bandino S. P. D.[4]

Dedi iam pridem ad te litteras Iacobo[5] Azarolo amico vero et eleganti viro, quem tu pariter atque me Mathiae invicto[6] Pannoniae regi saepe meo nomine commendare memento. Scripseram me in octavum Plotini librum, iam commentaria peregisse. Nunc in duodecimum commentaria meditor, atque hac assidua cura contingit, ut raras admodum et per breves amici litteras a nobis accipiant. Et profecto quando tu tales, caeteri forte nullas. Miranda equidem invenio in Plotino mysteria atque (id quod mirabilius est) frequentissima, quae[7] utinam[8] saltem verbis explicem, sicut augurari animo mihi videor. Sed vale iam Bandine mi suavissime Plotinus interim me accersit.

---

[1] *Vale* hiányzik *F*-ben. [2] a *datum* hiányzik *H*-ban. [3] p. 879. — P. D. hiányzik *F*-ben. [4] P. D. hiányzik *F*-ban. [5] Iacobo *F*. [6] *invicto* hiányzik *H*-ban. [7] *quae* hiányzik *F*-ben. [8] utita *F*.

Marsilius Ficinus Francisco Bandino S. P. D.[1]

Rogavi te alias, iterumque precor, ut causam iam vetustam Vincentii sacerdotis necessarii nostri magno regi commendes. Tota istinc[2] pendet vita miselli. Erit profecto clementiae regiae opem ferre sacerdoti egeno iusta[3] petenti. Vale.[4]

Marsilius Ficinus Francisco Bandino S.[5]

Salve, dilectissime mi Bandine. Scribo iam tertio ad te pro causa necessarii nostri Vincentii sacerdotis. Hunc precor si modo id valeas, opportune invicto Regi Mathiae commendes atque id insuper nomine meo, siquidem putes,[6] philosophicum nomen apud Reges alicuius esse momenti; solet enim ea esse philosophicae[7] sortis humilitas, ut apud minimos quidem possit aliquid, apud maximos vero minimum. Atque hac ipsi sorte contenti sumus, modo philosophi simus, id est, ut penes nos ipsos saltem plurimum valeamus. Neque diffiteor tamen me apud Mathiam interdum aliquid potuisse,[8] neque diffido iterum valiturum, siquidem non potentia solum, verum etiam sapientia claret. Vale.

Marsilius Ficinus Nicolao Batoreo Episcopo Vaciensi S. P. D.[9]

Scribis Mathiam invictum Pannoniae regem praesentiam nostram desiderare, quod et tu valde desideres aliique nonnulli Platonicae mentis explicandae gratia. Rogas si minus ipse venire valeam, ut aliquem saltem mittam ad vos meorum, qui vestro hac in re satis desiderio faciat. Ego vero curabo pro viribus, ut ad vos *Sebastianus noster Amitinus* accedat, aut si per occupationes suas ipse non possit, iter ad vos meorum alius agat, me vero patrias mutare sedes

[1] p. 880. — P. D. hiányzik *F*-ben. [2] isthinc *F.* [3] insta *H.* [4] *Vale* hiányzik *H*-ban. [5] p. 881. [6] potes *H.* [7] philosophie *F.* [8] potisse *H.* [9] p. 884., Nicholao *F.* — P. D. hiányzik *F*-ben.

mirum fuerit, sive mutationem prohibeat Saturnus in Aquario nobis ascendens, quod forte indicabit Astrologus seu vetet[1] aliquis eiusmodi genius, quod Magus forsitan opinabitur, sive corpusculum ineptum laboribus impediat iter, seu mens contemplationi semper intenta quiescere iubeat. Ambiguas equidem hac de re causas assignavi. Nam Platonici putant humanos eventus a stellis quidem interdum significari, incitari vero frequenter a daemonibus stellarum, quasi pedissequis, peragi denique ab hominibus pro conditione rerum nobis propinquiorum. Vale.[2]

Serenissimo Pannoniae regi Mathiae semper invicto Marsilius Ficinus Florentinus[3] suppliciter se commendat.

Accepimus eodem nuntio, te nuper Dei gratia fortiter potitum victoria, et amicum nostrum gratia nostri clementer e carcere liberasse. Gratulor itaque tibi quam plurimum, congratulor et amico, mihi denique gaudeo, quod tamen apud regem tantum me posse cognoscam. Ago equidem Deo gratias pro felici victoria tua, tibi quoque post Deum pro libertate amici non mediocriter, sed plurimum pro auctoritate apud te mea. Optoque[4] etiam tibi quidem victorias posthac longe maiores, amico autem,[5] meo beneficia subinde minora.[6] Ut cui libertatem beneficiorum maximum contulisti, non dedigneris praeterea, si res postulaverit, leviora conferre. XIIII Octobris. 1487. Florentiae.[7]

Marsilius Ficinus Francisco Bandino S. P. D.[8]

Pandolphus[9] Pisaurensis vir praeclarus innumeris me tuo nomine salutationibus obruit. Tunc vero maxime veram mihi salutem dixit, quando dixit, esse te salvum et egregie salvum, atque ab invicto Pannoniae rege magnis legatio-

[1] vet *F.* [2] *Vale* hiányzik *F*-ben. [3] *Florentinus* hiányzik *H*-ban. p. 885. [4] Optoquin *F.* [5] ante *H.* [6] maiora *H.* [7] a *datum* hiányzik *H*-ban. [8] P. hányzik *F*-ben. p. 886. [9] Pandolfus *H.*

nibus honoratum. Gaudeo mirum in modum prosperitate, Bandine, tua, haec enim et in amicos patriamque redundat. Vale felicior in dies, iterumque felicior.

Marsilius Ficinus Mathiae Pannoniae regi semper invicto S. D. [1]

Opto, serenissime rex, litteras propemodum maiestate tua dignas ad te dare, sed urget admodum me scribere cursim tum sacerdos ipse Vincentius, necessarius meus, commendationem nunc efflagitans, tum nuntius discessurus ad horam. Accipies ergo litteras non quales solet ocium et libertas, sed quales necessitas properantior procreare. Proinde si forte videor in postulando procacior, solita erga me clementia tua tantam mihi tribuit libertatem. Ergo liberius [2] obsecro, ut quem olim sponte mei gratia e carcere liberasti, nunc a me rogatus, hoc insuper afficias beneficio, ut perditam istic [3] pecuniam suam (si fieri potest) quandoque recipiat. Ego vero quod totiens iam tantum apud te possum, tibi quidem gratias ago, mihi vero gaudeo. Deum denique obsecro, ut feliciter tibi semper et aspiret.

Marsilius Ficinus Francisco Bandino S. P. D. [4]

Nihil iamdiu ad te scribo, mi Bandine, quoniam interea et tibi et omnibus multa conscribo. Utinam tam multum bona sint, quam multa. Plotini libros omnes iam diu me fecisse Latinos intellexisti, atque in eos commentaria scribere mox incepisse; haec ad dimidium iam perduximus, et forsitan absolvissem, nisi inter commentandum coactus fuissem traducere insuper in Latinum Bellum Platonicum de daemonibus, et Synesium de somniis, atque ex parte Porphyrium de abstinentia, ac etiam divinum Iamblichum de Aegyptiorum Assyriorumque theologia, et denique Priscianum Lydum Theophrasti mentem de mente diligenter inter-

[1] D. hiányzik *F*-ben; p. 888. [2] libetius *H.* [3] isthic *F.* [4] p. 895. Ezen levél és a következők *F*-ben hiányzanak.

pretantem. Inter haec *Philippus Valor*, valoris et gratiae plenus, regique vestro omnium deditissimus, *Plotini textus commentariaque* regi transcribit, volumine regio. Quinterniones iam tres atque triginta grandes sunt absoluti.[1] Vale, sexto Ianuarii MCCCCLXXXIX. Florentiae.

Marsilius Ficinus Florentinus Platonicus Serenissimo Pannoniae regi Mathiae semper invicto suppliciter se commendat.[2]

Si mira potest amicitiae virtus efficere, quod Pythagorici pollicentur, ut sit amici animus in amico, certe nunc meus animus est in Philippo Valore, qui nuper in Pannoniam in primis maiestatem tuam salutaturus accedit, ut cum istum audiveris suppliciter salutantem, Marsilium ipsum audivisse te putes. Desiderabam equidem iam diu maiestatem tuam visere isthic desideratus a multis, verebar autem ne vires minus itineri longo suppeterent. Decrevi tandem in Valore venire, ita demum praesertim, quia viaticum mecum attuli, libros salutari mentis alimonia plenos, qui et pro nutrimento in via et pro vehiculo simul mihi forent. Leges ergo feliciter Priscianum Lydum Philosophum, qui et Theophrasti et Aristotelis mentem de sensu et imaginatione et intellectu diligenter interpretatur. Quem equidem non traduxi tantum e Graeco, sed brevibus etiam notis exposui. In hoc vero legendo plane cognosces, quod et Themistius asserit, eandem esse Platonis et Aristotelis et Theophrasti de mente sententiam, ut una quidem omnibus hominibus sit communis, et ea duntaxat mens divina, humanas ubique mentes illustrans. Quem Peripatetici intellectum vocant agentem. Totidem vero sint propriae mentes hominibus, quot sunt et animae, atque hae similiter immortales. Quos illi intellectus nominare possibiles consueverunt, id est a divina mente formabiles. Per haec intelliges Alexandrum et Averroim confutatos et animae nostrae divinitatem prorsus agnosces. Praeterea non dedignaberis librum Michaëlis Pselli de daemonibus legere, breviter a me traductum. Qui Plato-

[1] obsoluti *H.* [2] p. 896.

nicos Christianis in daemonum opinione conciliat. Videbis post haec operosum Plotini opus, ex parte nunc in Pannoniam (ubi tibi totum ex parte monstretur) allatum. Reliquum est, ut felicissime maiestati tuae Valorem meum validissime meque ipsum in Valore commendem. Sexto Februarii MCCCCLXXXX.

Marsilius Ficinus Florentinus serenissimo Pannoniae regi Mathiae semper invicto suppliciter se commendat.[1]

Hactenus non putaram eundem hominem posse duobus simul in locis praesertim inter se longe seiunctis existere, nunc autem id posse fieri non solum puto equidem, sed scio etiam, audio, video. Scio quidem *Nicolaum nostrum Theologum singularem nuper ex Italia* se in Pannoniam contulisse audio tamen eundem Florentiae, ut solebat, in gymnasiis publicis, in foro, in templis loquentem legentemque frequenter et assidue disputantem. Videmus eundem quotidie in ipsis coronis philosophantium coronatum. Vivit igitur apud vos iam Nicolaus vester, spirat apud nos interea Nicolaus et noster, clamant adhuc in scholis atque in ipsis parietibus inde resonat echo; hac igitur ratione opinionem quidem iste fefellit nostram, satis autem desiderio fecit. Iam enim tanti viri praesentiam desiderabamus ut nunquam foret velut absens a nobis desiderandus. Fallet et vos forsan aliter nisi monuero. Histriones quidem in scenis personas suas sub alienis abscondere solent, Nicolaus autem sub sua vicissim occulit alienam. Cum igitur disputationes eius auscultabitis, scitote Nicolaum quidem vos aspicere, neque tamen audire. Beatum namque illum Thomam Aquinatem disserentem potius audietis in ipso iam Nicolai pectore viventem, in eiusdem ore clamantem. Aut enim in hoc ille nascente renatus est, quod Platonicus aliquis opinabitur, aut saltem sublimis e caelo Thomas loquenti propitius afflat. Vos itaque in Nicolao velut in viva quadam statua Thomam illum colite Aquinatem. Die VI Septembris MCCCCLXXXIX. In agro Caregio.

---

[1] p. 902.

Marsilius Ficinus Francisco Bandino S.

Si quis honorandus est ab omnibus: is procul dubio est qui et ipse omnes honorat. Verrino igitur vati debent omnes honorem. Hic enim tam gratus est, tam gratiosus, ut omnes et quibus non debet admodum grate: et quibus non debet gratis honoret. Favet bonis. Extollit ingenia. Ornat doctos. Illustrat principes. Colit santos. Deum in omnibus veneratur. Quid plura? Ipsum vos audite. Qui enim laudat omnes ipse se laudabit in omnibus. Nisi vero tibi commendatus sit, is cui probi commendati sunt omnes. Nescio quem unquam habeas commendatum. Vale.

Marsilius Ficinus Tideo procuratori S. D.[1]

Dedi nudius Tertius Antonio librario nomine tuo petenti Platonicum Iamblichum exscribendum. Si tibi forte legenti ordo quidam in libro perpetuus non occurrerit, scito me hunc librum non ad verbum expressisse, sed ad sensum, non tam, quoniam in Plotini commentariis totus fueram occupatus, quam quia unicum est apud nos exemplar mendarum plenum et quod est deterius fragmentorum. Tum vero si stylus ibi noster non satis tuo iudicio fecerit, iustum Tidee, quando non placet, mittito, saltem accipito sensum. Aliquando enim sub aere latet argentum, quemadmodum saepe contra tegitur aes argento. Sed ne grammaticus forte quidam severus philosophorum censor arrogantiae me accuset, quod hic argumentum quoddammodo mihi videar vendicare, aurum isti concedo quam libentissime, si quo pacto possim rigidiorem in me iudicem munere tanto placare. Atque ut largius etiam ipsi gratificer, fontem istum equidem appellabo, me cisternam. Vale felix. Me tibi commendo, tu quoque regi magno me commenda.

---

[1] p. 905.

Excerpta e Marsilii Ficini operibus.[1]

Proemium Marsilii Ficini Florentini in librum De Vita Caelitus Comparanda ad Serenissimum Pannoniae regem Mathiam semper invictum.[2]

Philosophi veteres rex omnium felicissime, caelestium vires inferiorumque naturas diligentissime perscrutati, cum existimarent hominem frustra sapere, qui non sibi sapit, totam merito perscrutationem suam imprimis[3] ad vitam sibi caelitus comparandam retulisse videntur, iudicantes (ut arbitror) tum elementa et quae ex his componuntur frustra sibi cognita fore, tum motus caelestium et influxus temere nimium observatos, nisi haec una cum illis cognita simulatque coniuncta aliquando sibi ad vitam felicitatemque conducerent. Profuit autem illis, ut videtur, eiusmodi contemplatio ad vitam primo praesentem. Nam Pythagoras et Democritus Apolloniusque Theanaeus,[4] et quicunque ad id potissimum studuerunt, rerum sibi cognitarum usu prosperam valetudinem consecuti sunt vitamque longaevam. Contulit insuper ad futuram vitam tum per gloriam apud posteros propagandam, tum apud deum in aeternitate fruendam, siquidem ex mirabili mundi totius ordine, eius tandem cognovere rectorem et ante omnia cognitum[5] amaverunt. Tibi vero gloriam per secula cuncta futuram, magnanimitas, magnificentia, victoria perpetua pollicentur. Vitam quoque

[1] Lásd Marsilius Ficinus összes munkáinak baseli kiadását, mely 1576-ban ex officina Henricpetrina került ki. Az innen közlött darabok legnagyobb részét összehasonlítottam a florenczi Laurentiana könyvtár codexeivel, melyeket *F*-fel jelöltem, míg a nyomtatott kiadás olvasatait *H* betűvel jelöltem. A kiadás orthographiai hibáit (sydera, coelitus, authoritas, quum stb.) hallgatva kijavitottam a kéziratokból. Mátyás király nevét a florenczi és wolfenbütteli codexeket követve mindig *Mathias*-nak írtam, a kiadásban majd *Matthias*, majd *Mathias* van.

[2] Így adja e czimet a codex Laur. plut. 73, 39. *(F)*, kivéve, hogy *Prohemium* és *Panoniae* áll benne. *H*-ban: Marsilii Ficini Florentini in librum tertium de vita coelitus comparanda ad Serenissimum Pannoniae regem epistolare prooemium.

[3] in primis *H*.

[4] Így *Tyaneus* helyett.

[5] et antea omnia cognatum *H*.

apud deum in aevo beatam divina[1] clementia insigni pietati tuae iustitiaeque promittit. Vitam denique prosperam inter mortales satisque[2] longam (quantum ex indiciis quibusdam mihi licuit coniectare) felicia tibi sidera decreverunt. Ut autem quod pollicentur, id[3] et praestent, firmissima fide et cumulo insuper prorogent pleniore, diligentia tua et medicorum astrologicorumque cura efficere procul dubio potest. Iam vero id posse scientia et prudentia fieri, doctissimi quique astrologi et medici confitentur. Cum igitur inter Plotini libros magno Laurentio Medici destinatos in librum Plotini de favore caelitus hauriendo tractantem nuper commentarium composuissem inter caetera in eum nostra commentaria numeratum, id quidem seligere nunc, *Laurentio quidem ipso probante,* atque Maiestati Tuae potissimum dedicare decrevi. Spero equidem dum vitae tuae prosperitatique consulam, vitae interim et splendori seculi nostri et humani generis consulturum. Atque ut valetudini prosperitatique regiae validius haec nostra prodessent, *per Valorem ipsum mittenda* putavi. Hunc igitur *Valorem* nostrum, clementissime rex, complectere precor. Tantum enim natura, virtus, auctoritas tua valet, ut absque te nequeat *vel valor* ipse valere. X Iulii M CCCC LXXXIX. Florentiae.[4]

Oratio de Rege Pannoniae Matthia. Recitata in die Matthiae Apostoli in Renunciatione gradus Magisterii a Decano Magistro Sebastiano Mattheo in Academia V Vitebergensi Anno M. D. LI. V Vitebergae Excudebant Haeredes Petri Seitz.

fol. 7a. . . . Venerabatur Ecclesiae nomen et a sacerdotum eruditorum colloquiis de doctrina Ecclesiae non abhorrebat, ac certa tempora invocationi tribuebat. Bibliothecam instruxit magno sumptu quanta extra Italiam nulla est. Ex hac utiles libri Polybius et Diodorus siculus primum prolati typis excusi sunt. Delectatus est maxime historiarum cognitione, quas curavit ex graeca lingua multas latinam transferri sui usus causa, didicit etiam studiosa multa de stellarum motibus et

[1] a divina *F.* [2] atque *F.* [3] *id* hiányzik *F*-ben. [4] a *datum* hiányzik *F*-ben.

effectionibus. Ac Iohannis Regiomontani sermonibus et familiaritate ita delectatus est, ut quoties in aulam veniebat, mensae eum suae adhiberet, multa sciscitans de motibus stellarum et de variis naturae miraculis. Stipendium etiam huic annum aureos ducentos dedit. Et multos viros doctos mathematum cultores evexit ad fastigia honorum amplissimorum.

Michael Episcopus Milkoniensis ac in ecclesia Strigoniensi in pontificalibus vicarius et causarum auditor generalis omnibus et singulis dominis clericis beneficiatis et non beneficiatis, curatis et non curatis, ecclesiarum plebanis et eorum vicegerentibus et alias quarumcunque dignitatum titulis insignitis, in et sub diocesi iurisdictione et provincia dictae ecclesiae Strigoniensi *(így!)* **constitutis et commorantibus Salutem et paternam in domino benedictionem.** [1]

Superioribus diebus recepimus in mandatis a serenissimo principe domino Mathia, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rege invictissimo, domino nostro gratiosissimo, quatenus de modo et rubrica ipsius almae ecclesiae Strigoniensis breviarium correctum pro exemplari super horis canonicis peragendis de tempore et de sanctis diurnis et nocturnis, circumspecto Theobaldo Feger de Kirchem librario ad imprimendum plura breviaria pro horis canonicis iuxta sanctiones canonicas peragendis traderemus.

[1] Az 1484-iki esztergomi breviariumban a naptár mögött fol. 7b. A könyv czíme (fol. 8a.) a következő: „Incipit breviarium de tempore et sanctis. etiam commune sanctorum per anni circulum. iuxta consuetudinem et ritum sacre ecclesie Strigoniensis, imprimi mandatum per serenissimum principem. dominum Mathiam Hungarie. Bohemie. Dalmacie. Croacie etc. Regem invictissimum. Anno domini. M. CCCC. LXXXIIII. Idcirco omnes clerici diocesis prefate ad quos ex impressione huiusmodi breviarium pervenerit: iuges fundant ad dominum iesum preces. pro felici regimine. pace. et prosperitate eiusdem Illustrissimi. principis quamdiu vivet in humanis. et vt post eius obitum cum suis fidelibus inter angelorum agmina vitam consequatur sempiternam Amen." A könyv végén (fol. 81a): „Finit breviarium de tempore et sanctis: etiam commune sanctorum per anni circulum. iuxta cosuetudinem et ritum sacre ecclesie Strigoniensis. Anno domini. M. CCCC. LXXXIIII."

Nos attendentes huiusmodi mandatum regium iustum, accedente adhuc sano consilio nonnullorum peritorum dominorum de capitulo dictae ecclesiae Strigoniensis huiusmodi breviarium bene correctum et transcursum pro exemplari ad imprimendum plura iuxta rubricam ecclesiae Strigoniensis tradidimus. Quare vos omnes et singulos dominos praefatos, in et sub diocesi, iurisdictione et provincia Strigoniensi commorantes in virtute salutaris oboedientiae requirimus et hortamur, ut huiusmodi horas canonicas iuxta statuta sanctorum patrum et rubricam Strigoniensem perficere ad salutem animarum vestrarum valeatis, huiusmodi impressa breviaria pro usu vestro ad vestras ecclesias disponatis feliciter.

Incipit Psalterium cum suis pertinentiis: secundum modum ecclesie Zagrabiensis. [1]

Cum in diocesi Zagrabiensi esset magna penuria emendatorum breviariorum secundum ordinationem (et ut vulgo dicitur rubricam) dictae ecclesiae, eademque breviaria magna ex parte longinquitate temporis corrupta ac depravata, plerorumque scriptorum imperitia haberentur, Reverendissimus in Xro. pater dominus Osvualdus memoratae ecclesiae Zagrabiensis episcopus, animadvertens officii sui debere eiusmodi penuriae occurrere atque providere, ut ex facili breviaria in utilitatem cleri totius diocesis suae quam emendatissima haberi possent, proindeque in eam rem intendens, ut et optime emendarentur, opera atque diligentia venerabilium dominorum Georgii de Bexin et Blasii de Kemlek decretorum doctoris, archidiaconorum et canonicorum in praefata ecclesia, ad aeternam memoriam inprimi facere curavit itaque et quam optime castigata impressa sunt auctoritate reverendissimae

[1] E czim az elöszó után áll, ez elött pedig a naptár és 12 levélen a recitálási modor. Lásd Knauz: Libri Missales ac Breviaria Ecclesiae Hungaricae. Strigonii, 1870. p. 81. A könyv végén: „Explicit breviarium secundum vsum ecclesie Zagrabiensis magna cum diligentia revisum et fideli studio emendatum per venerabilem dominum Blasium decretorum doctorem Archidiaconum de Kemleck et canonicum ecclesie Zagrabiensis. Impressum venetiis per Erhardum radtolt de augusta. Anno salutifere incarnationis. M. CCCC. LXXXIIII. V. idus decembris."

paternitatis suae, et iam in lucem exitura ut unusquisque facile et praecipue ecclesiastici ordinis miles, cui rite deum et iuste laudare absque sincopo et verborum truncatione sacra canonum iubet institutio, ea assequi possit, quae antea passim ita bene correcta habere vix licuit. Quorum praestantiam facile dignosces o lector optime, si vetera illa breviaria et rubricas cum his non fueris dedignatus conferre. Vale.

Ioanantonius Modestus Reverendo D. Francisco Praeposti Transsilvaniensi ac Serenissimi Ungariae Regis a secretis.[1]

Quum dudum te adhuc de facie non novissem, tua tamen in omnes humanitate ac singulari in studiosos amore factum est, ut te absentem absens ego diligere coeperim. Verum quum me in Ungariam animi gratia contulissem teque adivissem, tum demum meo in te amori non mediocris facta est accessio, nam id quod reipsa de te comperi, minima illius fuit portio quod aliorum praedicatione prius acceperam; auxit enim praesentia famam. Nam tum mihi cognoscere atque intueri datum est, quam magno inter maximas occupationes litterarum flagrares amore, quippe qui quum regis negociorum magnitudine paene undique obruaris, nullaque ab his detur tibi hora vacua, tamen tu cuiuslibet puncti temporis observantissimus, ne quid in cassum abeat, aliquid semper inter negocia tibi ocii subripis, quo aut in amoenos Poetarum campos spaciaris, aut in florida oratorum prata evageris. Accedit praeterea ad hanc generosam animi tui in bonas artes indolem humanissima quaedam in doctos omnes humanitas atque munificentia. Nam quicunque musarum sacris candidatus huc

[1] „Ioanantonii Modesti Umbri Oratio de Amicitia.“ A könyv végén: „Excusa sunt haec Viennae Austriae ab Hieronymo Vietoris Philovalle. Anno M. D. X. quarto Kalendas Octobris.“ Negyedrétben. Az erdélyi prépost, kihez az előbeszéd intézve van, Kemény szerint (Kalászatok p. 65., v. ö. Schematismus venerabilis cleri Dioeces. Transilv. 1838. p. LVIII.), Zeremlényi Ferencz. Denis (WB. p. 31.) azt hitte volt, hogy Várdai Ferencz „der hernach zum Bisthume daselbst gelangte und dessen Grabeschrift in Benkő's Transsylvania P. priore T. II. p. 151. zu lesen ist.

accesserit, abs te statim comiter accersitur, convivio humanissime adhibetur, omnibus in rebus promptissime iuvatur, nec abs te nisi honorificentissime donatus abit. Quapropter quum ego ob tuas egregias ac singulares animi dotes et mirifice colerem, decrevi meam in te benevolentiam non clausam in pectore pati quasi marcescere, sed promere et ita promere, ut non solum tu, verum etiam studiosi omnes cognoscerent, quantus in te meus eset amor, et quibus inniteretur radicibus. Enimvero illa vera iucunda (iudicanda?) est amicitia, quae non adulationem aliquam, sed meram veritatem prae se tendit. An autem haec mea de te oratio ullas adulationis ineptias prae se ferat, an vero ipso verior sit, tumet qui tui ingenii bonitate in re propria non deciperis iudicato. Caeterum ut aliquod nostrae amicitiae appareat argumentum, orationem quam Viennae olim de Amicitia habui, tibi dicare decrevi, non quod tantum mihi arrogem, ut talem eam esse existimem ut citra non nullorum quibus etiam bona sordere consveverunt voculas possit circumferri, sed quod mihi persuasum est fore, ut abs te et bonis omnibus sim gratiam non vulgarem initurus, abs te quidem, quoniam perspicies quali sum in te animo et quid in laudes tuas, si eam mihi ingenii ubertatem dii concessissent, qua rei magnitudinem possem substinere praestarem, a bonis omnibus, quia quum me gratum virum et bonorum studiosum esse cognoverint, non poterunt me non amare, credentque meum in te studium tale quoque futurum quale in te esse perspexerint. Vale ex Vienna. Sex. Kalendas Octobris. M. D. X.

Reverendissimus in Christo patri et domino Georgio Episcopo Quinqueecclesiensi Ioanantonius Modestus S. P. D.[1]

... Quum ego adhuc in Italia agerem, audiremque subinde a multis, qui Ungariam lustraverant, tuas egregias virtutes omni laudum praeconio celebrari, miro quodam cepi flagrare desiderio tanti praesulis videndi, salutandi, alloquendi;

[1] „Ioanantonii Modesti Umbri Oratio de nativitate Domini. Eius dem Ulysses." A könyv végén: „Typis e stagno effigiata est haec oratio Viennae Austriae Hieronymi Vietoris industria. IX Kal. Novembris." Esztendőszám (1510) nélkül, negyedrétben.

hinc enim tua me incredibilis in omnes benignitas, hinc auctoritas, qua plurimum in hoc regno polles, hinc ingenii dexteritas, hinc omnibus in rebus prudentia, hinc gravitas maxima quadam condita comitate summa defigebant admiratione, quo fiebat, ut in dies exardescerem, me licet absentem in tuam amicitiam aliquo modo insinuare. Verum quam facultatem mihi adhuc in Italia degenti denegaverat fortuna, nunc demum in Germania agenti Dii ultro obtulerunt. Nam quo quis ignem propius accedit, eo magis incalescere consvevit, eodem pacto mihi evenit, quo enim Ungariae propior factus sum, eo manifestius singulares virtutes tuas licuit mihi perspicere . . . Namque alios pecunia honustos, alios sacerdotis honestatos, alios magistratibus insignitos dimittere consvevisti, ita fit, ut omnibus sis charissimus et ab omnibus commenderis. Quapropter quum divitiis tua non indigeat conditio, nec mearum rerum fortuna has posse cuipiam elargiri patiatur, munus tibi, quod benigna esses fronte suscepturus, et id donare vires meas non excederet, offerendum duxi. Quum igitur Viennae nonnullas habuerimus orationes, quarum quae de Salvatoris nativitate est, et quam Ulysses inscripsimus, tuo nomine circumferendas esse censui, doctissimo enim ac humanissimo Praesuli nihil accidere gratius nihil iucundius arbitramur, quam perspicere se a bonarum artium sectatoribus talem haberi, qualem sese ipse semper praestiterit atque esse cognoverit, videlicet egregium doctorum patronum et virtutum omnium fautorem maximum . . . Vale. Ex Vienna, pridie Kalen. Octobris. M. D. X.

Mechanechen de se ad Lectorem. [1]

Quem non livor edax alienaque gloria torquet,
  Perlegat haec Latiis carmina caesa notis.
Tres fuimus clari cognato e sanguine vates,
  Pannonicam Dravus qua rigat altus humum.

[1] A Teleki-féle Ianus Pannonius-kiadásból II. p. 178., 179. Teleki p. 177. azt mondja róla, hogy: poëta anonymus cuius epitaphium a a se vivo confectum Albae Iulae (nunc Carolinae) Transsilvanorum in templo maiori arcis (ubi tot regum, principum, et illustrium virorum

Unus erat Ianus proprios qui primus ad oras
  Duxit laurigeras ex Helicone Deas.
Alter erat Petrus genitus de stirpe. Garázda,
  Qui tulit Aoniae plectra sonora lyrae.
Ultimus hos ego sum cognata e gente secutus
  Tertia doctarum gloria Pieridum.
Strigonia Petrus requiescit in arce, Ioannem
  Ipsa suum sedes Pontificalis habet.
Hic mea, si dederit sors, ossa recondite, si non,
  Nil nostra, iaceant quolibet illa loco.
Spiritus aethereas postquam resolutus ad auras
  Evolat, haud magni membra caduca facit.
Celsus ab aethereo demissus patre revertit
  At corpus de qua fingitur, intrat humum.
Coelum divinae est requies faustissima mentis
  Parvula corrupti corporis illa domus.
Ne longum, lector, damnes in marmore carmen,
  Scripsimus ignotis ista legenda viris.
Vivens scripsi A. D. 1507. vixi annis 37.
  Quid ais? tace! Zoile tace.

---

ossa recondita et reliquiae iacent) nigro incisum marmori superioribus temporibus tegebatur et passim apud scriptores non tamen sine lectionum varietatibus quibusdam extat". Az emlitett eltérések: a czimben Megerechen Ar. Co. de se ad lectorem; v. 2. haec claris; v. 19. coelo d. e. r. certissima t.; v. 20. Hic sit corrupti. — E költemény szerzőjének Toldy, Arnoldus de Garázdát hitte, talán azért, mert a feliratnak *Ar. Co.* szavaiban az *Arnoldus* szót vélte felismerhetni. Érdekes azon kézirati jegyzet, melyet Knauz (Libri Missales ac Breviaria Ecclesiae Hungaricae ad receptionem usque ritus Romani. Strigonii 1870) a Ioannes Paep librarius Budensis költségén 1498-ban Velenczében megjelent Missale secundum chorum alme ecclesie Strigoniensis-nek az esztergomi főegyházi könyvtár példányának czimlapjáról idéz: „Missale Divo Andreae [Sz. András kápolnájának] Dicatum Studio Io. de Megereche. Ar. Col. Eius Arae Rectoris. M. D. V." Más kéztől: „Obijt avtem Io. de Megereche [igy?] Die XV. Mensis Aprilis Anno Domini M. D. XVII. Vir Opt. M. [= optime memorie?] Qvi per omnis Aetatis Gradus. Ab omnibus Successoribus Bona Verba et Pias Orationes..." Nagyon közel fekszik azon föltevés, hogy ezen Ioh. de Megereche azonos a mi névtelen latin költőnkkel, s hogy az 1507-es szám sírfeliratában hibás olvasás 1517 helyett.

Panegyris Nagonii.[1]

Ad Divum Vuladislaum Serenis: Potentiss: q. Ungharie ac Bohemie Regem Semper invictum: Pronostichon et Panagyrichon editum per Io. Michaelem Nagonium civem Ro: et poetam Laureatum.

(Arany betűkkel.)

Ordior anniferi devicto Caesare Regis
Gesta, quibus nitido se gloria pandit Olympo
Principis, atque iubar demissum sydere dextro
Quantaque Calcidicę monstrent oracula vatis
Venturumque genus: sed tu super omnia mecum
Tolle ducem primo celebranda Bohemia sacrum:
Pincipis inque manus o Pannonis ora, potentis
Reddita: et in regnum fractis successa secundum
Hostibus: Ausonijs totiens et digna triumphis:
Tuque, precor, concede libens Hungaria votis
Nomine dicta novo iustis. Rex ista meretur
Si nescis¦ hic numen habet: Paphiosque relatus

[1] Nagonius János Mihály „Panegyricus"-át, melyet II. Ulászlóhoz intéz, Ábel a Jézus-társaság kuttenbergi könyvtárában levő példányból másolta le. E könyvre a katalogus a következő megjegyzést teszi: „Liber iste sodalitiae B.^{ae} V.^{is} Mariae sine labe conceptae catalogo inscriptus Kuttenbergae. Ao 1638 die 24. septembris. Dono liberaliter datus ab ingenio iuvene Francisco Sebastiano R.-tore eiusdem congregationis pio sodale." Ez az inscriptio olvasható az első lap arannyal írott sorai közt. A belső táblán az ismeretes följegyzés, aláírva P. G. O. P., mely ki van egészitve: P. G.^{eorg} O.^{sterman} P.^{lachus}. A kötés selyem-brokát. (Nem egykorú.) E költeményt Scherschnik, tudós jezsuita adta ki Prágában a Bibliotheca Clementina kártya-codexéből 1777-ben. A praefatióból kitünik, valamint az Ábel másolásából is, hogy a sürű nyomtatási hibákkal megrakott szöveg forrása egyezik az Ábelével.

E Nagoniusról Georgius Ferus a könyvtábla másik oldalán megjegyzi, hogy a koszorúzott költő Lucanus stylusát utánozza ugyan, de több helyt darabos és hibás. De minthogy egy római férfi írja le a cseh történet e korszakát, érdemes volt megőrizni az egyetlen példányt, melyet valaki elcsent a cseh király vagy más úr könyvtárából. A Scherschnik kiadásának múzeumi példányába a sajtóhibák tentával vannak bejegyezve.

Inter avos veteres iam iam lustrabitur igni.
Dic ubi comperies hoc nostro tempore Roma.
Martia deposco? simili virtute decorum
Atque pari gravitate ducem, pietateque tanta
Florentem, probitate sua supereminet omnes
Crede viros: pariter comes illa modestia confert
Quot dotes alias: ipsum facit alma videmus
Iustitię documenta sequi populisque subactis
Iura tenere iubet, leges et gentibus esse.
Qualem forte putas? Regum quis clarior isto?
Maior et illustri memora quis Marte secundus?
Iste manu valida germanica castra refregit:
Audaces fuditque tubas: et Caesaris arma
Pressit et hostiles superavit milite campos.
Dum paro gradivum describere talia vates
Consului: secumque volens contendere dixi.
Terruit extremos valido quis Marte furores
Victrici delatus equo? seu grandior hastis
Panditur a superis quatiens terroribus orbem
Vel quis ab Eoo furor impius axe lacessit
Agmina, depexos spectat quis belliger Indos?
Invictos premit ense duces quis fortior ausis?
Aut quis Romuleos urgetur adire triumphos?
Et currus? sacrumque Iovi nunc visere montem?
Tarpeis redimire caput quis frondibus ardet?
Castalii Regina chori mihi pande. Triones
Iste parat tranare manu, gelidos quoque princeps
Decertare lares et Caspia perdere sceptra.
Bistoniosque sinus, pulchras ac Phasidis undas
Septenumque lacus, limen transire Canopi.
Hyrcanasque plagas et fusci Memnonis oras.
Occiduumque latus, Tyriosque attingere fines
Prolis Agenoreę patriam morientis Elyse
Hostiles sevire potens; et solis utrosque
Perlustrare thoros torquens vehementius orbem.
Seu tu fama volans nobis prenuntia monstra
Quis strepitus belli flagram Vngaria sensit
Tempore quo Cesar cepit concurre (!) (= -re) castris

Pannonicis, cessitque suo devictus honori.
Quod genus horrendum vultu ciet altius iras
Increpat epastos fugientes agmina Parthos.
Albus equo trepidat minitantia Sarmata pila
Et cultor Rhodopes, potant qui flumina Nili
Vel Cilices, Arabesque simul, gens barbara et omnis
Orbis honos, magnusque timet Germanicus heros,
Turcorumque manus totiens infesta propinquis
Sedibus, et totiens depulsa fidelibus arvis.
Scipiadum venitne furor, qui gentis Iberę
Iura tulit? Sedesque nigras damnare Syphacem
Concessum pariter, niveosque ascendere currus.
An Tarthesiacos domuit qui promptius hostes
Magnus erit croceis excellens victor in oris
Maior avis: Lauro sacra redimire tonantem
Sępe datum: et reducis strepitare in culmine collis.
Vuladislaus adest atavorum regia proles
A patre regali genitus, cui cedere nomen
Cęsareum merito poterit: manet iste superbus
Maior et in regno: liquidum super aethera vectus
Est totiens: et mille tulit discrimina ponto:
Mille etiam Grais fecisse pericula Terris
Fama refert, Turcosque monet domuisse potentes
Spectatum dextra, populisque novasse timores.
Nil superest, si Cesar adest, velocior alter
Emonio Borea cursuque citatior: inde
Quot stravit terras et Turcum in lege rebellem
Vertice iurato deiecit arundine fulmen.
Perculsit (!) latos campos et prelia Rheni
Atque Caledonios animosus terga relatos
Expavit dominus Cattis Ducisque subactis,
Vicinosque sinus, et sęvę classica pugnę
Illustris generi contorsit promixa caro.
Cur tibi Meonio referam iam carmine fasces:
Pompeium, Curium, Fabium Quintumque Metellum:
Septimiumque trucem et clamantem rostra Cathonem:
Aemiliumque probum, Marium, Syllamque potentem:
Martigenamque tuum durę Carthaginis hostem

Paulum, et idumeos meditantem sorte triumphos
Marcellum, Marcumque duces, acremque Camillum:
Corvinum, de quo proles Corvina remansit.
Vivit adhuc similis, paribusque virescit in annis
Vuladislaę potens equidemque gloria Regi
Convenit exponam: nunc quo sub principe visum
Grande iubar movere dei, Tarpeiaque saxa
Increpuere Iovem spectantem templa Sororis
Et belli, pacisque fores, iuvenesque Laconas:
Concussit vivumque larem Phrygiosque penatis:
Quos sacer Eneas mediis ex ignibus hausit:
Signavitque domos et sancta palatia nuper
Arsit: et extimuit flammis gravioribus urbem:
Ima petens certam fedavit sulfure turrim
Pontificis, feriunt aedes si fulmina sacras
Quid dicam? secumque trahant si fulgura moles.
Roma puto Rex magnus erit: qui mente superbit
Syderei: vivat inde suo procul ense vereri:
Et tu terra potens, rerum fulvique metalli
Romanę dilecta cheli, cui semper Arion
Inflexit calamos: potuit qui Prothea, phocas
Stare lyra: volucres nemorumque movere canora
Audi signa tui, queso, prenuntia Regis.
Castor Amicleus gemino mirator ab astro
Principibus plus posse ducem: vultuque minantem
Hectora terribili: Martemque lacessere ad arma.
Oebalii iuvenes genuit quos candidus ales
Matre Rea: pactas ausi corrumpere tedas:
Unus lyncea transiectus corda bipenni
Pressit humum: sequitur perculsus Lyncea Pollux
Ultor, post Idas, sed Iuppiter igne vetabat.
Officio tandem patrio meruistis Olympum
Sparthani fratres, operi date limina tanto
Mixta notis, magno crepuit iam machina pulsu
Demisitque faces rutilas nunc igneus aether
Pondere multifido, tellus et subter anhelat
Cernite: disiecit subitum per nubila fulmen
Contremuit fractoque polo micat aureus axis

Luminibus densis: septenaque culmina mirum
Pertimuisse ferunt Latię miracula terrę.
Tuque labor Nemees Tyrinthia gloria monstri
Herculea iacuisse manu: Quem penitet unquam
Procubuisse quidem: et magno cessisse domanti
Fortibus haud ausis. Vos cancri signa perusti
Candentes aestu Lybies torrentia Syrtes
Cornigerumque Iovem: et sitientis semper harenas.
Vector et Ogigię dederas qui tergora nuptę
Deteriora Deus miserę quoque proditor Helles
Astrorum primus ductor: pelagique ruina
In Thalamis predulce tuis o virginis astrum.
Libra sequens qua Cesar ovat: chelęque verendę
Phyliridesque vetus geminato pectore pollens
Arcipotens tinctas vibratus sępe sagiptas (!)
Falciferi de stirpe patris tua deprecor ora.
Corniger hirce simul fallax Neptunia proles
Tuque puer dilecte Iovi, qui fussor (!) aquarum
Proderis, et gemini pisces, quibus ultimus ordo
Oro vos omnes celi de parte serena
In media signate locum: quo cernere Romam
Belliger et recto valeat lustrare Quirites
Sydere et aurati Capitolia celsa tonantis
Vuladislaus atrox sceptrum cognomen et urbis
Conferet: antiquumque decus cum nomine Regis
Nomen et a victis deducet nobile Turcis.
Iunctus erit dextro lateri Mavortius heros
Et levo astabit prefulgens Romulus astris
Desuper a sacro dependens vertice lambet
Iuppiter: et crines rutila flammaque flagrantes
Spargere visus erit, circumque innoxia dulce
Lumina, divino tua fundere tempora cultu.
Post pater ille suus regum sapientior unus
Quem vultu festo natum spectare iuvabit
Ore gravi, gravibusque oculis ille inclytus armis
Huius frater amans. Rex alter honore verendus
Cognatos concernet avos, et maxima Martis
Gloria Pollonos superans animosa triumphos.

Primus inire feras, supremus ponere pugnas:
Cumque inerebat (!) equo: durus pavor hostibus inde
Acris erat: regni dominus custosque paterni
Conspicies generose nimis nimis edite princeps
Indole preclarum patria titulisque parentis.
Preterea fratrem cupientem scandere cęlum
Nexa tuo similis prebentem brachia collo.
Dum fuit astriferis concordia tanta figuris
Et plaga lucentis dum stabat lactea cęli
Zodiaci contenta domo dextroque rotatu
Mansit uterque polus, tunc omnes ire parabant
Rite gradu simili blandoque incedere vultu
Ante Iovem: niveasque deas divosque minores
Semideumque gregem, superum plebs infima terris.
Regia celicolum tacito perterrita cetu
Tota pavet, stupet illa magis, nimiumque tremescit
Arx divum, nunquam quia viderat arduus axis
Concordes animos unoque insistere nutu.
Dumque ea miratur Regis domus alta potentis
In medium progressa locum Cytherea repente
Constitit auratis tunicis, quae veste flagranti
Floribus Idalię flammis adolere tuentis:
Haud nec Acydalio spirabat diva vapore
In flavis distincta comis revomentibus ignes.
Illa decens oculis vernos mittebat odores
Ore rosas, nuper solito formosior ore
Astitit, ut certo dubios revocasset amores
Aurea, tunc magni poterat reor alma sororem
Sollicitare patris, vel figere eburnea visu
Pectora, Iunonis liventia sępe Dione.
Voce Iovem tenera demum sic dulce parentem
Alloquitur: blandeque deos Erycina profatur.
Altorum genitor, superum qui sydera fixis
Legibus evolvis, mundumque in tempore torques
Iudicio et regnum stabili das scire futurum
Votis mente tuis multoque ardore moveri
Unanimes mente tranquillaque signa vicissim
Cur venere modo nec amico tendere cursu

Ista solent, tantum discors stat lymes Olympi
Sideribus domus una suis et tota sub astris
Machina stat nitidis, et moles iuncta cathenis.
Nunc oritur species magno cadit illa profundo,
In numero non esse queunt errantia cęlo.
Natam fare tuam et tacitus me solve querelis
Si memini tua dicta pater, portendit honores
Sceptraque Dardaniis olim dominantibus orbi
Alma quies, prisco et terris placidissima Iano
Promissumque diu nobis Romana potestas
Surget avis, ducibusque suis et regibus illo
Maxime cui domino parent duo maxima regna
Cum fuerit perpensa malis ac mersa profundis
Sedibus, hoc nobis iterum gens condita rege
Flavia templa solo ponet certantia stellis.
Imperio repetet cum magna Ungaria Roma
Collapsosque lares, statuet sacramque ruinam
Męnibus Iliacis, similis sedisse nepotes
Emensos, terramque fretum mihi sepe canebas
Urbe sua, Latio parient et iura Bohemi
Edita gens Troyę ducibus profugisque colonis
Hec ventura dabat tua magna potentia signis
Prodigia, astriferis subito pax unica metis
Volventem pressura polum, Phębique labores.
Cum fuerit teneris regni quod gesserat olim
Maxima Roma manu nullo renuente Gradivo
Tempus avis venisse puta, rediisse tribunos
Et populum gentemque feram, fortesque Bohemos
Adde forum Ungaricis patriis altasque secures,
Purpureasque togas, et Longam consulis Albam
Credidimus, ludet nec me tua firma voluntas
O pater, ipse soles aperire archana Dyoni.
Illico respondit sacroque orditur ab ore
Omnipotens motus precibus genitęque querelis
Assurgens, ut moris erat dedit oscula natę.
Filia quod roseo poscis sermone moneri
Alma canam taciti quicquid stat corde repostum
Exponam, breviterque feram secreta precanti.

Quae cecini Cytherea tibi spectantibus olim
Celicolis prefixa sedent, celum ecce fatigant
Astra meum speciesque premens opus omne recessit
Inde novas, tanto subsedit pondere tellus
Et Phaeton celsa sedem sibi reddidit arce
Lunares et equi luca nuc (!) tenuere superna.
Par erit omnis honor, donec se fata resolvant
Que primum data sceptra tuis sunt illa Bohemis.
Iam rediere dies quos dudum Roma moratur
Expectat regemque suum pulchrumque nepotem
Vuladislaum, in cui pulchro stat corpore virtus.
Tot miris oppressa modis et debile regno
Externę [*induxit manus recens*] tradent gentes legesque
Belligero Phrigias urbis moresque rependent. [docebunt
Sed meliora volent maioraque carpere credes
Ungaricos sub honore duces sobolemque vetustam
Hi cupiunt, et semper avent, meditantur et ardent,
Tendere laurigeros pubes animosa triumphos.
Hoc proprium Phrygiis fuit, hi Mavortia gestant.
Pectora laude viri nunquam saturantur avita.
Est placitum nobis nascetur origine regis
Cazimiri, custos alius Rex inclitus ausis
Nec gestis nec in orbe notis quo clarior armis
Non erit alter eques, sceptris opulentaque nomen
Tellus divinum capiet lustrabit et aras
Facta potens nimium lato super equore terris
Nempe Venus, peperit tellus ditissima talem
Magnanimumque virum, fama certabit Olympo
Hic princeps maiore tholo venerandus ab orbe.
Nec tu vana putes votis venerabitur iste
Et spoliis Aurora ducem decorabit opimis
Ausoniisque simul donis hornabit (!) honustum (!)
Tergaque devicti monstrabit Cesaris urbi
Romuleę, quantumque potens superaverit hostes.
Post cum victor erit partis ex Cęsare pilis
Claudet templa sera rigida cum candida princeps
Armipotens, Ianique fores custodi et ore
Multiplici, nutu rabidas arcebit et iras.

Includetque intus sęvos hic arma furores
Conpescet centum nodis bella horrida Martis
Vinciet ille furens et te Bellona cathenis
Arctis mille suis licet aspera fratrę voceris.
Vuladislaus avos augebit ut alter Iulus
Accipiet nomenque sibi domus inclyta Teucros.
Postea tanget eos asserte Iulia gentis.
Coniunctosque deos faciet, patriosque nepotes
Et nostri magnumque decus sibi poscet Olympi.
Quot delubra iugo cernent capitolia sacro
Templaque Tarpeio gaudebunt vincta tonanti
Et septene urbes attollent culmina tectis
Uberiora suis, aditus et in arce patebunt
Inpositis aris, quas festus circus habebit
Seu campus Scythicę pariter loca compita dive,
Sed melius surgent Phębea palatia sumptu
Leucadio possessa deo, divusque duobus.
Cesaris ante fores etiam pretexta virebit
Et quercus, vigilis Troyana altaria veste
Atque palatinę laurus viridesque coronę.
Quippe deos domus aeternos tres una fovebit
Nubibus assiriis, et odori gramine thuris.
Quin etiam placidis subcrescent atria scenis
Plena iocis, olim domino gratissima calvo.
Cesaribusque tuis, titulis et nomine divis.
Festaque disposito deducet mense dearum.
Inde feret populis sua rostra Bohemia victrix
Distribuetque duas partes et prisca remittet
Munia Romuleis, et leges aere refixas
Curia facta frequens gradibus secum ampla videbit.
Post bis quinque dabit servent qui sacra Sybille
Euboicę precepta viros prenuntia rerum.
His actis tecum excipies inmota nepotem
Et patrem fratremque suum matremque venustam
Et natos illis, gremio super omnia caro
Conscendet soboles, et qui nascentur ab illa
Inter avos attavosque (!) tuos, Cytherea locabis.
Cum primum princeps Pylios digesserit annos

Alitis et numerum quum traxerit usque Sabeę
Hec sunt venturis concessa parentibus arma.
Gloria quis tollet iam se veneranda Bohemis
Celitibus manifesta meis, et scandet Olympum
Indubitata manent promissaque vera putato
Nata Venus, quondam docui nascentia fata
Ordine sollicitam cum te Cytherea tuebar
Et nati parvique tui spes grata nepotis
Infestamque viro placida sub pace locanti
Illyrico sua regna Solo gravibusque sororis
Succensam stimulis, odiis et coniugis actam.
Invenient hec vera patres emissa per antra
Vatis et Euboico capient manantis ab ore
Virginis edocti, lecta comitante corona.
Desierat, Martem genitum Martisque Quirinum
Convocat in cętum superis astantibus almum
Actutum. Gradive moves qui bellica signa
Et fera cum lituis incendis classica pugnę
Percipe (!) que referam, quid publica cura iubebit
Concilio in sacro tibi namque facessere prodet.
Sic libitum divis properes ut nomine divum
Ideasque citus sedes et Pergama Rome
Mixtaque Pannonicis intrabis męnia muris.
Nuntius hic fidus nostri tu pignoris esto.
His aperi sortem et regno consulta deorum
Circumspecta super Phrigiis et pondere rerum
Protinus incedant, cum primum ceperis urbem
Vestibus ornati Latiis, ostroque rubenti
Patritioque gradu famulum splendente caterva
Hectoridę magni famę maioris aventes
Cumanam ad sedem sacrataque tecta Sybillę.
Illic egregium visu facięque (!) superbum
Ore excellentem et laudum spe corda gerentem
Preclarum clypeo et spectatum immanibus hastis
Comperient regem, cum Cesare bella moventem
Tractantemque manus inter numerosa potentum
Agmina, iam natum terris foelicibus annis
Ungaricis proprio credant de sanguine cretum.

Hę gentes socię sobolem cum stemmate mixtam
Teucrorum agnoscent ortam sub origine priscam,
Hunc hylares videant regem vultuque salutent
Et sic ore gravi cernant tam Marte frementem.
Imperiumque sibi iam victo Cesare tradunt,
Regius ille sibi frater coniunctus in arma
Ibit et in campis connectet fortia castra.
Ingentemque globum telis sociabit amicis.
Ambo regent tumidos Venetos turmisque severis
Illiricos fines vastabunt milite multo.
Dalmaticosque sinus quecunque ad fędera ducent
Et Graios, summoque orbi donabit habenas.
Alter eques validis nimium speciosus in armis
Fratre suo, veterem gemini fundabitis urbem
Extruet ipse magis quo non sublimior alter
Non erit in populo, et ritus volet esse latinos,
Divisam at gentem et Romanas altius arces
Emittet cęlo sursumque volare iubebit
Lumine sidereo iam tecta minantia princeps.
Dixerat et tandem monitis hec summa remansit.
Annuit armipotens et sęvis horruit armis
Quantus in Odrysio sese Mavortius arvo
Ostentare solet rapidumque perambulat Hebrum
Axe ferox, Geticas infrendens proterit oras.
Inde cupit cicius verbis parere repostis.
Mars venit, et veniens multum fera tela sonabant.
Stridebat clypeus referens monumenta Medusę.
Gorgoneasque notas, celatus et egide secta
Pectora Mopsopię radiâbat (?) sacra Minervę.
Illico post Elicen ad se natumque petivit
Aurigamque iubet spumantia frena repente
Iungat equis, iungatque pares in veste nitentis,
Bistonio curru liquidas et pervolet auras
Belliger, ardentes stimulant auriga iugales
Raptatisque votis acies ad moenia torquent
Et subito sacras properant celerare ruinas
Atque suos leti meditantur visere honores
Deseruere polum celeres astra ignica linquunt

Et sedes ubi stella micat, renitentque figure.
Post tenuere plagam signat quam scorpius ardens
Ore truci saniem gestans in acumine tretram (!)
Hac fruitur non passa virum iustissima virgo
Sic equale iugum tractans sua pondera lance.
Hinc volvunt cursus et inania nubila tranant
Demum Romuleam ceperunt protinus urbem.
Ut primum tetigere lares, sacrosque penatis
Et patrias fovere domos augustaque templa
Conspicienda foro, delubraque digna tropheis
Occupat hic arcem maioraque culmina Mavors
Prerupti saxi dilectaque tecta parentis
Laurigero suspensa iugo simulacra Laconum
Haud procul aspexit mirantia sacra monete,
Seu Paphię quę diva fovet pietate nepotis.
Ultor at ipse suas spectare frequentius aras
Nomine Iuleo pretextas undique circum
Ultricesque focos posuit quos victor in orbe
Ultus utramque necem iuvenis cum substulit arma
In coniuratos scelerato sanguine tincta
Ille sequens aquilas Romanaque pila bis ultor
Rettulit et victos animosus contudit arcus.
Inde Palatinas conscendit Romulus aedes
Omine letatus volucrum sibi regna canentum.
Post lustrat quecunque sacri penetralia montis
Regibus invicto fundataque Cesare priscis
Ipse Quirinales etiam sincerior arces
Vertit ovans oculos et lęto prospicit ore
Fortunamque deam rerum dominamque potentem
Quam vagus auriferi coluit possessor Iberi
Parrhasiamque petit comitem cum fronte coruscam
Ad se iam cupiens ambire Lycaonis ursam.
Arrectique sedent flammis vibrantibus ambo
Belligerumque patrem summo de colle tuentur
Circumspectum (!) armis ignesque umbone vomenti.
Occulit interea fuscis nox roscida montes
Nubibus, et totam tenebris conplectitur urbem.
Iamque tacent volucres et corpora lassa colonum

Totus ager campusque silent, strepitusque morantur
Iura fori, pretorque loquax crebrique tumultus
Litigiosa vacant et noctis odore tenentur.
Ut vaga cesserunt e cęlo protinus astra
Sidereęque faces fulgentes crinibus aureis
Condenseque deo tenebrę iam nocte peracta
Concessere locum ac nigrę caliginis umbrę
Noctivagique ignes croceis aurora capillis
Ecce ruit, roseoque exit Pallantias ortu.
Surgit Athlanteis post curru Phębus ab undis
Luteus, et vectos niveis iubet ire iugales
Clarus equis, almumque parat diffundere lumen.
Laxavit iubar ut terris et fluctibus altis
Prosilit igniferas ducem Thetis aequore sedes
Lumine retheas iam Sol rubefecerat arces
Exortaque die proceres ad iura redibant
Acta foro mane ut fuerat de more senatus.
Ut primum videre deum et fulgentia tela
Attoniti stupuere patres, concursus ad arcem
Fit subito matresque pie iuvenesque ruebant
Innumeręque nurus precibus votisque frequentes
Compellare manu cupidę prescire maritos
Cognatosque suos, qui nam conventus ad arcem
Querere festinant? Que causa adtendere rostra
Inpulerit cives? rursus magis inde rogabant
Et modo plena viris quid nul (!) sibi curia poscunt.
Talia matronę pavida dum mente precantur
Confestim Mavors aperit mandata Tonantis
In medio perstans cętu turbaque nepotum.
Martigenę patres tantis exoluite curis
Pectora, nec vobis maneat novus iste tumultus.
Mars ego sum vester colui qui semper avorum
Moenia, devictis victricia signaque fovi
Hostibus et Phrygios volui de nomine dici.
Iuppiter aurato supplex demisit ab alto
Et mandata dedit portanda Quiritibus almis.
Ille mihi pandam vobis advertite queso
Hec magno tonat ore pater, numerosa deorum

Numina bella cient, et iam sibi conscia tellus
Gnarus et ipse rotat nunc fulmina cominus aether
Totus in arma ruens, infestaque pręlia miscens.
Ac si Phlegreis superum certaret in arvis
Turba Giganteos fregit cum Iuppiter ausus
Et coacervatos ut Pelion Ossan Olympum
Fulgere deiecit quecunque potentia cęli.
Iam Mars sęvus adest validos volet ire per enses
Ac Bellona furens, et iam lętalis Enio
Vibrat tela manu et tenues transverberat auras
Ictibus horrisonis omnes ac provocat hostes.
Quantis ille ferax satiabit cladibus oras
Quot Turcos in strage dabit quot sanguine fuso
Agmina prosternet victrix ingentia ferro
Vuladislaus eques, caro cum fratre Ioanne
Exoptata dies veterum maioraque regna
Vos moneo adventare modo, rediere senatus
Iura sacri Latiumque potens sibi vinciet orbem
Hec peragenda docet liceat non usque morari
Nec tolerare moras Vuladislaum accersite Regem
Aequora turbantem terrasque movere coquentem
Classibus in pontum missis freta longa parantem
Exercere odiis, vexillaque ferre cruenta.
Hostilesque tubas, sanctas ut in hoste phalanges,
Augustum celebrate alium quem castra verentur
Maxima, bellorum regalis pompa coronat
Innumerosque duces, et claros propter honores
Semper avis atavisque decens Vngaria mansit.
Proferet imperium regno sobolemque potentem
Attollet patrio collapsaque templa novabit
Atque domos statuet, veluti cum thureus ales
Assyrio renovat nido data membra rogali
Flammę Sicannios (!) phoenix dum scandit odores.
Quin etiam Ideos superabit Marte triumphos
Armipotens, multisque petet cognomina terris.
Hoc clypeo indutus galeaque insignis et ense
Belliger Albertus fraterno vinctus amore
Tradet iura simul, metuendaque numina castris.

Plena notis disponet eques pallatia partis.
Hinc currus pugnęque decus vi telaque rapta
Certantum dominis portarum claustraque sęva
Captivi et siccum servantia gesta cruorem.
Regiaque impositis pendebunt colla cathenis
Non tantum partos tellus iactavit honores
Nec tanta spe rexit avos quam tollet Alunnos (!)
Numen habens princeps Phrygios et fortior hoste.
Victorem Lybię quamvis ferat ausa superbum
Nomine reddat avum, titulos seu fecit Isauras
Cum tulit alter opes, Gnoson ac Lyction inde
Devastare datum Quinto magnamque Cydonem.
Aut Numide clarum memorent indote Metellum
Et Liculo Messana solo devicta potenti
Advocet ense virum, tribunaque Numantia maius
Emilio prostrata decus, Corvinus adempti
Seu torquis tulerit titulos pennaque iuvante
Alitis admissę, nati seu vota dicarit
Dijs patrijs Decius tractans cum gente Latina
Bella ferox, imum populi vel sorte revisit
Curtius ore lacum, Cocles seu prenatat amnem
Hoste urgente manu desecto ponte tyranno.
Vel tibi dentque gradus pensati ponderis auri
Magne revertenti gallo fugiente Camillo.
Exiguum civem repetentque Epirotica signa
Postumium Ligures teneant parmęque relate
Fascibus hoste rudes et rerum magne tuarum
Stet celebris qui maior eras mensura triumphis.
Usque Lycaonios venit tua fama recessus,
Cum tibi devictus peperit cognomen Iberus.
Et vaga Idumeas pernix penetravit olivas.
Quot reges orbis victor ditione subegit
Tygranem vinclis et Pharnacis arma repressit,
Inque triumphato deduxit nomina curru
Effigiemque ducum palmis post terga reiectis.
Laurea quanta fuit sacrata est aede Minervę.
Pretextam quotiens nudavit vellere quercum.
Quid moror Ausonio peperit si Rhenus honores

Barbara vel Druso dederit Germania nomen
Cui brevis aura fuit dirarum pensa sororum
Pertulit heu iuvenis patria cum mole recepta
Maximus indomitos iussit dare terga Sicambros.
Quosque dabant fletus superi, quos Livia questus
Indignas resoluta[1] comas donabat adempto.
Talis Roma sui deflet modo funera Pauli
Principis Ursorum decus admirabile gentis
Qui fuerat, flavos lacerat miseranda capillos
Aegra parens miserasque genas moestissima rumpit
Oraque singultu nimio veneranda repulsat
Confusasque manus inmittit crinibus atra;
Et laniant vestes, lacerant et lactea visu
Turba nurum, crebros diffundens Dardana luctus.
Concutiente manu stridunt, ululantque per urbem
Nate meus, cur Nate meus? Spes una parentis
Et fratris matrisque tuę, patrięque decore,
Romanę tu solus eras, tu gloria prolis
Solamen requiesque domus, quas Athropos iras
Nunc pateris iuvenis? Puduit non inproba Cloto
Tam dirum patrasse nephas, num pulchra movere
Te potuit facies? num te color aureus ille
Ac formę predulcis honos? iterumque vocabat
Corpus inane gemens, ardent flammęque rogales
Compositis de more rogis auditur ubique
Luctus et infestis tunduntur pectora pugnis
Livida, nunc roseo velluntur vertice crines
Unguibus iniustis, cessant nec scindere pallam
Ictibus innumeris stimulante dolore parentes.
Qualis per sylvas ales miseranda querelis.
Extinctum dum plangit Ytin, Achinque napeę
Amissum, Cymenęque suum cum tristis amorem.
Ac veluti Ocnidem subite flevere volucres
Alcynoum genuere quidem, patrioque sorores
Ictum populeę iuvenem planxere iugali.
Quid puer? excussos deiecit flebilis arcus

[1] *re* fekete tintával más kéz által irva.

Eversumque humeris habitum gravidamque pharetram
Aureus, et fractas umbra fugiente sagittas.
Quid mater? sine luce gerit tristemque per urbem
Nuda faces, niveasque negat Cytherea columbas
Ut quondam Cynara plorabat diva creatum
Cuius aper tenerum discerpserat inguen Adonis
Ite modo propere et surgentia noscite fata.
Iam fas est sacrum percurrere protinus antrum
Et Musis Phoeboque datum, sedemque canoram
Turba tuo gratare duci dominumque serenum
Excipite, o Phrygii proceres et Regis honores.
Vera loquor, mihi testis adest vitiata sub arcto
Cum nato vestrę genitor fundator et urbis,
Postquam acuit mentes monitis unumque redegit
In studium vulgus, fervoreque rexit avito.
Tum subito patres ardent dare vultibus ora
Leta simul dextrasque pii comprehendere (!) palmas,
Conveniunt alacres, urgent almumque senatum
Devolvunt animis et Martis dicta frequentant.
Et peragunt consulta Phryges, omnemque requirunt
Inter se causam, et vento dant carbasa lento.
Versat pectoribus dubio sententia motu,
Alter stare probat, festinat et alter habenas
Ac curas rerum, tanto conventa tumultu
Corda retardabant responsa ferenda Gradivo.
Non ultra passus Tyrio virgatus in hostro
Prosilit in medium, fulvo radiantia torque
Colla gerens ursus, referens et Gorgona sectam
Pectore, saxifice monstrabat et ora Medusę.
Quo non alter erat numero delectus ab omni
Nobilitate prior, nullusque decentior acres
Virtute exuperante viros, molemque furoris
Inchoat his verbis et mirum sanctius infit
Voce gravi dulcique favet gens Troya cepto.
Maxime bellorum duris qui numina castris
Sevus habes nutuque tenes in prelia turmas.
Cui reges parentque duces, te miles adorat
Armorum peditumque ferę te mille phalanges,

Sis quaeso praesens populo nobisque secundus
Et firmes omenque datum mandataque patris.
Te sequimur cuncti rapidis comitantibus alis
Non genti parcus cruor est pro laude fovenda,
Est nobis virtutis avum geminusque cupido
Tendit ad hostiles ausus insania concors
Nos semper iuvenesque senes pubescimus armis
Bellatrix gens ista manet nec vulnera curat.
Irruit Hectoridum pulchra ad discrimina proles
Nunc studium populo gentique facessere iussa
Par sedet, et similes extant in pectore mentes
Ibimus electi ad sanctum latus ordine vatis
Bellipotens nostrumque ducem cum sorte petemus.
Finierat, statim patres et fortior ursus
Haud mora nulla fuit primum dare thura tonanti
Ante alias Veneri, Martique indicere laudes
Externis patriisque deis et ovilia campi
Culta diu, cumulantque bono penetralia fumo
Victima perque aditus habili cadit icta ministro
Lanigerumque pecus feriunt canosque iuvencos.
Albentes mactantque boves de more vetusto
Quos iterum solitis nutrit Clytunnus in arvis.
Nec non sollicitus festas Marcellus ad aras
Raptabat nuptasque nurus non federa passas.
Ignarasque thori ducebat rite puellas
Martigena de stirpe caput. Laurentius inde
Gente Paluzella causarum acerrimus unus
Defensor, Rubeę gentis pulcherrima proles
Filius hinc Nardus patria virtute decorus
Hinc sequitur cursu nimium properante Quirinus
Cura deum nitidus vatum qui maximus extat
Et custos Latiique chori, quo nullus habetur
Clarior eloquio et Phębęo pectine maior.
Fonte suo puroque lacu nunc ora perhenne
Nostra natant spargitque novos in plectra liquores.
Cogebat iuvenum pubem doctamque catervam.
Sic etiam Marsus terris memorabile nomen
Ausonięque decus cultę mirantur Athenę

Quippe virum super extremos extenditur Indos
Ac Gangen Latias fama exaudita per urbes.
Hic magnum replevit opus Ciceronis et artes
Scipio post sequitur Romana celsus in arce
Paeoniis (ni fallor) adest prestantior herbis
Pergamon huic memorant doctam turbamque medentum
Concessisse locum, cessit Poenantius idem
Atque repertor opis tacitę servator et artis.
Rectius hic poterat salientis pollice venas
Pertentare suo et dubiam cognoscere pestem.
Hinc Marius Bibulusque pares in corpore cives
Ambo Romulęi servantes ore senatus,
Exorant precibusque deos. Hinc aere superbus
Marganus, tumida nimium putate podagra
Contorsus, Paulusque suum, qui certat arenis
Auriferis, Hermique Tagi fulvoque metallo
Pactoli, Duriique satis pia vota dicabat,
Titius et patrię servator nobilis almę
Natorum numero gaudens aequasse Camenas,
Et natos genuisse pares, virtutis aventes,
Conspicuosque toga, et dociles dulcedine laudum.
Hos omnes generosus eques per sacra trahebat.
Nec non instaurat splendens Antonius annis
Inde focos, vivęque colens altaria flammę
Nubibus et lenta quod sudat fronde Sabeis.
Post Marianus erat, sequitur quem brancha pudicis
Vocibus, et patrem servabat gressibus unus
Iulus ore decens, flavos gestare capillos
Certantes auro et radiantis crine Batavi.
Saxorumque domus titulis celeberrima priscis.
Àttribuuntque senes propriis sua numina divis,
Ora sacris arisque locis intenta tenebant.
Nobilis et leta spectabat fronte Camillus
Mathea de gente satus post Carolus alter
Frater inoptata miserandum sorte peremptus
Funus adimplevit, puduit non aspera fata?
Ille caput regionis erat, patrasse nephandum
O scelus, ingentem luctum pariterque dedisse

Gentibus Ausoniis, potuit num forma duorum
Inclyta natorum placasse severa sorores
Numina vestra ferę, seu coniugis ora venustę.
Hos quoque devoto comitatur numina matrum
Turba frequens, iussusque parant adolere penates.
Aeneadum forma mulier prestantior omni
Et sobole insignis, castas imitata Sabinas
Ore rogat Domitilla pio, Virgilia virgo
Una comes concessa sibi sua corda dicabat
Si veneris modo nata Iovis, Cythereaque mater
Annueris fatis, fulvam sub tegmine vestem
Quam niveę nevere manus Lucretia tradam.
Ante deam manibus supplex penetralia adorat,
Atque colit Paphię numen pia Iulia lino
Ex Pelusiaco, simulacraque nota Dyones
Romulęis onerat telis vicentia (!) nupta.
Cui superare datur flores et lilia Nili
Pharsalicasque rosas et dotes ferre Sicannas.
Cecropiam Tyrio venerantur Pallada et ostro,
Atque ferunt aditis Cybales velamina in auro.
Marta sequens Veneri maius laudabile donum
Inponit, sequitur mulierque Pallade docta
Celestina fuit, consacrans munus olivę
Tanta adeo steterat templis reverentia totis,
Quod iam perfectis superum meditantur honores,
Non aspernatos helice, admirante Quirino
Armigeroque deo, finito munere patres
Exultant, Phrygiosque iuvat placasse penatis.
Dum Roma antiquo celebrat penetralia ritu
Ursus iam denso procedens agmine fatur:
Vos hylares mecum fatale accedite ad antrum
Vatis et, o proceres, devota mente petamus
A superis fatisque datum venerabile munus.
Aspirant omnes, citius sermone Quirites
Annuerant, studiisque favet Rethea propago.
Delecti tandem carpunt, quas porta Capena
Edocet ire vias, et sacram mittit ad aedem,
Ac fatale solum, Latiis quod pertinet armis.

Discurrunt alacres, alios ante emicat ursus,
Conspicuo devectus equo, turbaque ministrum
Insigni precinctus eques, cui Barbara terra
Cederet et totis levibus Garganus habenis,
Aut sonipes Numidum, vultus imitatus equestres
Ibat atrox, patulum pulsabat et ungula campum
Aerea cornipedis, rumpens hynnitibus auras.
Qualis in horrisono decurrit Martius Hemo,
Aut Hebrum metasque suas deus ambulat axe,
Cum sonitu aeripedum diverberat aethera miro
Vestis erat demissa humeris, et baltheus ampla
Pectora complectens, ingens fulgebat et acri
Ense latus, stabatque nitens, pulcherque per omne
Corpus, et in magno fulvus mucrone videre.
Spectatur coelo minitans ut quantus Orion.
Et clavam nitida stringebat çasside frontem,
Hortabatur ovans comitum delecta sequentum
Agmina, conventus mulcendo sępe trahebat.
Et dictis lenire viros, dulcique lepore
Solabatur iter, Martem patrięque parentem
Persuadebat eques, superent ut strata repente
Longa diu tam visa sibi, cum tertia luxit
Tithoni Bothen terris et in aequore coniunx
[1] Teleboi qua regna iacent supposta profundo,
Quo Nerea manus, simul emersere sorores.
Possessique olim Lestrigoniique recessus.
Invasere locos, ubi sceno putrida miro
Stat Lynterna palus, Lybico non grata tyranno.
Dardanio nec cara duci, iuvat usque morari
Littora Gaietę, et portus spectare patentis.
Calcidicamque domum, pręruptaque saxa Sybillę
Virginium, magnamque cupit prenoscere mentem,
Atque animum vatis, cui presidet almus Apollo,
Inspirat divamque iubet secreta docere,
His aperire quibus notum est prescire futura,
Et canere haud foliis responsaque certa petenti.

[1] A számozásban (mely eredeti) hiba van; a 755. sorszám egy sorral előbbre ugrik.

Templa vident primum posuitque Dedalus alta
Sacravitque deo, cum regna Cydonia liquit.
Credidit et pennis levibus, placet ire per antrum
Inde nemus trivię, et sublimia tecta subire.
Ante greges teneros mactant, perduntque bidentes
Cum totidem, sacręque vocant et virginis ora
Turba patrum (si iussa Iovis certissima restant)
Explorare parant, sortesque requirere regni
Divitis et fortes quid spectet ad arma Bohemos.
Talia dum repetunt et vatis sacra morantur,
Visa fuit subito revocare in templa Quirites.
Cumanę exesum rupis latus extat in antrum
Abruptum, lati accessus quo limina centum
Innumeri ducunt voces, quibus ore sacerdos
Emittit, responsa ruunt totidem unde Sibillę
Incedunt perguntque pares, limenque capessunt.
Consultant quando venturam cernere sortem
Tempus erit subeantque sacrę rabida hostia (!) vatis.
Ursus ait primum, possunt nisi noctis opacę
Munere Tartareas viventes ire per umbras,
Placataque dea campis plorata Sicannis,
Perque orbem quesita nimis, quo tempore mater
Alma faces monstrare manu testata dolores
Virginis ob crimen sublatę dite iugali
Noctivago, tenera satis exultante rapina.
Non decuit Phrygium Aeneam, nec Thesea fortem
Haud comitem, fidibusque suis non Orphea vatem,
Alcidemque ferum, traxit cum Cerberon astris
Haud reserare fores, geniti de stirpe deorum
Hij quamquam fuerint et grandia nomina dictent.
Audite Aeneadę cordi si vestra voluntas
Hos tristes spectare lares, tętrasque cavernas,
Hic modus unus erit, nox cum se frigida cursu
Flexerit in medio, per fauces ire putandum est
Nobis posse nigras, et quaerere regne Dyanę.
Addunt se portę, vicinaque limina captant
Vatis Apollineę, iuxta q̃ *(q̃ in ras!)* forte litabat
Albertus quidam, clarus de gente Latina,

Qui regis conservat opes et fortis in armis,
Lanigeras pecudes diti reverentius Orci.
Sollicitus nunc nosse vices, venturaque sortis
Tempora, quę regi spectent et fata rogabat.
Hinc proprius tendunt, equitemque ad turbida noscunt
Hostia (!) quis vates arcanum murmur anhelat
Egregium, nectunt dextras, et grata remittunt
Oscula, subsequitur nigros iugulare iuvencos
Turba frequens, sterilis tunc cultro proxima vacca
Sternitur Enneę, perdunt magnęque parenti
Velleris obscuri pingues ardentibus agnos
Visceribus, cesis infundunt vina capillis.
Suscipiunt vasis pecudum, trepidumque cruorem
In pateris oleum, et torrentia viscera flammis
Infernos manes, Hecaten, matremque cientes
Eumenidum, affatur primum sic Ianus amicos
Ore potens: Que causa viros ad regna querentum
Impulit Hectoridę, cecasque requirere fossas?
Ursus tunc breviter. Nobis generose quid optas
Et prescire viros, num te pulcherrime gentis
Palladię fecere manus? tu grata Dyones
Ora tenes? sublimis avo monstrantia pacfim.
Credendum est certare genas maioribus astris,
Et faciem laudante dea, cui plurima passim
Ars fuit, in roseo mananti membra colore.
Effigies fluxitne polo radiante peracta?
Tantum omnes speculantur opus, formamque virilem
Percipiunt visu superantem vertice Martem,
Romanosque duces nostris te mentibus ultro
Quesumus adiungas, eadem nam fata revolvunt
Imperia et veterum domino crescente Quiritum
Inchoat omne decus, monitis et voce deorum
Venimus huc missi, et Martis cum sorte futuri
Ducere ad infernas cicius promittimus umbras,
Et prolem Hungaricis dabimus prescire Latinam.
Atque sacri Regis pariter numerare triumphos
Vuladislai, armis preclari et nobilis altis
Fatalis regni et crescentia fata potentis

A Iove dicta pio, properant dum tendere ad imas
Custodis ditisque domos, ruit ecce Sybilla
Plena deo, tales efflataque numine voces
Orditur, tropidas solitos, portamque tenebat.
Principis o studium magni de stirpe Ioannes
Miles et Urse decem. Que nam fortuna coegit
Hos herebi tentare lacus et fusca videre
Stagna metu iurata deis? Achęrontaque moestum?
Cocytique undas? flammis Phlegetuntaque sęvum?
Nocturnosque canum gemitus? questusque luporum?
Et gelidas umbras? horrendaque nubila Lethes.
Addidit hec Ursus dicam crinea Sybilla:
Fata iubent divum tristes intrare cavernas
Sollicitorque nimis sacrati principis omne
Imperium, Latiique soli prenoscere regnum.
Atque omen superum foelix, tu pręscia rerum
Nunc aperi nobis. Quod restat Regis Iberi
Germanique ducis, devicti nuper in armis
Hungaricis, sceptrumque dedit sub castra conactis (!)
Francia quid demum quid Gallica tela per orbem
In variis divisa locis et castra requirant,
Extera, dehinc Venetum turmas ex ordine pande
Vipereumque ducem clamatum nomine Mauro
Edoctum terris, quid docta Bonònia tandem
Mantua quid spectat, quid nunc Ferraria dives
Nominis Herculei, renitens Florentia tectis
Quidve petat, repetatque sacras seu Roma secures,
Abnegat extemplo vates prescire dabuntur
Non hic Urse tibi, regem quia fata morantur
Vuladislaum armis insignem et Cesare victo
Da saltem queso eventus audire futuros
Principis eximii, nobis Phebeia vates.
Quidve parat populos insurgere vinctus iniquos
Fratre suo, terrasque novo iam vincere Marte.
Ille decor mundi, splendor regumque Ducumque
Vuladislaus, avos superans pietate Latinos,
Enseque Romanos simili concertat honores.
Confestim patuere fores gratisque profatur

Vocibus alma virum. Poteris nunc Urse tueri
Quid spectet Phrygię genti, validisque Bohemis.
Perge sequar nigrasque domus comitabimur Orci.
Vade precor nos diva mone, perque antra triformis
Ire feri, metuo iam iam adventantibus umbris
Plus nequeo differre moras, infesta trifauci
Currit amica dies, cicius da noscere prolem
Venturam Cumana mihi, multumque superbi
Principis, hi cupiunt patres concernere dudum.
Tunc Ursum dextra vates capit, almaque Ianum
Convocat egregium, vos expectate iubemus
Ante meas sedes, tu Mars iterumque Quirine.
Incipiunt superare vias, penetralia Ditis
Tecta tenent, primoque vident ut Cerberon angues
Involvant victum sęvis et corpora nodis.
Ianitor ut magnum sensit terroribus Ursum
Ire gradu, portas fugit hinc et limina linguit.
Extimuit custos iterum ne clara videret
Astra poli, traheretque suo ne viribus antro
Hinc abeunt intus celerant ubi myrtia sylva
Foemineas operit viridi sub fronde catervas.
Illic taxus erat, piceę, cedrique cupressus
Ulmus opaca viget frondosis crinibus ingens,
Sub quibus astabant et longa in valle sedebant,
Iulia non felix partu, Cornelia magni,
Et Drusilla decens, et tristis Livia Druso.
Hyppolita extincto nuper moestissima nato
Sola suum deflet Petrum, pulcherrima matrum
Italidum, cessit dominę cui bellica virgo,
Iudicium Phrygis et Iunonis forma decorę.
Quantus odor facie stabat, superare Ducissa
Et Cypron, sacramque Paphum, Spartenque superbam
Ipsa Palestinas valuisset carpere palmas.
Blancha parens Mauri natam stringebat amore
Facta parum gaudens, tribus et circumdata natis
Valle gemens cassum sub dura febre nepotem
Post erat, illa thoro castissima mansit in uno.
Hinc Hisabella (!) sedet stricto vicina cubili

Nubentum dat sponte locum cui casta corona
Sępius atque suas tedas Lucina probavit,
Contribuitque pares sedes, ubi luce corusca
Heret Tyndaridi genetrix Alcmena Lacenę.
Martia larga sinu, Servilia, Portia et Aeca,
Romuleos Faustina choros, Griseida, Paula,
Splendebat maiore gradu, nam diva Senatus
Inscribi titulis iussit communis avitis.
His super ambibat dominos formosior almas
Helisabet (!) regina genis et fronte decora
Vera parens regis, virtute superbior omni
Romulea secumque libens octavia stabat,
Illa sedens oculis et matres (!) ora premebat,
Et veste aurata regina micabat in omnes.
Hanc bene conspexit speciosus in agmine natus
Regius, hinc alius spectabat dulce parentem.
Postquam cognatos vultus ille inclytus Ursus
Percepit, cupit alternas affarier umbras,
Illico docta comes prohibet, lux alma renascit
His animis invisa tuis, procul inde frequentant
Arva decora viris, que Martis honore coruscos
Excipiunt, ornantque duces sublimibus hastis.
His Casimirus erat precinctus casside fulva
Regius ille pater bellorum, et maximus ausi,
Ense suo totiens Martem descendere cęlo
Qui poterat, Thracem iussuque lacessere ad arma.
Post hunc Mathias Corvinus fortis et ingens
Vultibus ornatus Latiis, sequiturque parentes
Pergameos virtute potens, et laude refultus.
Cominus inde vident tristi cum vertice euntem
Egregium virtute virum, fera bella timebant
Castra ducem. Quantum Ausonii flevere triumphi
Hunc quoque deflebant superi, cum stamina Parcę
Implicuere colo, et vitam sparsere sub auras.
Quantus in arma patet, quanto se gloria tollit
Robore sydereo, sibi ferrea neverat aevum
Atropos, hoc Latium nunquam spoliare Gradivo
Debuerant superi, talesque inmittere questus

Gentibus Hesperię, ducibus dominisque Latinis.
Ni fallor Corvinus adest, qui vite Quiritum
Dignus erat merita, et Romę gestare triumphos.
Quid si vixisset? propria et si munera vitę
Captasset generosus eques, fulsisse superbis
Quot sceptris potuisset avus, regnoque parentum.
Urse nimis tu morte doles, tibi semper acerbum
Cum meminisse diem leti casumque licebit.
Hic decus armorum steterat, num tela Gradivi
Vibrabat dextra? possunt et credere vectum
Curribus Odrysiis, Turcorum pila refregit.
Et iurata viris coniunxit foedera Corvus,
Acris erat terrore suo quatiebat Olympum,
Pugnabatque ferox alis minitantibus iras.
Mulcebat turmas equitum prudentia tanti
Magna ducis, dabat atque metus connexa volentes.
Instabat serpens, vigilantibus armifer horis
Ductor, ad extremos meditans Mavortis honores.
Persultabat equo tendenti ad dura laborum.
Post herebat ovans terra, mare, sydere notus
Bossius, hostiles revomens in fronte furores.
Quam predulce decus radiabat corpore vasto.
Hinc dux horrisono fulgebat corde Philippus
Vipereo lectam gentem splendore coruscam
Aspiciens blando vultu, dux Hermus et Altus,
Donatusque comes, campis in rite iacebant.
Deseruisse locos subito sanctissima vates
Admonuit geminos, agros vos ite beatos
Elysiamque domum, prolem lustrare futuram
Alma dabo, et quantos surgant in regna nepotes.
Inde datos acuunt gressus, sylvęque serenę
Vix ea tecta tenent, ingens furit ecce Gigantum
Umbra, strepuntque canes, voces rapidumque leonum
Terrigenęque truces, et sphinx et Scylla minaces
Alecto inpatiens, et foeta cruore Megera.
Monstrosęque ruunt volucres, telluris alunnus
Centimanus, stabat medio discordia letans
Terribiles formas, macies et pallor, egestas

Fletus edax, maerorque malis et quaesta senectus
Morbis et domino sumptu fraudata iuventus.
Quot miseri luctus herebi (!) resonare cavernis,
Quotque modis mortes animarum ululare luentum
Solventumque cruces scelerum, commissaque vitę.
Illic omne genus leti mugibat in antris.
Tunc ursus vates q̄ (!) tantos fundere questus
Causa premit? saevumque minantia monstra furorem.
Horribiles visus, oro, ne quere doceri.
Sed cito perge viam, venturam concipe sortem
Docta rogo, cogunt nos adventare tenebrę.
Ambo pares ardent cicius gradiente Sybilla
Umbrosum tenuisse nemus, sedesque beatas.
Deveniunt tandem unde omnes longo ordine possunt
Annumerare simul, venientem prodere vultus
Tempus ait virgo, supplex comes inclytus inquit.
Fare age surgentes domina de gente triumphos,
Et nostrum doceas venturum nomen ad astra,
Hec paucis vates. Nascentes semine sortes
Expediam, illustres animas et fortia corda.
Hunc ne vides claro spectantem sydera regem
Vertice, ductoresque alios fidosque barones.
Vuladislaus adest fatalibus actus in armis.
Accitusque parens urbis, laudabile priscis
Auxilium donabit avis, magnumque rependet
Presidium populis, princeps hic alter adibit
Grandius imperium, qui nunc loco proxima carpsit
Filius hic magni patris patriusque vocatur.
Debebunt huic regna sibi, sceptrumque superbum
Omina portendunt, spirat fortuna secunda.
Urse vides, cernis Latiis ut nititur hastis.
Huc oculos converte tuos, hic alter Iulus
Qui caput assurget divum cognomen habebit
Vuladislaus erit, fulvo presignis in ense.
Hic primum Teucros princeps invadet atroces
Germanos gentemque feram populosque rebelles,
Hinc ad Memnonias percurret magnus habenas.
Victor erit, titulis glacialem comprimet Histrum,

Et Seticam peucen, viduataque regna pharetris.
Parebunt dominno, celebrataque pectine tellus
Meonio in regno stabunt clareque Micene.
Magnorum heroum cedet sibi gloria lausque
Corvini, quamvis toto veneretur ab orbe
Mathias, memorant quem docta volumina vatum.
Templa tenet Petrus primum Colocentia presul
Thomas Agriensis sequitur, quem mente venusta
Numen habens populis, regi, dominisque Bohemis
Sanctius, admisso cum semper adurat amore.
Varradiensis idem celesti munere dignus
Tempora vittatus, qui puro murmure sacrum
Concinit officium, meliore sed aspice nutu
Hunc alium, electus titulo sub nobile quinque
Ecclesiensis inest, claro de stemmate natus
Sygismundus, avis spes addita longa vetustis.
Quanta in hoc pietas et quanta in presule virtus
Regnabit, quantum fidei prestabitur isti.
Diliget egregios mores, vitamque pudicam,
Doctiloquos multo ditabit et aere poetas.
O felix nimium laudata Bohemia vate
Atque beata duci sedes compone tonantis
Et caput imperii contenta preside Roma
Induet astrigeri vultus et Cesaris iste
Turbabunt aliqui, cupient et vertere sedes
Seditione truci, reprimet prudentia tales
Principis, expellet regno profugosque rebelles
Esse volet, meritasque neces, scelerumque furores
Conpescet gladiis superato Cesare saevis.
Urse tuos imitare duces grataberis olim.
Hos postquam vates geminos per singula duxit
Aetherei campi, docuitque propaginis omnem
Venture sortem, late regione vagantur.
Ardebantque animi famae crescentis amore.
Exin commemorat que sunt peragenda vicissim,
Romanamque monet prolem, proceresque togatos.
Emittit tandem clara totamque catervam
Belligeros equites portaque sola receptat.

Vix altos roseo spargebat Apolline pulchra
Curribus in croceis mulier Titonia colles
Iungebatque pares remeans et gurgite magno
Solis equos clarumque diem iam fecerat axis
Ecce ruunt leti concepta sorte Sybillę
Et Romam petiere patres melioribus horis.

Finis primi libri, incipit secundus ad eundem regem sereniss. [1]

Principis interea per latas panditur oras
Famaque multiplici fatum sermone canebat,
Et responsa sacrę narrabat maxima vatis.
Quantaque fatiloqui monstrarunt omina manes.
Magnanimi tandem pervenit Regis ad aures.
Protinus audito per certa oracula vero
Egregios doctosque viros transmittit ad urbem
Munere legati fungentes inclytus heros.
Hi tandem lecto petierunt agmine Romam.
Obvia turba ruit, magnoque receptat honore.
Tecta intrant, epulasque parant consumere noctu.
Ut depulsa fames circum lustrare vetustum
Hos iuvat, et veteris Romę spectare ruinas.
Herculeis signata notis multoque labore
Templa vident antiqua patres, seriemque ferarum.
Insubeunt, divi latis et monstra domantis
In foribus speculantur avi, Lernea reciso.
Angue iacet primo, nodis post dura leonis
Terga Cleonei spectant nudata retortis.
Iuxta Thracis equos, pavet hinc latrantibus (!) umbras
A stigia cum venit aqua, detractus ab antro
Tartareus custos, pestisque Erymanthia terret
Dente suo, et victam distinxit amazona nexu,
Aeripedemque feram, et densos superantia ramos
Cornua, nec levior vinci depinxit alunnum
Inde Lybin, fugiunt volucres Stymphalidos undas

[1] A czim arany betűkkel, vörös alapon.

Occiduęque boves, et dives preda tyranni
In sacro madefacta lacu, seu Tibridis amne.
Stabant flammiferi Caci monimenta sub arce,
Ducere non rectos conantis in antra iuvencos,
Et pęnas durasque cruces in morte luentis.
Hinc Erycis Siculo perfusi pulvere cedes
Hospitibus qui iura negat, mactare solebat
Fraude sua, legesque datas violare tonantis
Apparent, hortis violenter et aurea mala
Cum tulit Hesperidum domini mandata peregit.
Centauri quatiunt animos cum fronte bimembros.
Sacrati exundant ignes, spoliumque nefandę
Coniugis, et fulgens cumulatis flatibus Aethę.
Hinc abrupta palus et pervia limina Tempe.
Remus ut Argous lassavit bracchia ponto
Cernitur, aurati cum traxit vellera Phryxi.
Parte alia Martem, quem struxit Cesar in orbe.
Victor et ultoris iussit delubra vocari
Iuncta foro triplici, sedet unde peritus Apollo.
Urbis amor geminas magnam subit aspice Romam
Flete acies, regem veneratur Dardana pubes
Romulę, fatales spectat dum maximus arces.
Tu quoque Partheniis descendens collibus, aedem
Sorte Palatinam coluisti dulcius heros.
Hospitium profugis et diis memorabile vectis
Olim qui fueras, blandusque penatibus hospes.
Auxilium viris errantibus equore vasto,
Inque procellosos scopulos et inhospita portus
Littora Sicannij, vetitosque attingere fluctus.
Sacra locis epulasque dabas, geniumque colebas
Proximus inmensę q̄ gaudet frondibus arę
Populeis Evander eras, sęvique canebas
Cum laudes et gesta choris meritumque donantis
Tempora devinctus fluviali sanctius umbra.
Dum forte exquirunt arę vestigia magnę,
Herculeosque lares et maxima sacra domantis.
Obstupuit vidisse locum prostrataque templa
Turba virum, volvunt mixti dum talia mente.

Visa dei facies, pressi velata Leonis
Tegmine, nodosi gestabat roboris umbram.
Aspera canities, stabant oculique minaces,
Dura comis et barba situ, rigidisque capillis,
Iqsa loqui sic visa fuit graviore querela
Forma dei. Quidnam potuit fortuna rebellis
Et nostris ingrata focis, regnoque Quiritum
Turba decens, magis ausa nequit foedare supersunt
Que mihi regna suis quamvis mea saeva ruinis
Debellata diu fuerit, tamen improba nunquam
Erubuit violasse deum, numenque vetusti
Vindicis, inmense custos sum inglorius arę.
Non color a populo, nec sum lustratus, harenis
Insedeo sparsis, mihi nullus et ignis honestus
In templis, reor hoc sęvam iuvisse novercam.
Dives eram alcydes, huc omnis turba coibat,
Thura dabat supplex adytis cętusque ministrum
Qui dapibus ditesque thoros reddebat honorę
Heu periere mei salvo quos orbe labores
Gessi mille potens et victor utraque remansi
Parte poli, vindex totiens immanis amoris
Coniugis aethereę, superis non hospes habebar
Qui Iove natus eram, divumque a stirpe creatus
Et meritus nostris humeris sine pondere magnus
Hesit Atlas potuique libens tenuisse labores.
Sustinuisse quidem. Quid nunc mea profuit ardens
Virtus igniferum se tollens semper Olympum.
Rettulit Alcides, et vanis miscuit umbris.
Illa oratores mirantur cernere mostra (!).
Descendunt vallem in mediam, rapidi quoque circi
Prelia conspiciunt olim gratissima calvo.
Hinc ad Aventinum migravit Romula collem
Legatis admixta sacris dehinc omnia circum
Fundamenta urbis querunt monumentaque prima.
Dum Veneris spectant fanum, venere columbę
E celo super ora viri, posuere volantes
Procumbunt letis alis, nimioque volatu
Nunc tangunt aras, redeunt nunc ire videntur.

Ursus aves novit, Paphyam matremque precatur
Tunc votis, Cytherea, ducis ne desere regna.
Inde volant geminę sacri super ardua tecti
Culmina, dehinc liquidas captant applausibus auras.
Una tenet Phaetonta novum, radiosque priores,
Quos vehit aurato surgens aurora iugali.
Altera Pannonicos cicius se contulit agros.
Has similes testantur aves vidisse volantes
Legati, pulchra ut primum discedere Buda
Principe concessum, et veras cognoscere sortes.
Post redeunt patres et leto affantur honore.
Cernite opes fractas, collapsaque moenia Romę,
Tarpeiamque arcem, non sacri iura senatus
Sunt vobis, circusque iacet mirabile dictu.
Invasere truces pulcherrima regna tyranni
Proteritur semper, Latium sua perdidit arma
Relliquias habitatis avi delapsa feruntur
Undique regna patrum patulum dominata per orbem.
Venimus huc iussi proceres a Principe nosrto
Ut sua discamus per vos oracula patres.
Tunc Ursus breviter patrio sermone disertus
Incipit et socia declarat talia mente.
Amplexu gremioque fovet. Deferre sereni
Fata volebamus nos omnes principis alma
Pannonis ad sedes et clari regis ad ora
Edocti properate vias, hec turba sequetur.
Est via Flaminioque Lidya contigit arva
Consule strata patens pingves quoque transit ad Umbros
Vicina Emilię, Lepidus quam Marcus harenis
Fascibus emeritus solidat, collegaque Caio.
Victores Ligurumque vias posuere gravatas.
Iniectuque novo faciles cursusque dedere.
Hac porta egressi tanto comitatus equorum
Ursus erat, maior luxu, calcabat et omnes
Indole sublimis proceres equitumque catervas.
Qualis bellipotens Hebri cum transilit oras
Vectus equis, Seticos incedens eminet alto
Vertice martigenas, seu cum Xantheus Apollo

Hibernam linquens pateram pharetraque decorus,
Delon adit solitam, Phebum stant ordine circum
Castalii mixtique chori flavisque capillis.
Sic et hiperboreę gentes cretesque pererrant
Cynthia cum graditur iuga desuper, ille videtur
Vallibus in mediis almus quam luceat ore
Egregio, sotiosque premat, non vilior ibat
Ipse deis Ursus, famulantum nube ministrum
Progreditur speciosus eques, delecta iuventus
Ante togis ibat decorata, monillia collo
Aurea pendebant niveo, pictosque premebat
Torquis onus crines, humeros et eburnae passim
Pectora, Sydonio tinctas quas murice vestes
Voce feram? qualemque equitis narrabit amictum
Pectine nostra chelis fulvo spectabilis ostro.
Ad portum venere pares, ubi nobilis Ancon
Continuis rotatur aquis, semperque feritur
Adriaco supposta mari, dant vela per altum
Plena notis, currunt pelagus, perque altius aequor
Irrumpunt dense vento properante carine
Illyricum superant mare postea, plena secundis
Flatibus et tumidum frangebant carbasa pontum.
(Parva loquor) fulvo ex auroque splendida prendens
Culmina, gemmati superant laquearia regni.
Quanta illic speties, variataque frigora rerum.
Est ebur auratum, solitoque adhamante recisa.
Marmora cum pictis forma certantia chiis
Hinc parii lapides, et Hymetia signa renident
Iliacis venis, hinc Pergamos alta supellex
Enitet, hinc viridi radiantia saxa Syenes
Doride, porticibus magnis quid deinde lacunar
Enumerem? Stupet omnis eques comprehendere raru
Urbis opus, iaceant crassi monumenta diserti,
Quinquaginta etiam pallatia fulta columnis
Flavia preterea cessabit Cesaris aedes.
Illic non hyemes, nec frigora pigra quiescunt,
Non hic incendit, nec Syrius acer anhelat,
Blanda quies semper, Regi stat grata sereno

Temperies, semper Zephyri fluit aura salubris.
Ocia deponunt senium, curasque remittunt.
Hic habitant nymphę virides, et turba sororum
Nayadum, nemorumque duces sylvęque resultant
Arboribus, foetis pariunt pomaria truncis.
Hortus et Alcyoni liquidisque rigatur ab undis.
Quesitique lacus speculantum ductus aquarum
Intus inest similis, glaucę quem sępe puellę
Flumineiqe chori, moderataque murmura migrant.
Et sępe in medium statuunt quam dulce choreas.
Vocibus hinc fractę volucrum concentibus aurę
Astantum, variantque sonos hic mente profusa
Garrula turba pios, strepitus stant undique cantus
Aerei, doctęque thoris dant gaudia pennę.
Hinc circum veteres ornant viridaria cerę
Precipue statuęque ducum, regumque potentum
Innumerique viri vivunt sub imagine prisca.
Has inter statuas reflabat diva per artus
Huius forma ducis, facię generosior omni
Aurea, et a multum docto sudata magistro.
Non talem exiguo formasset Lemnius aere
Aetneo superum quamvis struat arma camino.
Nec conformarent steropes brontesque pyragmon
Effigiem, primique artis telechines honestę.
Regem qui falsa pelagi fovere caphirna.
Invinctumque domo stabat memorabile templum
Cuius opes docto lassarent organa cantu.
Inprimis vastos hebeno mareotis amictos
Continuet hoc postes, maculosaque iaspide fulva
Liminaque Scythico lucent recreata smaragdo.
Indorumque opibus, laqueataque tecta videntur
Aede pia, quantoque trabes celentur in auro
Marmoreę, simulacra deum crustata nitebant
Abdita divitiis, crasso delubra metallo
Summa vigent, et onix sacris effusus, Achates
Sic aditis insignis erat, pretiosus ubique
Purpureusque lapis treto suffectus eburno.
Vix operis laudatur honos, quem templa ferebant.

Istam turba domum vultu demissa Latino
Ingreditur; regis thalamos ingressa profatur.
Occupat hos omnes Ursus, cui circulus auro
Lactea colla premit variis splendentia gemmis.
Alloquitur Regem grato sermone superbum.
Pannonis o decus egregium gentisque Bohemę
Vuladislae potens, salve Rex maxime, nomen
Gestat fama tuum, petitur tibi gloria maior.
Bella cient superi, te poscunt extera regna
Iam meliora ducem, nunc tu fortissime gentis
Ausonię, sunt visa deum miracula nobis
Haud incerta cano, turbę spem trade latinę
Debentur sceptris fatis spirantibus urbes
Imperii mundique vagi, mare promptius amplum
Currit in imperium, cecinit concordia divum,
Romulus et vates, hec et Mavortius heros.
Et Stygii manes, Alberto preside Iano.
Monstravere mihi prolem, regemque potentem
Testis erit nobis, voces tunc annuit orsus
Bellipotens Ianus vidi de sanguine gentes
Illustres, vestrosque dedit cognoscere vultus
Docta Sybilla mihi, paucis Rex inclytus addit
Hectoream grato prolem compellat amore.
Et Martem, proceres, Ursum, pulchrumque Quirinum.
Aeneade. Terras, celum, super equoris undas
Provecti, me dura premunt quae fata tulistis
Tam graviora malis, gemitu rupere querelę
Vos miserę totiens, nostras exposcentibus (!) oras
Prodigiis, regnumque novo producere bello
Maximus ardor adest, fatum sub mente coquebam
Venturi Martis, iam Cesaris arma repressi
Barbaricos ausus extinxi, solus in alta
Bella ruens, Turcique sequens exhausimus irās,
Debemus nostroque deo persolvere dignas.
His dictis dextra cepit tectoque reducit
Agmina magnanimus, lautis discumbere mensis
Urget utrosque viros et longam pellere noctem.
Quantus honos et quanta novi fulgebat honoris

Maiestas probitasque ducis, mirabilis extat
Si visus per membra feras, genus esse tonantis
Tale animo versare potes, seseque videndum
Indulsit Romane, tibi, quo pectore pressus
Corpore quo simili, quo robore gaudeat ille
Ore potens, hartusque (!) suosque inmane resignet.
Conveniunt, regique pias dat turba salutes.
Alter Cesar ave, pavor ingens hostibus unus,
Quam devotus ades, quam te sacra numina vultu
Excipiunt, gratoque tremunt hilarantque deorum
Concilia aspectu rident et sidera celo
Ignea, cum letis demittunt fulmina signis
Et superi, monstrant regi surgentia fata.
Tarpei fulsere ignes et iuncta monete
Templa Iovi, castę pariter simulacra Minerve
Cum veneris fano, quod spectat Castoris aedes
Fratris, et Elysiis sumentes Sedibus horas
Iuribus alternis, sensit tot gaudia liber,
Intonsusque puer, docti qui serta colossi
Possidet, unde fori monumenta Augusta manebant
Grandius, ac tellus pharetratę proxima sedi,
Aduceteque [Advecteque?] deę, Phrigii de partibus orbis,
Mille etiam speties septem de vertice montes
Letitię tribuere suę, tempusque lapillis
Signarunt Thetidis, memorant geniumque perennem
Hic habitum, mentemque emissis astra favillis.
Hoc dicto plausum excipiunt et ad atria longa
Hesperiam ducunt sobolem, succedite tectis
Hi referunt nostris. Aula dum lauta parantur
Regali medioque loco convivia cernunt.
Querere constituunt variis distincta figuris
Phydiacisque notis scito vigilata Myroni
Aera, trabes fulvas et culmina regia lustrant
Maiores, digitisque iuvat contingere gemmas,
Chrysolitosque domus, Policleteosque colores.
Piseasque manus, et rasa theatra labore.
Artificis vivos paphie spirantia vultus.
Qui gemine pretio pulcherrima vendidit ora

Que iuvenem cęco traxere cupidine captum.
Est locus inpositus, mediaque effusus in aula
Auleis vestitus avum, multoque labore
Quem nilotis acus tenui contexuit arte.
Undique compressum Tyrio stat murice tectum
Velantur muri, solvunt et culmina succis
Assyriis, multo decoctum virus aheno.
Inde Pharethonię pendebant litia telę.
Ignea cum stratis fulgebat gemma coruscis.
Auratis plumata modis stat sponda, superbus
Fulgor erat, per quem visus cessabat inermis.
His sublime thoris strato renitentibus ostro
Vuladislaus erat, totusque natabat in auro.
Spectatus spoliis rubri sua regia colla
Circulus ardebat ponti redimitus, habebant
Divitias numerosa ducis, cultusque gerebant
Pectora gemmatos, humeri gestare laborant
Hoc magis admiror, pondus, gemmasque micantes.
Quantus erat princeps, soboles dignissima celo.
Cui visus radiis, crinesque in fronte trementes
Dulce nitent, roseęque libent lanugine malę.
Eximiam speciem quanta indulgentia servat
Formę natorum memores placet usque morari.
Non desunt animi, frontis presentia terret
Spectantes, pulchras et pulchro in corpore divas
Eucharites! da sponte decus laudata iuventus
Edipodos, pepulit vultu quoscunque Napeas
Tanto igni nemorumque deos, et numina rivum.
Vos quoque Parrasii quibus est ea gloria formę
Hunc astris niveo regi lunaque priorem
Tradite, vos flavi Troes hinc ceditis ultro.
Et puer Eudymion Phoebes prestantior ignis
Lamius, irrepta deprehensus monte quiete.
Sangariusque potens formę vultuque secundus.
Cedat amor sterilis, multumque vocatus inane.
Ante omnes nulloque minor famavę decore
Vuladislaus adest animoque et mente virili
Apparet persona sui, sic sepę locuta:

Num generosa manus, pariter cetusque moventum.
Queve nova effigies nitido defluxit Olympo?
Effigies fluxitne polo radiante peracta?
Inde omnis discumbit eques, trabeataque rite
Agmina belligerum, probitas omnisque recumbit,
Turba minor procerum laute se commodat aulę.
Hinc adsunt comites nudato vertice primum
Fundentes manibus lymphas revertente odoras.
Hinc numerus famulum distinguitur ordine iusto.
Sanguine qui lucent claro dant pulpita mense
Regali iuvenes, distincti fronte capillos.
Quis et blanda manus gestant et candida coco
Corpora sidonio, gemmas implere capaces
Immortale mero, possetque pocula magno
Ferre Iovi, Iliacum meditarer porgere dextram
Nectar, odorato divos et sumere vultu.
Altera pars struitur servatque pondera mense
Aspera, priscorum fulgent argentea vasa.
Pars Phariis Cererem velis, messemque ministrant
Triptolemi, Maroenque pares, coguntque Lyeum
Indomitum spumare diu, fastisque Phalernum
Nobile signatum, quod non Mareotidos ora
Tale parit; sequiturque dato post altera pubes
Officio, mixtique ruunt et fortior aetas.
Inpositis capiti nardo redolente coronis.
Obstrepit alta domus, crebroque inmurmurat ore,
Fit sonitus, strepitusque leves de more ministrum.
Dum princeps epulas, et tantos haurit honores.
Fercula mirantur proceres redolentia mensis.
Obstupuitque magis faciem cenęque superbę
Damnat et ignotum demulcet perdere luxum.
Infunditque dapes varias illo ordine longo
Syderei tot turba gregis, non aula tenere
Tanta mares nequit, inediis astare videtur
Astris, et superum convivia carpere regno.
Romulus et genitor suspiria quanta dedere.
Danubius quod et ipse fovet quesivit et Hister
Ambitiosus amor, volucres hic Phasidis ales,

Et Iunonis aves, portant ante ora sedentum.
Hyberneque grues graviori lance feruntur.
Anseris exta secant, illic genus omne ferarum,
Conteritur, Thyrenus aper velut alter adesset.
Regificas habuere dapes, epulasque decentes
Principis electosque cibos et fercula mira.
Quas non Alcides, nec lautius Hannibal oris
Etholis, nec Elysa duci, nec partibus ustis
Iuppiter, Ethiopum vel post fera bella Gigantum.
Alcinous tales nunquam gustasse probaret.
Mille etiam speties habuit conviva sereni
Principis et gelidam placuit consumere noctem.
Postquam laxarunt mentes et gaudia passim
Reddita, maiores iussit deponere curas
Pectore pulsa fames, hilarique intendere cantu.
Tunc Gerius Mariusque sacri duo numina Phoebi
Alter Parthenope, alius de Sanguine Tusco,
Versibus applaudunt mense mulcentque serenas
Aures, Euboica gemini testudine docti.
Personat Ethruscus cythara, Capitolia celsa
A Gallis obsessa malis, aurumque repensum,
Ut ferus asseruit patriam miserumque senatum
Et montem moestamque urbem pietate Camillus.
Indigenas faunique canit, docet hospitis argi
Inde necem, sacrumque nemus violataque iura.
Et cum iussa dabat durus Stheneleius hostis
Pacatumque orbem mostris (!) seriemque laborum,
Atque Cleoneos Gerius memorabat amictus.
Utque gener totiens fuit una nocte sonabat,
Succubuitque etiam Theutrantia turba domanti,
Quesitasque boves, et vastum concinit antrum
Semihominis, frendens ut limina saxea tentat,
Concussitque specum, magna Tirynthius ara
Quove stetit meritus flavoque receptus Olympo.
Talia carminibus celebrabat Tuscus ameno
Pectine, quo Tyrios posset coniungere muros.
Et Methimneo pacaret cerula plectro
Aequora, diversum traheret cum Prothea Phocis

Ut lusit satis et resonantia pollice fila
Increpuit Getico, Marius meliore loquela
Parte alia recitat, devicto Cesare gentes
Rhenicolas, quantumque pio Germanica castra
Succubuere duci, quantos et fuderit hostes
Vuladislaus equo, quantos et milite Turcos
Fugerit armifero, quantasque sub ense cohortes
Truderit (!) hostiles, gladio quot vicerit urbes.
Quantaque Pannonici narratur gloria belli.
Prelia quanta manu princeps et gesserit acri,
Utque sedet victor regali veste quadriga
Laurigero et quanto princeps efulgeat auro
Obvius ut totiens stetit hostibus inclytus armis
Innumeris, quos sola dedit prudentia Regis
Vincere posse viros, quot gessit in orbe triumphos
Concinit et quales existant Martis honores.
Conticuit tandem vigilataque limina stratis
Submittunt curantque thoros, et membra reponunt,
Mater ut emicuit defleti Memnonis ora
Pannonica, radijsque novis se sparsit in arva.
Tunc claros equites princeps concurrere iussit
Ac certare acies divis spectantibus acres
Ductoresque suos lectas certare choortes (!)
Admonet et certo contingere corpora tactu.
Primus inire manum vario certamine turmas
Vuladislaus equo docet, agmina deinde severa,
Atque acies, comitesque simul contendere Marte.
Prosilit hinc Stephanus, decus admirabile Martis.
Cassis erat munita feris, triplexque resurgit
Crista iubas, erat intorquens discrimina ponti
Scylla super, mirosque canum portabat hiatus.
Victoremque monent fulgentia vertice monstra
Ignifero, ut fera cum pavet omnia sceptra cometes
Crine suo, radiosque polo vomit atra rubentes
Fax, saeva terris scintillam luce minatur.
Inde exceptus equo vexanti humentia frena
Militis adversi pulchros in corpore fixit
Ictus, cum latro rumpens hastilia ferro.

Hunc Iosue sequitur, simili preclarus honore
Canisai et banfi, saevi duo fulmina Martis.
Ursus cum bathori placuit properantius hastam
Rumpere fllammatus, veluti concurreret hosti.
Emicat in saltu, campumque perambulat omnem
In cursu nunc flectit equum, nunc vertit in auras
Rex admiratur comites, equitesque togati
Dumque Ursum bellare vident, acremque Bohemum
Inposuere modum ludis, armisque repostis
Ore refert proprio Gradivus. Suscipe princeps
Et clypeum galeamque ferox fatalia dona.
Auratumque ensem lateri compone superbo.
Hec Turci tibi regna dabunt et Cesaris arma.
Vota Iovis divumque vocant et sydera celi.
Alter Cęsar eris, simili veneraberis astro,
Captivis iterum spoliis tua regna fruentur,
Macte animis imitate meos, imitate labores,
Qui cupis amissas tam longo tempore sedes
Pro certare fide, et Turcos expellere regno
Ad veteres concurre locos, ubi Chrystus amarę
Sustinuit (!) tormenta crucis, commissaque nostra
Pertulit, ut populos raperet de faucibus Orci.
In cruce dependens nimium transgressus amorem
Agnus avet, sitio cum dixerat, ille salutem
Gentibus optabat miseris et noscere verum.
Hortor adire vias et tantos ferre labores.
Extendam vitam et Pilii donabimus annos,
Troianosque dies fumosęque alitis aevum.
Et si opus id fuerit Pyseas ire per oras
Fortibus aut ausis Lybicas tentare palestras,
Isthmiacasque plagas, et duras vincere parcas
Vel quod ad Euboicos velles penetrare recessus,
Aut super Hesperię migrare tot humida Thyles
Regna, per aut gelidas annis vergentibus arctos
Currere vel septem vada caligantia Nili
Prendere, et argoas audax inferre Micenas,
Barbaricumque super latus et tot Gallia tecta,
Itala perque potens discurrere milite regna,

Hortor iter durasque vias superare labore.
Non datur emeritis nisi gloria maxime princeps,
Quanta resultabit tibi gloria, quantaque crescet
Inclyta fama tui, multo victura sub aevo.
Et quid in orbe tibi servabitur, aurem altis
Quattuor ibis equis, et claras inter Athenas
Consilio prefixa tuo sapientia stabit.
Inter avos Latios numeraberis inclytus alter
Caesar et ignifero signabis sydere crines.
Crediderim, sine te sorderent omnia regna
Hec dicens nato cicius Mars astra revisit
Vectus equis, sotios accepit ut ante iugali.
Munera suscepit grates et rettulit amplas.
O longum memorare decus, celebrare triumphos
Vuladislae tuos, iussit tibi carmina tradi
Phoebus, et argutas plectro resonare camenas.
Non posset mea Musa diu describere laudes
Regis honorati, fidibus compacta canoris
Ipsa Chymereo quamvis perfusa liquorę,
Insubeat plectro clarii Parnasia rupes,
Si mihi det calamos fuerat quis fretus Arion
Ascreę si dentur opes, seu carminis auctor
Ducat Apollo lyram, rapiat quę cornua montis,
Pieriique decus laticis, vel Gorgonis aestus
Esset et humor equi, seu barbitos ulla moveret
Dictaret lothosque mihi, cythareque ferantur
Pegasidum simul ipsa choris ruat aurea proles.
Occidit interea celeberrima gloria gentis
Armiferę Corvinus, avos imitatus equestres
Sanguine Romano deducens stemma decorum
Progeniemque suam veteri sub origine patrum.
In tumulo defessa dies inclusit avarum
Funus et extinxit finem latura suppremum
Parca severa ducem, regno sceptrisque superbis
Principis Hungarico Regnum dum rege vacaret.
Nullaque Pannonicis orbatis lumine reddi
Iura viderentur, populi sine lege manebant
Quisque sibi mores faciebat promptus ad arma.

Consultant proceres regni super omnibus una
Atque novum comites statuunt decernere regem,
Quamvis in vario staret sententia motu
Gentis et in vulgus versaret mobile certa.
Hunc pars una volunt, alium pars altera regem
Acclamant, sed maior erat coniuncta sereno
Vuladislaę tibi, sequitur quem turba favore
Multiplici, veniuntque pari sub amore potentes
Nobilitas et honos et regem voce salutant.
Pars adversa furit patulo certamina campo
Saeva petens, et tela volens, te provocat hostem.
Conveniunt urgente tuba clamoreque multo
Agglomerant gentes, et magno ardore laborant
Castra locare locis, lituis strepitantibus auras.
Urbs ubi regalis proprioque dicitur Alba
Plana tenens populis habitata ferocibus arva
Nomina, dat regnum quotiens devicta superbum,
Rege aliquo pacemque viris et iura ministrat.
Cęsar ut infixit stratis tentoria terris
Multa super regno meditans, super urbe propinqua
Cogitat et turmas demum conclamat in unum
Terribiles terrore suo vultuque minanti.
Alloquitur stantes circum sermone benigno
Magnanimi comites nimiaque cupidine capti
Martis, in egregios tendentes semper honores
Hostili nunquam saturati sanguine, queso
Sumite que referam. Vos hac me sorte vocastis
In regnum, vestrumque ducem, dominumque futurum.
Ipse libens veni, duxi fortes Suevos
Belligeros equites, et multis agmina signis
Insignita meis, aquilas gestantia fulvas.
Nunc opus est armis, tractareque bella Bohemis
Gens nobis inimica nimis multumque rebellis.
Quisque suas vires ostendat, corpusque periclis
Omnibus opponat, nec curet vulnera miles.
Hec est illa dies, que vestrum nomen Olympo
Extollet, tribuet vobis et vivere celo.
Hostis adest, cupit ille furens concurrere mecum,

Atque pari certare manu, non linquite vestrum
Castra ducem, iam tempus erit bellare sodales.
Huic se connectit Saxonum ex agmine tanto
Dux et vectus equo, saevit furialibus armis.
Per se bella libent, animo succenditur acri
Et placet ense mori, quam munere vellet ab isto
Deficere, et proprias foedasse in sanguine dextras
Hostili, predata suis nec viribus ulla
Castra putat, fortis gesturus prelia magno
Produce Cesareo, simili cum robore mentis
Ipse Palatinus firmum comes addidit hastis
Auxilium, spondetque viros ad bella feroces
Cesare pro domino, clamatus ad arma cohorte
Solus Cesar erat, lateri pars magna potentum
Sollicitant adnexa sacro, Germania tota
Inruit et nubes excedens agmen adibat
Principis imperium. Venisse in prȩlia turmas
Quot numerem? et trepidum turba coeunte tumultum:
Marte sub adverso fulvas aquilasque minantes
Innumeri coiere globi cum pectore firmo.
Regis honorati servantes classica saeva.
His adiunctus eques cupidos properabat in hostes
Per diversa ruens, linquens et tecta Bohemum
Totus in arma furit, cui stat formissima pubes
Bellatrixque nimis, variis circumdata telis
Castra petit numerosa manus, iaculumque retortquet
Aera per liquidum rumpens violentius auras,
Signa sequens, alia princeps de parte serenus
Milite diffuso superanti vertice Martem
Descendebat atrox, faciens nec vulnera mortem
Vuladislaus, acri plena tyrone cohortes
Secum ducebat discrimina nulla paventes
Et doctas superare neces hominumque furores.
In bellum pronus Rex inclytus addidit iras
Militibus, gentesque feras in castra coegit
Voce gravi, pariter neglecto Cesare turmas.
Accenditque duces in Cesaris arma volentes
Currere et armatos clamare ad signa maniplos.

Composuitque minas vultu subitoque repressit
Militis ardentes motus, animosque furentes
Convocat hic acies misso clamore repente
Dulcius, aspectu gratoque silentia dextra
Iussit et affatur proceres quantum arserit ira.
Ibimus electi contra tot milia gentis
Urbs ubi regalis quę latis panditur arvis
Alba, ducum requies, illa est que regna ministrat
Regibus et finem tradit pulcherrima pugnę.
Hanc urbem socii prefixa mente petamus
Que vobis sceptrumque mihi iam spondet amicum.
Decretum est equites cum Caesare bella movere
Horrenda, atque ipsum nostro depellere regno
Iure manet nobis, fungamur viribus oro.
Pannonis ora mihi debet, nostrosque recepit
Sponte sua titulos, iam nos in tecta vocavit
Et propria regnare domo concessit amica.
Hec postquam fatus fortem Rex magnus in orbem
Vertit equm (!) subito, sequitur quem tota caterva
Ductorum, gyro sonipes cui flectitur alto
In campum levis ut totas captaret habenas.
Tunc Stephanus valido contorsit robore telum
Aethera suspensum, percussus fulmine Martis.
In medio cetu princeps spetiosus in armis
Ibat et armigeros in cunctos ore premebat.
Qualis: Agenoreum pulcher cum tenderet Archas
Ad bellum, infoelix agmen superaverat ignens(!) = ingens
Parthenopeus eques, facie raroque decore.
Sicut et ad Thebas exibant ordine reges
Inmixti splendore suo, quo pectore gentes
Nobile quo vultu, vincebant agmina septem.
Qualis et effigie calcabat dulce Latinos
Ille nepos Veneris, fulvum descendere colle
Cum vellet iaculis urgeret et ense leonem.
Non secus egregio cultu tenebat ad Albam
Regalem, comitum turbis coeuntibus urbem
Vuladislaus, honor Martis celeberrimus alti.
Ut ventum est, habilem subito fervore sub aequor

Elegere locum pugnę, tentoria primum
Expandunt tellure nova candentia palis.
Compositis rebus calida prolatus ab ira
Vuladislaus iter cupiens erumpere dudum
Affatur prius armatas sic dulce cohortes,
Eventus belli varios sub pectore versans:
Belligeri castris qui mecum pręlia tanta
Gessistis, totiens experti vulnera fratres
Curarum socii semper mansistis, et omnes
In commune malum sortes casusque tulistis.
Summus honor vobis hodie promittitur, inde
Quot laudes dabit una dies, monumenta quot addet
In fastis unquam nullo peritura sub aevo,
Qualem fama volans et vobis spondet honorem
Pro factis gestisque decus quantumve decorem.
Divitias fortuna parat, non ultima turbę
Pars ego sum tante, patris clarissima magni
Regia sum proles, iaculis hostaque virili
Primus inibo manus et multa cede cruentus
Saevius incendam mentes animumque furentem
Setiger irato sicut venabula dente
Excandescit aper, spumis manantibus ore
Irritat extensas flammatus convomit iras
Iure quietus adhuc inimicum quaerit in umbras
Condensus nemorum, latebras et lustra pererrans.
Sic ego descendam prima ad certamina miles.
Hos ardor solusque labor mihi tradet honores.
Tu me iam sequere et tantas non despice laudes.
Non procul a nostris expectat sedibus hostis
Cęsar et horrifico discurrit milite campos
Nos [Vos?] omnes, parat atque uni vos tradere laeto.
Non sperate fugam, sed pectore summite (!) ferrum.
Insequar ipse furens nullo discrimine terga.
Caesaris arma parum facimus, si mente virili
Aggrediamur eos, tractemus et acriter enses.
Non vos civilis discordia poscit ad iram
Non vos Armenii, Scythici nec tela minantur,
Iure mihi regnum debetur legibus ergo

Omnibus utamur nostris, qui prelia iusto
Marte movet, fortuna favet, studioque tuetur.
Pars comitum divisa fuit partita potentum
Militia, una mihi perstat, pars altera Regi.
Virtus quanta viget belli, fortissime miles.
Est nobis Iosuę nostri spes plurima Martis
Viribus ornatus patriis et corpore firmo.
Hinc et magnificis Stephanus spectabilis unus
In titulis transgressus avos atavosque (!) superbos,
Regales custodit opes fidissimus iste.
Hos et Barones insignes laude sequuntur
Campai, bathori, pugnantum et gloria Banfi.
Pectore quo pressi valido? quo robore pacti?
Ista dies vobis spondet victricia castra.
His dictis tollunt animos, viresque ministrant
Infractas comites adverso Marte Bohemi.
Ut leo percussus gaudet cervice comantes
Excussisse toros infixum corpore telum
Frangit et infremitans iras ex ore remittit.
Non aliter forti crescit violentia Regi.
Tela manu vibrant equites hostesque lacessunt
Caesaris ignavos, qui iam decurrere gliscunt
Agmen inoppositum, sensit pars altera tabes
Erupisse sonos, nil est quod verba retardent.
Caesar adest, adsunt fortes in prelia turmę.
Bella manu tractemus acri, paribusque ruamus
Auspitiis, stat una nephas fortuna periclis.
Iamque aderat funesta dies, tempusque micandi
Finierat latum, quascunque ad tela phalanges
Excitat, atque acies disponit in ordine totas
In terris Aurora novos laxaverat ortus
Armiferis, et luce rubra lustraverat Albam
Hystorię factura fidem, cedisque futurę
Ut primum crepuere tubę lituique dedere
Tot sonitus, sonipes resono clangore movetur
Arva quatit pedibus, geminas et surrigit aures.
Diffunditque iubas et certo haud stare tumultu
Ille pedum pugnat motus stridore tubarum.

Ire redire cupit, tactu turbantia frenos
Ora tenens rigidos calcaribus ardet in arvis.
Verberibus coguntur equi, fit maximus illis
Inpetus, incursuque fero portantur in hostes.
Tunc campi tremuere sono, percurrere contra
Et miscere manus se commodat apta iuventus.
Ut vero incubuit belli deflebile fatum
In pedites, armis sic undique septa corona
Obruitur, rectis pendebant eminus hastis
Cominus obliqui alii, non sanguine (!) fuso
Hi pereunt, non vulneribus, sternuntur equorum
Inpulsu, nymbo telorum et membra teruntur.
Sic etiam armatum stipatur corpore corpus
Colliso, tantę parvum stringuntur in orbem
Atque acies metuens tantum spissantur in agmen.
Densantur cedes, turbe miserabile leto
Perduntur gladiis, ceciditque in strage suorum
Miles et a proprio mirum contunditur ense.
Inpiger ad letum conpressus sanguine vitam
Alter odit, demum moriens Traxitque tenebras
Quisque suas, numero ex tanto quot pauca superstes
Turba fuit, vario q̄ mansit saucia ferro
Extitit et crebris poterat vix ictibus ire.
Ancipites casus tenuit mors improba belli
Quam fortuna dabat, maior pars Cesaris hausta est
Et melior, steteratque prius cui tanta potestas
Succubuit periens infoelix perdidit arma.
Tanta adeo clades fuerat de sanguine gentis
Cesareę, quod erat pulvis compressus ubique
Factaque sunt moestis nimium loca lubrica campis.
Non tantum Marius vidit nec Sylla cruentus
Sanguinis effusi, metuendaque vulnera stragis.
Heu miseri pedites ictus in corpore primos
Excipitis semper, luitis damnataque tela.
Insurgunt equites alia de parte feroces
Sternere cede viros et circum castra sedere
Caesaris, et duro properant deposcere Marte.
Agmina concurrunt, acies densantur in alas

Extremę geminas, pugnantes viribus ęquis
Cum ducibus, multi comites sternuntur in unum.
Tunc socium virtus et regis magna Bohemi
Tendit in adversos hastis sublimibus hostes.
Inque equites violenta ruit, mortemque minatur.
Arrida correptis sicut Vulcania pestis
Arva furens flammas extenditur undique crescens
Ignis adurit agros, urgente incendia vento.
Talis in hoste furit tensa violentius hasta
Vuladislaus eques totum quem castra verentur.
Viribus erumpit magnis in Caesaris illam
Pectore rex fulgens, et corpus perforat ingens
Ille parum, tenuit ferrum penetrabile dextra
Crede mihi, quantos sonitus super arma dedere
Ictus quot pariter telis vibrantibus alę.
Caesar ut aspexit fortes ad prelia turmas
Currere et in medio certantem ex agmine Regem,
Tunc gelidus timido sanguis in corpore mansit.
Non ausus certare manu, nec tendere contra
Stans in equo Caesar, nequicquam multa volutans
Instaurat verbis acies atque addidit aestus.
Fata vocant hodie nos credo inimica cohortes
Cęsareę, praestat nobis iam cedere fatis.
Ante tamen vultu tractemus tela virili.
Nunc virtutis opus, forsan fraudabimus hostes.
Extimuere omnes, non ausi tendere contra
Ut primum videre duces properare Bohemos
Arripuere fugam passi non amplius ipsi
Arma superba ducis, victricia et undique castra.
Diffugiunt rapido iam Caesaris agmina cursu.
Vix evasit equo dominus devectus ab alto.
Hinc sonipes defessus erat, sudoribus artus
Fumabant, pulsuque gravis trahit ilia vasta.
Non stimulis neque verberibus torquetur aequorum (!)
Turba, cruentato portabant ora, lupato
Sicca, gemunt raucis et creber anhelitus urget.
Vocibus, et squallent emissa arentia lingua
Corpora cornipedum, non impetus amplius illis

Manserat, urgentur nullis calcaribus ipsi.
Vix habuere fugam monstrantes terga phalanges
Caesaris, et tuto traxerunt agmina campo
Vuladislaus ait cernens hos terga dedisse
Hostibus, hi melius poterant ostendere pectus
Atque ictus cepisse meos et robur acuto
Munitum ferro gustasse in pectore Caesar.
Num puduit ceptis ingentibus ense remisso
Defecisse modo, puduit num linquere castra
Caesar, et audaces sic effugisse Bohemos?
Nullum terga decus, nec habent fugientia laudes
Agmina, nec fugiens miles gestabit honores.
Hec referens hastam inmanem (!) constorsit in hostes
Caesaris et longo percussit militis ictu,
Terga volantis equo, sequitur quem cetera fortis.
Turba ducum, permixta duci, comitumque polentum (!).
Ite, ite, o pavidę gentes, non castra sequamur
Amplius, indigni nullos meruistis honores.
Hostibus exhaustis Regalem tendit ad Albam
Vuladislaus eques presignis et inclyto actis.
Et diadema petit devicto Caesare sacrum.
Tum subito gentes Regem clamoribus altis
In proprium petiere suum pariterque potentum
Turba gravis comitum delecta fronte salutat.
Maxima Rex Regum salve, qui Caesaris arma
Fregisti, et valido superasti castra Gradivo.
Vuladislae tibi foelicia tempora prestent
Fata, sinantque diu regnare beatius ora
Pannonis, et parto iam te consistere regno.
Hoc plausu capto strinxit diadema serenum
Tempora, flaventes et cinxit dulce capillos.
Omnis io populus clamabat, quantus in urbe
Rursus io strepitat Budę cum transit ad arcem
Vuladislaus, equis devectus quattuor ibat
Aureus in niveis, pulchro speciosus in ostro.
Laurigero Regis pendebant pallia curru
Maiestas o quanta Ducis splendebat in auro,
Quanta erat et probitas virtutis gratia Regis

Quanta stetit, Regum facies hic tota nitebat.
Talis in aspectu non ibat Scipio victa
Belliger, et simili nec erat Carthaginae cultu
Romanas intrans arces nec curribus alter
Aemilianus eques titulis preclarus ad urbem
Ibat honoratis, infesta Numantia postquam
Cessit et in leges venit submissa Latinas.
Ille nec in croceis excellens magnus in oris
Pars orbis cui nulla vacat, mensura triumphis
Nulla suis aderat quamvis in iure potentes
Traxerit Ausonio reges, populosque subactos.
Laude sit aeterna Marius, sit nomine cultus
Augustus Caesar mundi celeberrimus heros
Imperium sine fine tenens, sine fine triumphos.
Titus et ille satis iuvenis post fata parentis
Cum tulit imperium, solymas transgressus ad arces.
Diripuit vindex ingratam protinus urbem.
Arcus ovans iterum partos testatur honores
Quid tibi iam superest, tanto si comprimis ore
Innumeros regesque duces, si laurea tantum
Vuladislae decus tribuit, si curribus alter
Ipse triumphator spoliis lustratus opimis
Dulce sedes, divum numero si deinde relatus.
Crediderim sine te sorderent nomina Regum.
Vive pius, foelix invictus semper, in hostes
Tende libens, Turchos et debellare superbos,
Vuladislae rogant mecum mare, sydera, terre.

Finis.

Eiusdem Vestre Sacre Regie Maiestatis.

(Kék szinben.)

Servulus Io. Michail Nagonius
Civis Romanus et Poeta Laureatus.

(Most egy oldal, p. 116., üres.)

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie Regem pium foelicem semper invictum triumphatoremque liber tertius eiusdem poete.

(Aranybetükkel, vörös alapon.)

Scipio qualis Libicis in oris
Hannibal postquam dare terga iussus
Victor in bello fuit et verenda
Fronte decorus,

Perse devicto Aemilius superbo
Qualis incessit Latios per agros,
Qualis et quantus fugiente Pyrrho
Fabriciusque,

Qualis ad Cannas Iuvenisque Pęnus
Post feram stragem Phrygii cruoris
Qualis in magno Trebię tumultu
Consule victo.

Qualis et Cimbris Marius fugatis
Qualis et Cęsar fugiente Magno
Victor intravit vacuę verenda
Monia Romae.

Omnibus talem licet intueri
Inclytum Regem o nimium beata
Pannonis proles, propius (!) videre
Cui licet ora.

Caesaris fudit celeres catervas,
Iste pugnaces pepulit phalanges,
Ire per latos inimica campos
Castra coegit.

Pila suscepit valido merente
Sic equo fortis, peditumque turmas
Depulit dextra meliore sęvas
Undique victor.

Arma quo cantu memorem sonoro
Quę polum certe penetrant coruscum,
E quibus coelo celebratur, ingens
Gloria terris.

Si decus tantum peperit sub armis,
Dignus et tantus titulis videtur,
Roma laudibus referesque mecum
Maxima regem.

Prisca iam virtus rediit, furorque
Et duces illi rediere summi.
Nam potes per se veteres videre
Roma triumphos.

Frons sibi plena est rigidi pudoris
Lucet et fastu gravitas modesto,
Quem timens hostes socii verentur
Miles adorat.

Prestat hic multa pietate princeps,
Plenus et multę probitatis extat,
Et suis dat iustitiam subactis
Gentibus almam.

Proximus certe superi habetur
Ille, quem monstrat ratio, nec irę
Dat locum et punit mala facta pacis
Qui bonitate.

Ense se iactent alii timeri,
Quos iuvat rapto cumulare census,
Pace tu torques facerent tyranni
Quod feritate.

Non fames lucri vocat ad rapinam
Ocium nec te vocat ad quietem,
Non ad infandos Veneris recessus
Blanda voluptas.

Quis tui dotes animi superbas,
Bella quis narret manifesta cunctis,
Et tot et tantos referat triumphos
Sanguine partos?

Sensit hoc Caesar superatus oris
Pannonis, magno fugiens pudore,
Laureę cessit tibi iam petenti
Armaque currum.

Plura quid de te loquimur procaces?
Vocibus quare et teneo, mororque
Digna cum tantis nequeam referre
Laudibus umquam.

Ipse nec potest Maro Tulliusque,
Hauriant quamvis Heliconis amnes,
Vel bibant totos Aganippedosque
Fonte liquores.

Ergo nunc nobis potius tacendum
Esse cognosco, rudis ipse cum sim,
Et tu nunc clarus veteres Quirites
Imbuis heros.

Nobilis princeps nimium serenus
Patre tam claro genitus resulta,
Tu dabis supplex superis pudicas
Thura precesque.

Patre tam claro genitus resulta,
Cuius excelsos imitaris actus,
Digna nunc tali soboles parente
Ut videare.

Tuque Erithreis merito lapillis
Hanc diem signes generose fili,
Quam tibi nerunt (!) niveo severę
Vellere Parcę

Regię prolis decus atque germen
Adsis, et vivas Pilii senectam,
Et Sybillini superes beatus
Pulveris annos.

Maximo sed iam superest tonanti
Gratias omnes ut agamus una,
Fata predixit tibi qui futura
Inclyte princeps.

Ad eundem divum Vuladislaum, Hungarię et Bohemie Regem splendidissimum fortunatissimumque carmen lyricum, quo Poeta summopere desiderat eius gesta et laudes describere.

O decus summum patrię potentis,
Quem duces horrent metuuntque magni,
Si lubet nostrę faveas Camenae
Optime princeps.

Que tuas optat celebrare pugnas,
Et pares tantis resonare cantus
Laudibus, sed tu nimium decorus
Comprimis ora.

Quis queat vatum veterum politos
Spiritu tanto modulos notare
Aequet, ut fortis proceres canendo
Maxime teque.

Militum virtus premeret sorores
Mantuę, magnis ducibus tremendos
Principes nullus caneret poeta
Carmine digno.

Hic adest princeps animoque et armis
Pannonis Rex et populi Bohemi
Agminis structas acies per arva
Infremit asper.

Seu ferat duros equites in hostem,
Seu regat castris animos feroces,
Cuncta tam sensu peragit profundo
Vincat ut omnes.

Quos patres quondam genuere nostri,
Quos locat celo furiosa vatum
Turba, non his inferiore floret
Pectore et armis.

Voce non possum resonare tanta,
Ut pares edam numeros canorus,
Qui graves ornent decorentque pugnas
Principis huius.

Quo tamen versu modulabor acris
Gesta, plectro sic Domini sonante
Errat incerto mea Musa gressu
Et fugit ultro.

Principis tanti memoranda bello
Dextera evivat, renuitque virtus
Barbiton nostram, graviora querens
Pectora vatis.

Non satis nobis animi dederunt
Fata, quo possem fremitu ciere
Bella, que semper patulum per orbem
Armiger egit.

Bellicos sensit Boreas furores,
Qua caput Phoebus nitidum recondit,
Quaque consurgit tua fama fulget
Qua furit auster.

Tu dabis, princeps, veniam benigne
Si tuas laudes taceo, dolor me
Conficit, languet, quia mentis ardor
Prodere tanta.

Nestoris vincas validus senectam,
Semper et vivas animo beato
Temporis prisci revehas ut annos
More parentis.

Augurat si quid pia corda vatum,
Forsitan pelles gladio tyrannos,
Qui iugo vexant misero Latinum
Nomen et urbem.

Hoc tibi certo cecinit Sybilla
Eubois, nutu memorantque Manes,
Principem ne te superent avorum
Tempora lęta.

Iam vale invictę sobolis serenum
Lumen et robur generis vetusti,
Sis memor nostri petiturus astri
Morte Solutus.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemię Regem potentissimum semper invictum Carmen lyricum quo poeta indicat ipsum esse speculum et lumen gentis sue.

Divaque solo genita es parente
Hera bellorum, decus o virago
Aegidem ponas adeasque lęto
Huc age vultu.

Tuque Mars prolis genitor Quirine
Tutor et custos Latię cohortis
Castor et quisquis superum tuentur
Pacis honores.

Regis invicti lyrico putavi
Gesta, Smyrneo referenda cantu
Posse quin demens aquilas columbis
Cedere dicam.

Quis velit laudes veterum parentum,
Nomen, et summo celebrata celo
Facta vel castris strenue vel ęquo
Tempore pacis.

Rex decens, quis te caput atque robur
Regię prolis speculum decusque
Principes inter merito ferendus
Unus in armis.

Quid prius latum memoremne regnum
Anne munitas numeremque turres
Oppida, en arces, domino inminentes
Undique celsas.

An feram sumptus nimium superbos
Et manus largas meritis ferendis,
Unde nil auro levius videtur
Nec dare census.

Quis ferat ludos celebretque pompam
Editas lucu duce te superbo,
Sepius vestris titulis dicatam
Carmine vatis.

Clamor armorum litui strepuntque
Ictibus crebris quatiunt Olympum,
Milites hastis paribusque miscent
Verbera pugnis.

Tu colis pacis placidam quietem,
Militum turmas licet expeditas
Maximo sumptu teneasque et alas
Bella petentes.

Pendet in vestro gremio quietis
Cura, si frater tuus ille Ianus
Prepotens extat lateri propinquus
Semper et ardens.

Unde tu nostro generatus ęvo
Solus, antiquum referens decorem,
Romulus bello merito feraris
Et Numa pace.

Sic micant pulchris equitum catervis
Arma, sed regis velut inter aera
Inter aut aurum velut illa lucent
Astra corusca.

Nec minus regno similis parenti
Pulcher et pulchro veneris neposque,
Visus Aeneę Tyrio recumbens
Murice Iulus.

Belliger fortis neque te silebo
Preliis audax animo potenti
Iane, quo duros melius labores
Nemo refringit.

Stemmatis clari velut arbor amnis
Hęrculis ripa viget, atque crescit
Fama, per summas orientis oras
Occiduasque.

Quis queat iusto domitos triumpho,
Sive Germanis populos in oris
Hungaris, Turcis reliquisque lati
Partibus orbis.

Heu nimis lato spatiata campo
Musa, divorum tenuare tentas
Gesta, deducto nihil apta cantu
Desine tandem,

Hic fatigaret veteres poetas,
Sique migrarent Helicone Musę
Perderent voces numerosque vellent
Prodere nullos.

Tanta sunt Regis memoranda sacri
Gesta, virtutis fideique pignus,
Et boni mores, documenta vere
Iustitieque.

Ipse quid dicam probitate rara,
Inter ornatos homines moranti
Deque regali gravitate, deque
Relligione.

Ausonis cedat superis recumbens
Terra, quot laudes peperere fortes,
Quotque devictis populis tulere
Signa Quirites.

Iam petes foelix pius et prius triumphans
Semper invictus generosus atque
Splendidus, divos referendus inter
Solus haberi.

Vive Vuladislae o nimium beatus,
Si tibi cessit decus omne Martis,
In dies crescet tua fama terris
Postea coelo.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie Regem pium foelicem et semper invictum congratulatio ob eius victoriam Pannonicam superato Maximiliano habita Rome per Hungaros tamquam in templo fortunae optimę.

Colle sacratos videant nepotes,
Et iocos dive celebrare Romam,
Festa, devotis nuribus peracta
Marte supremo.

Illa fortunam meruisse pandunt
Templa communem Lybicis subactis
Vel Iubę nigri, domitisque regnis
Vate tribuno.

Pręfuit Cęsar meritis triumphis
Pace confecta cumulans fovebat,
Nubibus Princeps aditus Sabeis
Victor in armis.

Cernis an maius tribuisse munus
Hinc Quirinali similique Marte
Et suos divę voluit Quirites
Numen habere.

Pompa refluxit veterum deorum,
Rostra maiorum redimit nitore,
Orbis et Romam dominam ministrat
Inclytus heros.

Gaudet immensum Remus et Quirinus
Quod decus tante patriae tulisti
Sic ego et multum repetant parantes
Glorior astra.

Quanta Germanis populi subactis
Festa Romani soboles peregit,
Gaudium gentes variae dederunt
Letitiamque.

Credimus divos celebres vidisse
Ignibus pompas meritumque factis
Invocans nomen totiens per urben
Dulcius agmen.

Sępe clamabat properans iuventus
Ad sacras aras propiore voto
Thura placato cupiens ioque
Numine rursus.

Ante coelestes aderant ministri
Ora, quot turbę pariter canentes
Gloriam laudes dominoque castos
Gratius hymnos.

Crede mirabar strepitus frequentes,
Et pedum vocum mediis choreis
Ferre per summas avidas sorores
Undique turres.

His erat pulcher modulans Apollo
Vestibus comptus, pharetraque levi,
Vatibus vinctis hederaque lauro
Tempora sceptus (!).

Carmen hi vates in honore regis
Ore sacrati melius sonabant
Candido, sicut canerent et ante
Delius esset.

Inter hos vates aderam Michail,
Concinens voto numeros libenti
Regię prolis patris inque laudem
Stemmaque vestrum.

Fide Vuladislae modis poete,
Semper aeternum ducibus virebit
Cum tuum nomen, superis relatis
Inclite princeps.

Ad eundem divum Vuladislaum Regem pium foelicem et semper invictum Carmen lyricum quo poeta rogat numina maris, ut foveant ceptis Regiis, si aliquando contra Turchos navigare contigerit.

Vos precor fluctus nimium procaces,
Qui maris surdas quatitis procellas,
Et noto tristi ruitis rapaces
Semper in aequor.
Nunc avet Remis geticum sub axem
Classe frondosis dominus natare,
Inde per latum pelagus recurret
Puppibus altus.
Ponite et vestros rabidi furores,
Mulceant iras scopuli minaces,
Monstra latratus teneant paventes
Vela carinę.
Cum tuas primum reduces ad horas
Protinus pleno venientque lino,
Ibis et portu dominum secundo
Ursa remittes.
Numen ostendes pretium favoris
Aut minor maior propiore cursu,
Qua Tyrus vadit fruitur quietus
O Cynosura.
Non minus fixę solio tonantis
O novem stelle, Iovis et puella
Pleias, et sic Andromedeque nili
Tuque Bootes.
Et parens Baccho nimium Palemon
Concita ardenti, memoratque piscis
Glauce, nutrices gemineque nymphe
Oleniique.
Tu dabis cursum Venus orta Ponto,
Si Paphum venti socios ad almam,
Et ducis naves remeare cogent
Turbine nigro.

Numina et vasti faveant profundi,
Et putent regem dominum potentem,
In polo, terra pelagoque lato
Oceanoque.

Forte continget Solymos ad agros
Ire, crudeles laniare Turchos
Et domum sanctam renovare sacris
Isi pudica.

O Phoroneis stabulata tectis
Cognitum numen Solymum per aras,
Sic Idumeis in honore votis
Preside diva.

Tu Palestinis dea festa templis
Graminis quondam venerata nigri
Nubibus, merces operum tuorum
Isi profusa.

Isi concusso celebrata sistro
Explicans vultus orientis almos
Et dies sacros populis anhelis
Culmine fulvo.

Te Phari vidit memoranda proles,
Te paludosi vada plena Nili,
Et Teraphnei soboles Canopi
Thure superbam,

Invida et Memphis precibus pudicis
Appidis templum Veneri dicatum
Possidens, certos renuens in annos
Crescere foetum.

Fontibus mersum subito necabant
Aede vulcani muliere tantum,
Inde ducebant alium tuente
Foemore raso.

Actias novit Cleopatra limen,
Mersaque blando fuit in veneno
Italas dives fugiens cathenas
Victaque currum.

Te quoque Hybleo Iuvenis peremptus
Nectare infusus, vagus orbe toto
Sęvus in castris stetit et potentis
Conditor urbis.

Principi tanto dea iunge vota,
Quem colunt atrox Boreas et Eurus,
Auster Hybernos revomens furores
Nubilus undis.

Tu comes sanctis aditis honores,
Et pio cernes hilarique vultu
Thura, messes et Cilicum Sabeas
Excipiesque.

Hec dabit princeps generosus ore,
Quo nitent are, simulachra, templa,
Quo boni mores, viget atque virtus,
Martis et arma.

Hunc amat nostri reparator evi,
Hunc timent hostes, validi verentur
Et duces, reges, reliquique laudant
Castra sequuntur.

Alter imbutus titulis Iule,
Sorte tam fausta genitus resulta,
Crescat in mores tua vita priscos
Caesaris oro.

Ille dilexit nimium Camenas,
Agmen amplexus dominus canorum,
Hactenus vixit periturus umquam
Carmine vatum.

Nerva Traianus? Nero quid disertus?
Obvius sacris quotiens poetis
Basium vultu fuerat sereno
Et dabat ore.

Ille quid lautus melius Lucullus?
Fecit in terris similis videtur,
Non mihi priscri (!) recitant poete
Hystorięque.

Emulus laudi fuit et Metellus,
Inclytus tanto similis decori,
Testis Archias Itacus (!) poeta
Voce disertus.

Ambo certabant dare tecta vati,
In domum vatem propriam volebant
Ut vocaretur Phrigius perempto
Nomine Graio.

Non minus debes spetiose pinceps,
Ut canant vestram modulando prolem,
Vel tui factum patris atque fratris
Sumere vates.

Si decus tantum facies sacratis
Vatibus, traddes (!) opulenta regna
Tam manu larga placidoque visu
Donaque Musis.

Tunc tuum vivet genus orbe toto,
Editum dextro mihi forte casu,
Cui licet vestra resonare semper
Nomen in urbe.

Sis tibi foelix, placidusque nobis
Largus et servis retributor unus
Nosce stat virtus humiles poetas
Splendide Princeps.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarię Bohemięque Regem pium foelicem semper invictum, Carmen Lyricum.

Principis laudes canimus Poete
Paululum plectro Cythara canora,
Cęsarem vati celebrare Clio
Tu dabis acrem.

Preliis audax, animum superbum
Gestat et mentem validus severam,
Fortius castris quatit et phalanges
Promptus ad arma.

Fulmen in terris Latiis et oris
Extat, antiquos cupit et triumphos
Iste, qui mores veteres novare
Preparat orbe.

Quid feram duri meritos labores
Martis hirsuti, peperit quid iste
Menibus, Turchos pepulit rebelles
Acrius arce.

Nullus armorum locus orbe restat,
Hic satis notus, melius peregit,
Sive in externas alio vel arvis
Undique victor.

Nunc parens urbis fueris Quirinę,
Caesar et foelix, pius atque victor,
Candidi patres proceres forumque
Rostraque poscunt.

Iam vale, o Numen populis serenum,
Advenis princeps, ducibusque nostris
Regibus sic imperioque sacro
Militibusque.

Cerne quid vates valeant periti
His licet Regum numeris notare
Gesta, quam sint carmine plura docto
Fortis Iule.

Da sacro vati ingenium profusum,
Tu potes Princeps, mihi non negabis
Qui tuum semper celebrabo nomen
Numine capto.

Te novum terris faciet beatum
Tempus et longe spatium senecte,
Sydera et magnis memorate divis
Vertice visa.

Victor et foelix maneas, amicus
Gentibus semper, populis et orbi
Te genus nostrum, iuvenesque parvi
Et puer orant.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie ac Bohemie Regem Sereniss. potentiss.que Carmen lyricum, qui alter Caesar vocatur ob eius merita.

Iam cohors docto naturata Phoebo,
Dulce lascivis numeris, tenores
Paululum quaeso tenuate Musę
Principe sevos.
Agmen in primis elegis dicata,
Supplico giros varia minores,
Aque (!) truncabis (?) placidus Thalia
Pro duce gressus.
Ut frequens passo studium solebas
Redde, nocturni vigilesque curas
Carminis, longos totiens labores
Principe vati.
Ista dependent Helicone tantum,
Iuribus vestris fateor poetas,
Et frui sertis viridique myrtho,
Frondeque Thymbre.
Ecce iam nostre monitor Camene
Surgit Augusto generosus ore
Caesar, et puris comitatus umbris
Provocat antra.
Hic premit voto propriore plectrum
Cantibus Princeps, pariterque iura
Dat novis, versus Latiosque maius
Reddit Iulus.
Te sine o Caesar studiis Latinis
Tardius Rector getici liquoris
Tradderet (!) numen, Cytharamque nullo
Pectine fulvam.
Iam veni Caesar cupidi precamur,
O diem festum tua Buda dicet,
Et tuas laudes memorabit ingens
Turba Bohemum.

Iam veni sensit Boreas triumphos
Aphricus novit decus atque vestrum
Inminens ponto titulos serenos
Et notus Auster.

Desides Caesar sine te Poete,
Pauperes extant sine te sorores
Non sumus, largus venit ecce Caesar
Alter Apollo.

Stabis in longum generose Princeps,
Tu meis vives numeris Iule,
De Dyoneum quoque Caesar alter
Sydus amabit.

Iam polo vectus sacra vota traddes,
Te colent votis populi frequentes
Et tibi laudes nurus omnis addet,
Templaqae ponet.

Tu libens princeps populos videbis
Ad tuas aras properare multos,
Thura portantes, iuvenes senesque
Et petit infans.

Numen o Caesar veniat precamur,
Sic tuum foelix, placidumque nobis,
Ut tibi gentes referant honores,
Turba det hymnos.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie Regem maximum qui summopere Musas colit, Poetarumque delitias amat et in dicendo varietates.

Pyndarum vates cecinere sacrum,
Maximum circha nemus et propinquum,
Publicum ludum Latiae cohortes
Ecce reducunt.

Quem prius Musis animus dicavi
Plorat, et vires pugiles reliquit
Phoebus, et nostri meritum liquoris
Litibus obstat.

Pulchrior stellis Veneris refixis
  In polo caste, potiorque signis
  Nunc dies letos olor impetravit
    Pro duce tanto.

Hunc mei cantus operose Regem
  Concinunt, talem melius putando,
  Cum dabit maiora poeta cantu
    Plectra soluto.

Me vides circumvariata flore
  Agmina, ornatis tunicis sorores,
  Et coronatas viridi puellas
    Fronde sedere.

Inter has mixti violis revincti
  Omnis exultim pariter iuventus
  Et locum prestant pueri pharetra
    Nobile compti.

Veste reiectis humeris cupido
  Crinibus pulcher crocea resultat,
  Gaudet et plenis iaculis, pharetram
    Tendere et arcum.

Iungit optatas renitens choreas
  Et parat multo violentus igni
  Non venenosas tenera sagittas
    Promere dextra.

Lusibus flavus mediis videtur,
  Aureum gestans caput et Cupido
  Comit et vultus veniens honores
    Addit honestos.

Ad iocos clamat positis querelis
  Et iubet Regi genio vacare,
  Cum licet, moeror procul hinc recedat
    Ille poetas.

Cum tibi tempus breve detur aevi
  Et frui parva modicaque vita
  Supplico Vuladislae tuo poeta
    Vive peremne (!).

———

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarię et Bohemie regem fortissimum pulcherrimumque carmen Phaletium, quo poeta timet ire ad tante maiestatis presentiam, cum ipse sit Rex doctissimus.

Quo nos Phoebe iubes rogamus ire
Indocti tenues rudes procaces,
Nil est quod timeatis ista vobis,
Non vos grammaticas manus severas,
Vulgi nec iubeo subire nasum,
Qui carpendo alios volunt videri
Arguti atque aliis disertiores,
Regis magnanimi sed illud acre
Docti iudicium, manusque amicas.
Hic est cui veteres novique cedunt.
Ludit seu pede dispari parique
Cantus ex Helicone fert canoro.
O dilecta duci, o beata Buda,
O foelix patria, et nimis beata,
Que gaudere tuo potes poeta
Phoebo carmina digna qui reponit
Torvo Mantua leta sit Marone,
Iactet Parthenope Papiniumque,
Et vates celebrent suos Iberi,
Tu gaudere tuo vales poeta.
Ille est regius, elegans, serenus,
Qui nunc Hungaricos canit Triumphos,
Magni (!) fulgurat arma Caesarisque,
Quid? cum disputat hic sophos latinum,
Sitque forma boni bonique limes
Qua vincat ratione quis timores.
Qua frenetus (!) amor cupidinesque
Et que membra sui beata virtus
Obiecit vitiis feris domandis,
Quid? si quando elementa vel polorum,
Causas materie canit fluventis (!)
Vivat machina quo soluta motu,

Et que vis animet disertus astra,
Et que vis tumidos facit recursus,
An luna? Oceani vel ipse ventus?
Callet quid ferat et mali cometa,
Callet virgilias, minax Orion,
Et cur Arthophilax sequatur Arcton,
Omnes hystoriasque fabulasque.
Novit quis trahat hinc, et inde nubes
Que vis impulerit notos furentes
Noscit denique Rex et iste doctus,
Fraterno maduere cur cruore
Urbis moenia, Romulusque qua re
Castas abtulerit viris Sabinas,
Discerptus manibus sit an suorum,
Et cur Roma vocat deum Quirinum
Noscit quid Numa fecerit, quid ipse
Ancus, quid reliqui, quid ipse Brutus
Pulsis Tarquiniis, quid ipse Cocles,
Astu tergeminos Oratiusque
Quot vicit Curios, quot una laeto
Dimisit Fabios dies, et ignem
Fortis Mutius ut tulit, quid ipse
Pyrrhus fecerit, Hannibalque saevus.
Noscit ceteraque referre longum,
Nostri gloria seculique Princeps,
Huius iudicium subite, nam vos
Quamvis rusticuli tamen probabit,
Et vultu leget ut solet benigno.
Largam nomine cui meo salutem
Primum dicite, fronte non pudenti,
Illi mox referatis ista verba.
Princeps inclyte, maximumque (!) regum,
O Rex optime nobilis serene,
Nos mittit reverenter ad te
Factus servulus et diem Michail
Vates, Aonios bibens liquores,
Indoctus licet et parum politus.
Quos ut fronte hilari legas rogamus.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie Bohemieque regem, pium foelicem et semper invictum, Carmen endechasyllabum, quo poeta rogat Musas, invocatque ut velint aliquid canere in hoc stilo, de victoria Pannonica devicto Maximiliano et reliquis hostibus Turcisque.

Nostrę Pierides favete linguę
Pimpleęque Libetrides adeste,
Et concentibus Isthimę sorores,
Seu vos aeream ungulam bibentes,
Huc fas currere hiantię Camęnę,
Pexis crinibus, ostreisque vittis,
Unguento bene sordidos amictus,
Compte tempora congeretis omnes,
Lauro myrtho, hedera recentiori.
Iam nos magnanimi canemus arma
Stilo principis et Remissiori,
Victo Caesare Maximiliano,
Victis hostibus, impiisque Turcis
Prisci gloria sanguinis videtur
Vuladislaus eques, serenus atque
Clarus, splendidus arduus et ingens
Rex inter reliquos notatus unus.
Princeps martigenum genusque patrum,
Prestans hostibus et pavor verendus,
Quid plus? hungaricas subegit arces
Telo nobile barbarosque Turcos,
Turres exuit acrior potentes,
Armis oppida contudit molestis.
Hic fas sistere, cantibusque veram
Narrare hystoriam furentis huius
Regis belligeri et decus triumphos,
Et quid moenibus eminente Turco
Audax egerit iste tam superbus,
Sed tu prima soror caput canoris
Que das incipe dulcius poetis,
Sensit, finieram, rogata fatur.
Urbs est Pannonico sinu locata,

Muris undique fortibus superba,
Pulchro Danubio, decens et Hystro
Sevis aggeribus vocata Buda,
Hinc stat ceruleis madens in undis
Urbs et perspicuum videt liquorem,
Dives terra, potens, ferax agrorum,
Illic Triptolemi quies remansit,
Fluxas obita cum rotas reliquit.
Hic accincta Ceres sinus refersit,
Suffecit cupidos satis ligones
Ipsa, Bacchus adest, bonus Lyeus,
Gaudens vitiferis honoribusque
Umbrat palmite sobriique ruris
Colles et latices suis racemis,
Hinc cedit Latium mero Falernum,
Tmolus pampineis decensque succis,
Et Metymna ferax fruens sapore
Leto, vinifera magisque Nysa.
Florens massicus et comes superba
Uvis setia montibus revincta,
Bacchei gracilis vel uva Gauri
Qui tunc Icariis comis ovabat.
Huc venere pares duces ad arma
Vuladislaus erat, secundus alter
Caesar, maior erat timor sub armis
Cum sevus ruerat potensque Turcus.
Hinc hinc conveniunt tuba frequenti,
Et tentoria sublocant utrique,
Decernunt vigiles, diesque ponunt,
Factis excubiis parare bellum,
Prefixas statuunt notas merendi,
Ductores proprium diemque servant.
Ambo magnanimi ruunt in ora,
Consurgunt acies, truces phalanges,
Stringunt lętiferos suos per arctus
Enses et gladii simul pererrant.
Truncantes miseros, (nephas) maniplos.
Sternuntur pedites furore adhesis,

Consumpti pluteis, iacetque vallum,
Crates, vinea, cum falaricaque,
Testudo subita cadit ruina,
Condensoque vigent cruore victi,
Certantum cumulo merebat actus
Vuladislaus equo, viros et arma
Subducto aggere maximus trahebat.
Portis arcuit arduus cohortes
Hostiles, clypeum manu coruscans,
Solus flumifere tuetur urbis
Muros, belligerum nurus adorant,
Infantes, iuvenes, puer, senesque.
Obsessi populi stupent, et unum
Inter milia dimicare tanta,
Quassabatque globos furente Turco
Compto murice nobilisque princeps,
Vuladislaus equo revectus acri,
Rursus classica perstrepunt et auras,
Ictu congeminant, cient feroces
Pugnas, aere vocant, virosque cantu
Accendunt vigiles utrasque partes.
Insurgunt pariter, simulque miscent,
Alternus resonat, gemitque clangor,
Dextras agmine conserunt parantes,
Virtutem exagitare fortiusque,
Et pulchrum memorant mori sub armis,
Omnes precipitant, dolos in hoste
Virtus insidiis sit an requirunt,
Et ius iudicium sibi ministrat
Unusquisque facit leges in armis.
Strages interea tepet cadentum,
Instant, eripiunt pudore terga.
Hę dum forte parant, eos tenebat
Inter tela satus potensque princeps,
Dixit, nonne pudet manus inermes
Vestras sanguinis hostiumque habere.
Hec sunt primitie mei sodales?
Fuso sanguine gaudet inter illos

His dictis, socii ducem sequuntur,
Et rumpunt inimica castra sevi.
O quam prevalidus micabat acri
Vuladislaus equo, secus nec ipse
Quam si belligero esset in Melampo,
Gargano veluti, timeret idem
Xanthus, Cyllarus, aut Arion acris
Donatus pelagi Deo; quid ultra?
Infrendens stimulabat ora prudens,
Ferratamque aciem, premebat hostes.
Princeps non aliter videre gnarus
Asper, terribilis, gravis, cruentus,
Ut cum Mars geticis vagatur oris,
Hebrum transiliens rotis citatis,
Indutus galeam, furit, patescit,
Conatusque novos furens Enio,
Aut Bellona soror quatit flagellum.
Post hunc egregii duo merebant
Prestantes Latio decore forma
Romana effigie indole et nepotum,
Banfi Canisai ducis sereni
Inmixti Nicholaus et Georgus (!).
Spes victoria turba non pericli.
Invadunt acies, suos lacessunt
Hostes, horrifici ruunt Bohemi
In Turcos, furiis trahuntur omnes.
Quantus Bistoniis Gradivus arvis
Fertur belligero aere tam corusco
Curru, cum domuit chorum rebellem
Et stridoribus axis horridisque
Titanes superum Iovem volentes
Regno trudere, cum docebat iram
Fastus Principis adnotare longum,
Virtus quanta fuit, decusque partum.
Illic percipe solus inter omnes
Vuladislaus erat potens cohortes
Strages quanta fuit, ferẹque mortes
Testis Danubianus rubens in undis,

Excessit proprias repente ripas,
Multo sanguine principum repletus.
Quot Turci cecidere tunc in armis.
Et Cęsar socii fugam dedere.
O quam clara dies tibi refulsit
Vuladislae decens, notanda hiberis
Fastis et memoranda cum lapillis
Et signanda manu Myronis ipsa.
Heuhan clamatio domus Bohema,
Rursus clamat Io, Hungarusque fortis,
Regem constrepit et simul Latinis,
Princeps heus age fame sic vagatur.
De te iam loquitur nivens Batavus,
De te Sarmaticus, Geteque Daci
Et Cathi, Rhodanus, iugumque Rhenus,
Captivas male sustinens cathenas.
Spectant Archades Insule remote,
Et circumflua fluctibusque Thyle.
Stantes et vitrię audiunt sorores,
Coniunx Oceani patris veretur.
Velox occiduas cucurrit oras,
Lustrans auriferos et inde Iberos
Et Tarthessiacos sinus adivit,
Hinc ad beticolas plagas volavit
Possessas truculentius tyranno.
Quem rex experius repressit ingens,
Ac nodis sua colla vinxit arctis,
Nostro tempore protulit fidemque
Nomen syderei sacrum tonantis,
Post hinc Sydonios repente fertur
Fines et Lybicos petit recessus.
Quos secto pepigit locos Elysa
Tauro, cum pretio novosque muros
Illic (si faciet fidem vetustas)
Optavit profugis superba tectum.
Mox et pampineos revisit Indos,
Tithonisque domum rubentis aure,
Regnum Memnonis et nuntians pererrat,

Heufratem graditur, videtque Tygrim
Ambo qui socio lacu resolvuunt.
Hinc ad palmiferam ferens idumen
Sic inde Enichios aditque Colchos,
Pernix Cappadoces, bonas Saphenas,
Demum Trinacrios sinus profecta
Ac Lestrigonios tulit se ad agros.
Quid plus inmoror? hec vagum per orbem
Nomen protulit ista fama Regis.
Iactent se veteres satis probari
In primis tyrius, trucesque Poeni
Nostris Hannibal unus hostis oris.
Heu pastus male sanguinem Latinum,
Rome perfidus et molestus arvis,
Laudant Aeacidem, duos Atridas.
Et Pyrrhum cum Itaco pelasgi Ulixe
Tollat Troia suum Hectorem Parimque
Et qui Dardanios tulit penatis.
Ingens in Latium, sacramque Vestam.
Aut Anthenora dulcius sub oris
Sedes Illyricis suas locantem,
Et tellure vagum probent Achivi
Cursu signa tulit potens in omni,
Et cui pervia Bactra num Dacheque
Parebant dominus, bibitque Gangem.
Clarus Scipio qui redire iussit.
Cuius consilio ducem coegit
Vastantem Hannibalem Italas minas.
Alter perpetuo decore dignus
Tristes imperio duas et urbes
Qui delevit, habet notas triumphi
Paulus, Lucius, omnibus tenetur
Gestis egregius magisque notus.
Persen qui valuit fugare magnum,
Et curru religare Regis ora.
Pompeius popularis inter omnes
Ponatur melior decentiorque
Cuius res penetrant vigentque geste

Contente bene terminis Olympi.
Tot currus Capitolio tonantis
Gessit tam decoratus ille Magnus
Hic Tauros Cilicos feros subegit.
Huic pars nulla vacat suis triumphis.
Hinc tollat titulos alumnus urbis,
Qui splendor fuit aureique sicli (!),
Et Messalla suo feratur hoste.
Corvino pariter pius Metellus.
Extendant opulentius Lucullos.
Crassis divitibus, ferum Camillum
Victorem patrie furente Brenno.
Aeterna Marius fruatur aura
Cymbros qui pepulit superbus hostes.
Hic ille asseruit metu Quirites,
Terris depulit et iugum Latinis,
Has inter poterunt tui triumphi
Laudes, aut aliquo loco morari
Maius gloria continens nepotes.
Mater lassa Lini satis loquuta
Regem conticuit, revisit antra.
O spes Pieridum, chelis canore.
O plectri Cythare, lyrę volumen.
O spes Romuleę meę Minervę.
Princeps deprecor alitis superbe
Vivas tempora Nestoris, Sybille.
Aut annos Priami, diesque vivas,
Invictus, pius, et beatus unus.

Ad eundem divum Vuladislaum, Hungarie et Bohemie Regem foelicissimum et semper invictum, Carmen lyricum, quo poeta rogat Budam urbem ut velit deo gratia agere, pro tanto principe in regem suscepto.

Buda devictis spetiosa tectis
  Hostibus, mecum meritum superno
  Gratias dignas referes tonanti
    Pro duce salvo.

Victimam debes etiam sacrare
Candidam puris operosa templis
Et focos largo cumulare fumo
Sanguine fuso.

Egit an nescis melius merendo
Quid? feros fudit violenter hostes
Caesarem dextra validaque vicit,
Castra sequentem.

Perdidit sacram superatus illo
Lauream Caesar, diadema fulvum,
Et potest nullo redimi decore
Principe forti.

Nos Duci currum dedimus sereno,
Quatuor vectum niveis per urbem
Sic equis, toto populo recultus
Aureus ibat.

Carta demonstrat variata signis
Et figuratis maculis notata,
Regis ostendens celebrem triumphum
Pictaque laurum.

Cernitur toto veluti Myrone,
Et laborata vigilanter arte
Facta dependens nivea quadriga
Pompa relucens.

Hinc cathenati varii trahuntur
Nobiles, tergo manibus revincti,
Fronte demissa revehuntur idem
Colla tenentes.

Emicans princeps animosus illos
Spectat humanos acies retorquens
Et pio vultu iubilat videre
Agmina capta.

Illa prostrato Dominum tuentur,
Vertice, ardentem tunica decenti,
Atque virgatas studiose vestes
Murice fulvo.

Ergo tu tanto decorata rege
Buda, fumosas properanter aras
Redde, vos patres pariter Bohemi
Ungaricique.

Hoc rogant mecum mare, terra, coelum,
Hoc petunt mecum proceres Latini,
Hoc volunt oracula visa mecum
Vatis et antra.

Mars vocat mecum, melius Quirinus,
Quid tibi maius poterit putari
Munus? in tanto bene grata Rege
Inclyta Buda.

Finis.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie Regem potentiss. sereniss. splendidiss. Triumphatoremque maximum liber quartus eiusdem poete.

(Aranybetű, vörös alapon.)

Proxima Tarpeio nunc spectas flavia monti
Roma, nitent coelo condita templa suo.
Illa micant variis divum depicta figuris
Phidiaca vigilant marmora sculta manu.
Parte sedet media solo subnixus eburno
Iuppiter hinc aderat Ianus in ore biceps.
Inde Quirinus erat pueros lustrare Laconas
Cui datur, et Martem noscere posse suum.
Post erat Aoniis precinctus Apollo Camenis
Iudice qui plectris temperat aure sonos.
Hinc Venus et Iuno, Cybale stat Delia Pallas
Et Ceres et sacri lumina viva laris.
Parte alia tenuem iactabat legibus urbem
Ocia qui Tullus fregerat ille Numa,
Hos iuxta sequitur populo studiosior Ancus,
Si cupis in regno discere quartus erat.
Inde subibat avos proles Tarquinia reges.
Intulerat castoque nimis ausa thoro.

Consulis imperium cum Porsena stabat in arce
Extinxit natos qui nova bella dabant.
Hinc Decii, Drusique micant, nimiumque severus
Torquatus referens gessa (!) Camille tuus.
Discordes inerant cognatis ausibus umbre,
Hinc gener instructus, bella ciere socer.
Unus ab Alpinis remeabat et arce domantis
Alter ab Eoa promptus ad arma plaga.
Nec procul ipse Cato, Cossus, Fabiique perempti
Fulmina serrano cum duo Martis erant.
Fabricius Gracchique genus, Marcellus et ille,
Qui stravit Poenum, cum Rhodanoque ducem.
Septimiusque ferox, audax Antonius armis,
Et que sollicitant actia bella virum.
Hos inter comites astabat clarior ore
Vuladislaus avos inter et arma deos.
Ore suum fratrem spectabat Ianus amico
Albertus veteres et bene cernit avos.
Cedite templa rogo, calvo fabricata Nerone
Cedite Gorgonee tecta dicata Deę.
Quamvis sola manet gens magne flavia Romę,
Una tamen Regi sacra ferenda puto.

Ad eundem divum Vuladislaum Regem gravissimum Epigramma quo poeta precatur deos, ut illum ex hostium manibus inpuris eripiant conserventque.

Vivi templa foci que Romę maximus auctor
Auxit Martigenę numina vestra peto.
Laomedontis opes rapuit quas Troius heros
Argolicis flammis vos precor ore pio.
Tu quoque, Iane pater, Pallas o vertice nata
Summo, lanigera Iuppiter arce sedens.
Et soror adiuncti gaudens delubra tonantis,
Frater Amyclei Castoris inde fave.
Hunc regem servate malis, servate periclis,
Hic erit in tota maximus orbe deus.

Iam volet aurati Capitolia scandere tecti
  Princeps, sunt meritis ista parata suis.
Inclyta purpureis dominus bene retulit annis
  Nomina, consuetum fascibus egit iter.

Ad eundem divum Vuladislaum Regem de convivio habito in letitiam et memoriam adepti regni Pannonici victo Maximiliano.

Nuper in arce fori vidi discumbere patres,
  Perfusum mensis undique nectar erat.
Hinc parte ex alia convivas noster habebat
  Vuladislaus avos, dum meliora putat.
Illico decessit, convivia portat ad astra
  Iuppiter et dominos clamat in astra deos.
Invitator adest et Principis atque Tonantis
  Aeneadas pariter sydera nostra volunt.
Hęc responsa dabant propius sic astra manerent,
  Longius a terra si bene tecta forent.
Iuppiter inquirat malint qui prandia coelo,
  Nos alit egregius Rex meliore cibo.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie Regem potentissimum de victoriis eius notandis in palatio deaurato.

Atria dispositis annosa micantia ceris,
  Dum legerem Hectoreos testificabar avos.
Non tibi contigerit Reges spectare superbos,
  Haudque triumphales Dardana turba duces.
Aphrica Scipiadas de se clamaverat hostis,
  Publius et domitas traxit Isaurus opes.
Hunc Numidę illustrant, alium Messana nepotem,
  Atque Numantina quod stetit arce decus.
Et mortis titulum tulerat qui nomina Druso
  Rhenus habet, misero quam brevis ille fuit.
Quot numero gentes, torquem si credis ademptum,
  Numina (Nuntia?) Corvino tam bene venit avis.

Vuladislaus avet si tot cognomina sumet
  A populis victis et prior orbis erit.
Da modo candentes victas Ungaria dives
  Qui vel ab Augusto vel Iove numen habet.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie Regem invictiss. de suorum meritorum observantia et relligione.

Idibus altitonans patres dum viscera libant,
  Divisit fibras Iuppiter ecce suas.
Ad te propensę fumant altaria matres,
  Et lustrant alba templa dicata bove.
Nec desunt matres ducantque pacis ad aras
  Natos et castas crine decente nurus.
Hungaricis decorat tua frondibus inclyta terra,
  Mitis ut in tota stes regione deus.
Iam te populea spectantem rostra corona.
  Cernet et Herculeas ore pavente feras.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie regem splendidiss. fortiss. pium foelicem et semper invictum.

Summe Caledonii Pelleia gesta repultans
  O princeps, Domini Sarmata pila timet.
Prostrares iterum Nemees cum arte laborem
  Aut Erymantheum perderet ensis aprum.
Regius ambit honos Tyrinthia limina, qualis
  Stimphalus docuit pellere posse nives.
Nunc satis et nimium princeps tu vincis in armis,
  Belliger Hectoreos inter habende duces.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie Regem splendidiss. de inclyta praestantiss. eius fama.

Notus in orbe satis fama pervenit ad astra
  Hic princeps, reduci, qui tulit arma Iovi

Nec maiora puto spectarunt ora Quirites
Nusquam fronte precor regna tuere gravi.
Tu Venus es Pallas mirabitur ora Quirinus
Crede mihi nimium cum Iove magnus eris

Ad eundem divum Vuladislaum Regem inclytum, sub cuius iubare tota Hungaria et Bohemia coruscat triumphatque.

Aurea regna fovent hoc principe stante Bohemi
Et preciosa sui Pannonis ora ducis.
Emicat Oceanus iam nullo turbidus Austro,
Spargere nec fluctus Plias iniqua potest.
Tendit in Assyrios tutus cum remige portus
Navita, ad externos haud timet ire locos.
Iamque vagum pelagus pacabit belliger ense,
Noscent Herculeas barbara bella manus.
Caesar et ille vagus, iam victus sponte sagittas
Damnat et in volucri fractus adheret equo.
Impia gens paret, populus tibi templa dicabit
Cernet Apelleas terra opulenta notas.

Ad eundem divum Vuladislaum Regem de fama comparanda cum gestis ducum Romanorum.

Inclyta Romuli dum taceant exempla nepotum,
Vel data Tarpeio rostra superba foro.
Fulmina Scipiadum penetrantque culmina Olympi
Cessent belligeri fortia Martis erant.
Ille etiam tellure vagus qui ponte niphatem
Pelleo astrinxit, Gangen et ore bibit.
Foelix Eacides, terram, mare, sydera nactus,
Heroum effigies, currus et arma silent.
Vuladislao omnis Phrigiis memorabilis uni
Cedat honos, cedat laudibus ara suis.

Ad eundem divum Vuladislaum Regem inclytum invictiss.que de animi ipsius magnitudine.

Hungaricę gentis declamas tempora et artes
Inclyte Rex, multum qui fera corda domas.
Pannonis ora tibi, maius parat inclyta Roma,
Terra decus, facto gaudet uterque ducum.
Bethis in Hesperia, mixtis Germania Gallis
Perdomito Rheno principis arma ferent.
Natus Idumeos poterit spectare triumphos
Rex, Capitolinum noscere et ipse Iovem.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie regem magnanimum paterna indole insignitum.

Maxima Polonicis proles bene nata sub oris
Conspice magnanimi Regia sceptra patris.
Submittet pater auricomos Rex magne Batavos,
Promisit pariter sternere Bactra, Getas.
Tu modo palmiferum precellens robore idumen
Coge, pharetrati Regis et arma feres.
Et tua laurigeris ostendet palma Bohemis,
Inde frequentabunt alta trophea nurus.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie Regem maximum de hostibus fractis precipue Maximiliano pacata Pannonia.

Dulcia pacator longę das ocia Bude,
Et claudis rigida candida templa sera.
Concurrunt avidę gentes altaria adorant,
Et bene pro votis dona opulenta ferunt.
Quantus in Oceano fuerat conventus (!) ad aras,
Venit, et invicto pro duce turba litat.
Tu celsus solio dum mittis fulmina in hostes,
Qui nescit, magnum te putat esse Iovem.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie Regem inclytum, de animo habendo in hostes maxime in Turchos.

Bellipotens Histrum glacialem comprime Princeps,
Et Geticam Peucen, et loca dura situ.
Nunc regere Odrisios Mavortia pectora currus
Gliscent, Gradivi tu quoque bella paves.
Optantem Iuvenem licuit descendere ad umbras,
Ut vindex patrię staret et ultor avi.
Non reputant annos fortes ad bella Quirites,
Sed bene consulto dant sua pila Duci.

Ad eundem divum Vuladislaum Regem nobilissimum de eius fama per universum fere orbem penetrata, et maxime devicto Caesare Maximiliano.

Pervaga Sarmaticas penetravit fama sagittas,
Venit ad Etholas laurea tanta domos.
Ad Rhenumque Getas, Dacos, percurrit ad Histrum,
Alter Hiperboreos et parat ire locos.
Publica Germanos testatur fama triumphos,
Invictumque ducem barbarus omnis amat.
Clamat io Latium votis poscentibus arma,
Rursus io strepitat Cęsar in orbe magis.
Es bene letitię et lusus nunc conscia Buda,
Cernis et armiferi gaudia magna Ducis,
Nomen ad astra tulit, propius videt illud Olympo,
Hic princeps, paphio qui tenet igne comas.

Ad eundem divum Vuladislaum Regem magnanimum Carmen phaletium quo poeta optat sibi longam vitam.

Annorum genitor bicepsque Iane,
Qui claudis rigida seraque templa,
Victorem modo martis et quietis
Optantem sibi quam satis superbos

Vultus, egregium vident Bohemi
Illic et dominum inclyti frequentant.
Rhenus cum Rhodano ducem verentur,
Terrarum pater est, deoque gratus,
Huic Regi Piliam dabis sgnectam
Sacro Iuppiter o micans, rogamus.
Pro te principe sic volo precari,
Numen Iane tuum puta sodalis
Hunc dices oculos tuos habere,
Spectantes fora, sedis et senatum
Tarpeę Iovis et iugum monetę.

Ad eundem divum Vuladislaum de templo fortune sibi construendo in colle iterum Quirinali.

Illa dies iterum sacrata est colle Quirini,
  Fortunae tulerat que nova festa deae.
Caesar Agenoreis victor cum venit ab oris
  Regnaque fallacis contudit ampla Iubę.
Publica templa dedit, ludis ut sepe frequentent,
  Sintque Quirinali sacrificata iugo.
Nunc delubra vides, etiam venerata Sabeis
  Nubibus, Idei dant quoque thura patres.
Ipse hac militia populos submitte rebelles,
  Vincentur dextra magnanimique duces.
Iura feres Rheno, stabit gens Gallica sceptro
  Iuncta tuo, leges ponet et arma toga.
Glorior armipotens repetant quod festa Bohemi.
  Letor et officiis demeruisse nimis.

Ad eundem divum Vuladislaum regem optimum admonitio, si aliquando contingerit (!) se in externas conferre Regiones.

Princeps Sytonios nuper venture Triones,
  Aspicies ursę sydera pigra tuę.
Inde Prometheas cernes et fabula ruppes (!)
  Quod montis memorat vix adeunda loca.

Scilicet huc adeas, rimantes viscera rostro
  Caucaseas poteris fingere tristis aves.
Tu tamen adstringes religatum rupe cathenis,
  Et dantem poenas criminis esse reum.
Finxerat ille genus, saxo post terga reiecto,
  Penituitque manus excoluisse viros.
Sic tu devinctum Turchum perstringe cathenis,
  Hoc est quod moneo, me monitore frui.

Ad eundem divum Vuladislaum Regem sereniss. de suarum divitiarum magnitudine famaque maxima de sua munificentia.

Maxima versatur de te vaga fama per orbem,
  Quod tu Romulidas dives in ęre premis.
Et superas crassos, poterant qui traddere (!) luxus
  Dardanios, nequeunt te tribuente tamen.
Non opibus certant Crassi, lautique Luculli,
  Quos in Apollineo fercula mira probant.
Dives Tuscus erat segetum modo carmine cultus
  Et quem presserunt tela Neronis eques
Vincis et auriferas Pactoli solus harenas,
  Atque Tagi, nullus stat comes ecce tibi.
Aurum Fabricii, nec tu contemne Camilli,
  Et genus et nomen, divitias et habes.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie Regem sereniss. admonitio si aliquando navigare contingerit per mare exterum.

Visurus gelidam princeps si leserit Arcton.
  Unda freti, suberit Parrhasis ursa tibi
Vel tu Sydonias transibis belliger oras
  Aut Elice puppes vel Cynosura reget,
Ultra si tendes Athamantidos aequora remis,
  Queret navigium Phryxus ab Helle sua,
Aut Phariosque sinus certe tentabis et undas,
  Andromedeque ferent gesta corona vias.

Vel duo si scopuli rapient et Scylla Carybdis
  Tutus confugies inter utrumque fretum.
Iam bene percipimus quod rerum sceptra tueris,
  Parent magnanimo si duo regna duci.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie Regem potentiss. de eius presentia regali que ceteros reges duces principesque antecellit.

Qualis Olympiacis divos superemit (!) (=supereminet) [oris
  Iuppiter et Pallas vertice nata deas;
Qualis Amycleos perlucet Castor honores,
  Aut Hecatae medię sydera vincta duo;
Qualis in aethereos apparet Phosphorus ignes,
  Cum Paphium laxat nocte tacente iubar;
Qualis et ad bellum Reges fulgebat ituros,
  Archas Agenenoreum (!) rarus in orbe decor;
Qualis et Aeneas Troiam superare coruscam
  Cum tulit hospitium sanguinolenta tyros;
Qualis odoratis spectatur Apollo camenis,
  Cum Pateram aut Lyciam Delon et ire parat,
Qualis et e turba volucrum cythereus habetur,
  Provocat ut fratres ore manuque levi;
Maxime cum pendent humeris fulgentibus umbrę
  Aureus Ismaria fertur in agmen ave:
Sic tu belligeros superas, cum vertice reges,
  Et claros equites, fortis et ense duces.
O qualis coeli facies? an fluxit Olympo?
  Numine tam sancto conspicienda manet.
Si bene metimur superi tua vota verentur
  Vuladislae potens et genuisse virum.

Ad eundem Vuladislaum divum Regem Hungarie et Bohemie invictissimum de mira eius potentia et numine.

Quid referent superi! votis te quisque fatigat
  Princeps, Aonii maxima cura chori
An succensuerit nobis (si credimus aris)
  Iuppiter, in vestris stant sacra prona focis.

Astra, dei, populis et vos quecunque valetis
Fulva dare, officium principis istud erit.
Poscimus hoc unum nostro pro principe vobis,
Alitis ut longos impleat ipse dies.
Vincat et Euboicos semper foelicior annos.
Transeat et Pilium faustus adusque senem.
Nil aliud volumus, terris quodcumque necesse est
Altitonans, princeps contribuisse potest.

Ad eundem divum Vuladislaum regem pium foelicem epigramma, quo comparatur aquile, et leoni, qui in nobiles nisi greges seviunt.

Inter qualis aves volucrum Regina veretur,
Fulminaque superis apta ministra geri.
Ira reluctantes aquile nisi seva dracones
Perfurit, et viles impetus odit oves.
Quadrupedum fulvę qualis rex matris ademptus
Ubere degeneres effugit ore greges.
Sic tu belligerę rex invictissime gentis,
Non facis inbelles fortis ad arma viros.
Non nisi nobilitas claros habitura triumphos
Sevit et in promptos non nisi castra duces.

Ad eundem divum Vuladislaum regem prestantiss. liberaliss.que de suorum maiorum similitudine.

(Zöld tintával.)

Quam tua persimilis spectatur ymago superbi
Principis, o princeps hec tibi restat avi.
Per te vivet avus, merito tu grande mereris
Nomen avi tibi deest nil nisi nomen avi.
Mores, fama, decus, mens et presentia larga,
Regia frons, animus, par quoque corpus inest.
Templa tenent currus testantes fortia Regis,
Facta nitent spoliis, nunc et onusta suis.
Aureus et sacrum demonstrat currus honorem,
Ille micat gemmis, tuque decorus equis.

Hos actus imitare rogo, monumentaque patrum
Concipe, tam similem te decet ista sequi.
Si facies toti vives gratissimus orbi,
Carmina cum gestis vivere teque sinent,
Dilige perpetuos princeps super omnia vates,
Te ponent superos inter et astra duces.
His sine non poteris princeps extollere nomen
Vatibus an quam sint scribere plura licet.

Ad eundem divum Vuladislaum de eius fama que Rome maxima est, et ubique predicatur, de Caesare superato et de victoria Pannonica.

Quanta Quirinalem crevit iam fama per urbem,
Quantaque per populos ivit adulta vagos.
Fama diem pregressa suum, theumantida cursu
Archada cum volucri liquit in orbe volans,
Non tantum tenues saturnia virgo per auras
Nunciat, in pictis cumque videtur aquis.
Nec qui de celsis virga Cylenias astris
Mittitur, a magno cum Iove iussa capit
Qualem te princeps superi, gentesque benigno
Spectavere die, cum tua fama fuit.
Obstupuit Boreas, ortusque hibernus et arctos,
Sic obitus, per te gaudia festa tenet.
Exhilerant ipsum plausus tot credo tonantem
Quos cuperent tecum promeruisse poli.
Et quid Roma facit? subitis coelestia flammis
Terruit accensis ignibus atque deos.
Singula si numerem, sudabant astra favillis,
Sola suum poterant sydera lumen aquis.
Non mirum, et superos homines tibi reddis amicos,
Vuladislae, viros inter habende pios.
Proque tuis meritis princeps te turba frequentat,
Semper amat, claros et pia turba duces.
Sicque sacerdotes meritis veneratur et aris
Ille bona divos qui colit ecce fide.

Ad eundem illustriss. Hungarię Bohemięque Regem Vuladislaum, quem poeta nomen ab arctophylace veloci stella habuisse arbitratur.

(Zöld.)

Arctophilax nitido demisit nomen Olympo
Et dedit egregio quod setit (!) ante duci.
Hoc nisi portendit multo regnaberis aevo,
Cum patruis, atavis et seniore patre.
Hunc regem virtus celestis ad efferet astra
Transcendetque suos indole clarus avos.
Et patris hunc iuxta radiabunt tempora natum,
Sumpserit ut coelo tarda senecta patrem.
Foelicesque vos genuistis in orbe parentes,
Hostiles terras qui reget ense suo.
Cresce tuos annos primo delebis in aevo
Germanos, Turcos atque rebelle genus.
Bellatrix cicius cupit ista Bohemia princeps,
In patrios mores erudiende potens.

Ad eundem inclytum Regem Vuladislaum de ipsius preclarissima indole et de eo spe habenda in posterum.

Sit puer Aemilius tenera qui perdidit hostem
Indole virtutis tunc elementa refer.
Testis eris Marco iuveni tu Quinte Popedi,
Cum vetuit votis id licuisse tuis.
Cumque salutandum venisses maxime Syllam
Illa fuit gravitas inmoderata Cato.
Hoc nihil est, ultor potuit quid denique Caius.
Obtulit ętatis signa futura suę.
Sic Alcibiades presignis flore Iuvente
Vestibulum doctę sprevit ut ante dee
Quid moror exemplis faciem dum specto sereni
Principis et visus per sua membra fero
Natorum memores vultus placet usque tueri
Ecce duces princeps terruit ore novo

Iste sua Geticam placaret fronte iuvencam
  Sarmaticam pariter vertice mite feram,
Non dotes numerabo tuas nec corporis umbram
  Quod cernam maius tu nisi maior habes.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie Regem potentiss. epigramma, quo poeta indicat esse sibi quoque templa et monumenta sacranda.

(Lilaszinű.)

Sit sacrata suo quamvis Dodona tonanti
  Et Iovis uxori Grecia sitque Samos.
Vel sua fluctisono licet hec sint numina regi,
  Gratior anguiferę sit quoque oliva deę.
Phytius (!) aut habitat pharetra seu carmine Delphon,
  Delia vel Creten, Cynthiacumque nemus.
Menalon et Phaunus pastorum cultor honorat,
  Faustaque cum domino sta Phaetonte Rhodos.
Tibur et horrendo sedes gratissima monstro,
  Gadibus Herculeis et data signa diu.
Et celeri dilecta deo, domus inde nivosa,
  Sęva cruentatis Lemnos et ipsa thoris.
Aetneęque nurus Cererem, quę thure frequentant
  Et natam Stygios que nec avebat equos.
Formosęque Paphos Veneris simulacra vaporat
  Ut fuit undoso diva reperta sale.
Flavia templa potens huic Regi construe votis,
  Roma tuum castris iam bene numen habes.
Vati grata tuo, semper ditissima tellus
  Principis, et Regis, cum prece templa cole.
Insidias depone tuas opulenta feraxque
  Pannon de meritis facta decora ducis.

Ad eundem divum Vuladislaum Regem pium et serenissimum epigramma, quo poeta demonstrat ipsum esse alium Caesarem.

Alter Caesar ave, quo non illustrior alter
 Temporibus nostris, nec fuit ante reor.
Dicta laboratę numquam peritura Thalię
 Et sparsum nitidis sume volumen aquis.
Nam ocio (nec fallor) possunt tibi serta placere.
 Phocidos et nostrę facta perita lyrę.
Hoc si, perpetua vives sub ymagine vatis,
 Et per te vivet carmen adusque suum.
Nam famam vitamque dabis, nostroque labori
 Nomen et Aonium turba requiret opus.
Illa frequentabit, fructus decerpet adultos,
 Flumen et aerei noscere discet equi.

Ad eundem divum Vuladislaum Regem pium foelicem, semper invictum, epigramma, quo poeta vult describere eius nomen et gesta.

Conticeant veteres narrare poemata reges,
 Fabula cum fastis hystorięque suis.
Vel sileant priscos vates memorare triumphos,
 Marmore, quos victor sepe notabat eques.
Et quę Tarpeia servabant sanctius arce,
 Et decus et nomen parta trophea duces.
Si licuit versu describere gesta parentum,
 Riteque grandiloquo ludere facta sono.
Nunc quoque me liceat modulari nobilis arma
 Principis, et nomen quod bene Roma colit.

Ad eundem divum Vuladislaum Regem fortissimum, de eius fama quomodo creverit Rome.

Magna per Ausonias tua fama increbuit oras,
 De te iam loquitur Martia Roma duce.

Terruit et clausos crescens magis illa Britannos
Orchades admote non minus acta timent.
Quid tibi nunc potuit terris nihil ipse reliquit
Prodere iam superos restat adire deos.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarię et Bohemie Regem sereniss. qui alter Caesar habetur in mundo, et maxime aput Romanos, ob victoriam Pannonicam superato Maximiliano.

Alter in Ausonio Caesar nunc orbe renatus,
Quem modo cum votis templa opulenta colunt.
Letus in attonitum servire ferocius Histrum
Cernitur et famulas iam timet Hister aquas.
Et pavet Assyrius tanto sub principe Medus
Quid facit Arctous quem notat arcus ovans.
Raptor odoratis pariter Gangeticus armis,
Credidit Hircanos te penetrasse lares.
Per te captivi nunc mittunt frena colores,
Et vigilat curru tygris adulta tuo.
Heu age laurigeros princeps tua fama triumphos
Vincet, Romuleos inter habende deos.
Alter eris tellure vagis mihi credito princeps,
Purpureum fundis sufficit ore iubar,
Invadet tecum terras animosus in armis,
Albertus, sine quo non bene castra forent.
O frater, furiose armis tibi fortia cedent
Castraque devictis sepe petenda viris.
Vuladislae tibi poteris coniungere calvos,
Spiritus augusti qui fuit ante, tuus.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarię et Bohemię Regem fortiss. de fama incomparabilis prudentie eius.

Vuladislae sciens si fama resultat in orbe,
Quid restat meritis crescit eundo tuis.
Iam cedunt Latii mores, veteresque triumphi,
Caesaris, addatur fama secunda tibi.

Ista triumphales modo nunc fuscavit honores
  Fama, quid optanti laurea ferre potest.
Nosse Gete cuperent, cuperent te noscere Perse,
  Memnonis et gentes, Armeniique vagi.
Forsitan Ausonię peterent te nosse cohortes,
  Cum Rheno et Thiles littora nigra volent,
Insontes monstrent pharetras, Parthusque remittit
  Arcum, permulcet sponteque victus equos.
Eia age Romuleos rex exultabis in actus,
  Ostendunt leges, armaque iusta togę.
Tu pacem tribuis terris, et tela Bohemis
  Tu libertatem protegis ense suam.
Si libertatem defendis splendide princeps,
  Quid tibi persolvet terra opulenta satis.
Magnanimi te gesta movent repetita parentis
  Hoc puto, cum superas inclyta facta patris.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungariae et Bohemię regem excellentiss. epigramma, quo poeta hortatur, ut divitias negligat et sola litterarum monumenta consequatur.

Quid tibi divitie, quid avarum proderit aurum?
  Quicquid et ex arvis pallidus astur habet.
Vel quod Memnoniis Indus scrutatur in algis,
  Undaque Callaici sic opulenta vadi.
Unica quod volucris nidis renovata reponit,
  Aut quid odoratis arsit id ante rogis.
Quid toga? Quid tunice? quid pallia? serica? vestes?
  Eruta quid prodest gemmaque? culta Tyros.
Hec nihil, asseruit totiens mors improba, dixit
  In cineres verto que preciosa manent.
Imperium commune dedit mihi Iuppiter uni,
  Temperet ut nobis quod mare, terra parit.
Hoc mihi deest unum nequeo quod carmina Vatum
  Rumpere, sed durant me prohibente tamen.

Sperne superbificos steriles sunt denique cultus,
Omni, crede mihi, parte beatus eris.
Hoc in te vitium non regnat habebis honores,
Stabis et in claros non moriturus avos.

Ad eundem divum Vuladislaum Regem de venatione sepositis curis.

Tu modo venaris tacita cum fraude molossi,
Nunc cupis aereos sollicitare canes.
Et lepus ille vagus, celeres sic ordine damme
Tendunt in casses, preda redacta tuos.
Quot graviora cadunt animalia, collocat hasta
Vastator Nemees, et pavet Archas aper.
Prandia scrutando si sumis, lauta supellex
Miratur tecum discubuisse feras.
Astra domumque tulit Tyrinthius en tibi princeps,
Quicquid et in terris gloria rara fovet.
Coelum semper ama, meritis dignissime regum
Pro tantis, tradet maxima fama decus.
Aurea spectabis senio confectus et astra,
Regna poli virtus inclyta tanta feret.

Ad eundem divum Vuladislaum, Hungarię et Bohemię Regem invictiss. epigramma, quo poeta conqueritur, diem nimis sero redire, cum longo desiderio Budę expectetur, superatis hostibus.

Lampades Aetheę venturo Rege coruscum
Ferte diem, Paphium tu quoque redde iubar.
Tanta Bohemorum tardas cur gaudia Phoebe,
Non possunt vestras plus tolerare moras.
Hungaricis inmitte diem Titonia terris,
Hoc istud facias secula tota rogant.
Iam propera, nec lenta veni, sed Memnonis alma
Igne tuo croceo curre vocata parens
Regis et adventus etiam quid pigra moraris?
Nunc avet illustrem cernere turba ducem.

Num quid plaustra vehunt placidi Tithonida signi,
Vos męsti rores prodite queso mihi.
Si verum, cur ipsa tenet Titana micantem,
Ecce volunt Phoebi frena nitentis equi.
Si modo deficiunt poterit subiungere curru,
Cyllaron, ipse libens aurea dona trahet.
Iam propera celerante die nox atra recede,
Tarda locum rutilo sydera ferte deo.
O quam festa dies venienti principe ad urbem
Cras erit in speculis urbs opulenta ruet.
Hos iterum cuperet Phlegreos pompa triumphos
Ista et Erithreum maxima Bacche decus.
Ferret Hyperboream pariter concernere laurum
Purpura, et Ęoum digna videre latus
Deficiet validis nec te veniente Bohemis
Nocte licet venias Rex venerande dies.

Ad eundem divum Vuladislaum Regem Munificentiss. de convivio celebrato Bude post victoriam Pannonicam devicto Maximiliano.

Lauta licet memorem convivia grandis Elysę
Traddita (!) Pergameo pocula grata duci,
Alcynoique dapes monstrant mea plectra superbas,
Aequore quas lento sumpsit Ulixis edax.
Velque tuos laudem mense Germanice luxus,
Aut epulas ilares, deliciasque Iovis.
Vel quas Hannibali rerum qui perdidit arma
Terra dedit prisco nomine dicta Capys.
Umbrarunt veteres mensas nova gaudia cenę
Qui tenet, a magno nomen et arma duce
Nectit odoratas pariter mea Mantua laurus,
Et probat illustres Rex celebrande dapes.

Ad eundem divum Vuladislaum Regem illustriss. qui semper optat Musas et carmina.

Qantum erit Aonio satur hoc epigramma lepore,
Luserit armifero cum bene casta duce,
Iste novos elegos Romanę plectra Minervę
Semper avet, nostrum sepe frequentat opus.
Optat opus numeris centum, si conscia sylva
Mille daret, cuperet tam magis ipse sonos.
Nec pia cum Phoebo saturaret turba parente
Pindarus, et Gorgon corruat inde licet.
Attamen et versus lusus epigrammata cantus
Semper et huic regi fons Aganyppe dabis.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie Regem potentiss. quo Poeta rogat ut poesim diligat.

Vuladislae tuum solita pietate poetam
Suscipe, nam domino plectra placere putat.
Carmina sunt quamvis (queritque gloria dulcis)
Parva tibi, magnis laurea nostra vacat.
Ludere nec tenui versus meditatur avena,
Sed cupit andina scribere gesta tuba.
Nos tibi cura sumus, vives sub imagine nostra,
Flavia preterea te quoque templa colent.
Inclyte doctiloqui relegent tua facta Latini
Et dicent semper Maximus ille fuit.
Vuladislaus adest nullo periturus in ęvo,
Stet precor, ad superos vita perennis eat.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie Regem pium foelicem semper invictum, quomodo eum castra sequuntur, et Turci parent, tanto eius Maiestatis numini.

Iam Turci dominum noscunt, et castra sequuntur,
Inque ducem proprium flectere vota student.
Ecce ruunt domitę demisso poplite gentes,
Imperio parent et pia turba litat.

Externi venere viri, petiere remoti,
  Magnanimo regi quo bona thura darent.
Iam volat extremius (!) Turchus, Germania, Pannon,
  Sic et Achemenius Bethis adurit odor.
Et modo qui tribuit Maurus sua colla cathenis
  Vertice submisso principis ora timet.
Ac Tagus auriferis urbem qui verberat undis,
  Et muros Itaci, Callaciosque lares.
Sic etiam flavi pavitant ante ora Batavi,
  Cum Daci catis, insula clausa mari.
Palmes Idumeis gaudetque nascitur arvis
  Pro tanto exhilarat Memnonis ora duce.
Et vagus Euphrates socio qui fonte resolvunt
  Tigris et occultum qui tenet usque caput.
Quis rex iste mihi toto veneratus ab orbe?
  Num Rex ille manet: cui litat ara frequens.
Vuladislae potens Caesar tu ne alter Iulus
  Incipiam pro te quod dare sudat Arabs.
Et tu suscipies tamquam deus almaque traddes (!)
  Lumina devotis facta opulenta meis.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie Bohemieque regem splendidissimum invictissimumque.

Olim laudis erat direptis castra maniplis
  Pellere Pompeio cui decus omne stetit.
Ille cruentati Picenis agmina Syllę
  Discussit campis acrior hoste manens.
Contigit hoc aliis, Dentatus, Curio primum
  Rem faustam gessit, sic Labienus idem.
Cedite Pannonico gesistis (!) pręlia Regi
  Mollia vos tantum, vos quoque turba ducum.
Expulit infestos nostris cervicibus hostes,
  Et vicit magni Caesaris arma potens.
Quid maius? si tanta facit, si tanta peregit
  Bella? quid expectat? restat adire deos.
O foelix victure tuo victure parente,
  Iam poteris merito secula cana mori.

Et tecum pater et frater venerabitur astris,
Mater et Elisabet semper amata parens.
Cardineum cernes et pallia rubra tenentem
Germanum, sancto cinxit honore comas.
O quam letus eris senio confectus Olympum
Advectus princeps, cum bene stabis avis.
E tua te virtus extollet semper, honores
Addet, maiores post tua fata dabit.

Ad eundem divum Valadislaum Hungarie et Bohemie Regem incomparabilem qui vivet perpetuo quoniam poetas amat.

Vuladislae meis semper memorande Camenis,
Semper Arionio concelebrande choro,
Pro meritis mea Musa tuis cantabit ubique,
Et genus, et nomen, gestaque vestra decus.
Percepi quia solus amor, studiumque suorum
Efficeris, nobis una reperta quies.
Non ingratus ero, nec tanti muneris expers,
De vestris semper laudibus ipse canam.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemię regem, invictiss. potentiss.que de mira eius presentia, indole et forma elegantiss.

Principis effigiem vultu, qua mente superbit,
Conspice Dardanidum forma suprema ducum.
Adde precor iaceant sublimia Caesaris ora,
Tuque superbifico Roma supercilio.
Cede triumphata dux o, Carthagine grandis
Scipio, cum titulis Aemiliane tuis.
Hic tota effigies Regum spectata renidet
Quid loquor, hic princeps ora superna tenet.
O foelix princeps sublimem nactus honorem,
Es decus et patriae, flosque domusque tuę.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemię regem pium foelicem et semper invictum, quod non timeat de immortalitate qua perpetuo vivet.

Vuladislae times? nullum moriture per aevum.
Clamatur patulo nomen in orbe tuum.
Hinc tua posteritas attollet prelia gesta
Continuo, et tanti principis acta ferent.
Per te venturi capient exempla nepotes;
Castraque victrici vincere Marte scient.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarię et Bohemię Regem serenissimum, quem poeta rogat, ut bella moveat in Turchos, nostre fidei rebelles, quoniam omnia bonis auspiciis gerentur.

Pannonis ora patens cur pro te principe tardas
Thura dare? et sacris exta litare focis.
Iuravit nuper princeps per virginis aras,
Arma per hostiles ferre cruenta viros.
Hannibal et iuvenis manes testatus Elysę
Inconiuratos sumere tela Phryges.
Nil tibi deficiet Princeps fortissime Regum,
Virgo aderit ceptis intemerata tuis.
Iam debes Princeps in Turchos bella movere
Supplicat hoc votis cum preciosa fides.
Quid tibi sancta fides promittit? habebis honores,
Ibis et in niveis hoc tibi spondet equis.
Inde cathenatas post currum tendere turmas
Cernet, Io quantum gens dabit aucta tibi.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie Regem prestantissimum, eximiumque epigramma, quo poeta admiratur de eius persona in equo, cum multe gentes ad eum spectandum concurrere studeant.

Castoreo presignis equo dum moenia lustrat
Princeps, et Budę strata videre iuvat.
Conveniunt gentes ad tanti corporis umbram,
Extenduntque manus ad sua membra nurus.

Mirantur populi spectantes, omnis et aetas
Conterit aspectus pulchra per ora suos.
Indulsit natura sibi (sic corr. ex tibi? megforditva)? quid pulchrius? insunt
Principe si virtus et decor arma vigor.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie regem invictiss. de mira eius fortitudine, que similis Herculis videtur. Elegia.

Numine quam simili spectatur in Herculis aede.
Consecrat in Latio quem sua fama foro.
Et minor Alcides, et maior uterque tonantem
Ore notat, gestis stat nota queque suis.
Cum puer Elisos manibus sic presserat Hydros
Stabat et in cunis qui Iove natus erat.
Inde tenet levus prefulvi tegmina monstri,
Fortius Archadię commodat ora ferę.
Forma Lybis, membrumque triplex et Cerberus anguis,
Imminet et volucres, agmen equestre, lacus.
Aureus hortus erat, superabat Amazona nexu,
Et crudi pavit cum Dyomedis equos.
Ista prior domuit Princepsque gesserit audax
Percipe, Pannonica quem colit aede nurus.
Infans obtinuit populos, gentemque Bohemam
Pro Iove sacrilegos fudit ab arce greges
Inde togam rapuit precellens robore canam
Et meruit currus laurigeros equos
Postea crudeles Turcos deiecit ab oris
Pannonicis, pro quo gens inimica iacet.
Postea Sarmatici Rex prelia contudit amnis
Et Getico totiens hymbre relavit equum.
Victor hyperboreę quot perfida sustulit orę
Tela, recusatos duxit ab orbe gradus.
Et delubra deo, populis dedit ocia princeps
Hungaricis patrio sertaque parta iugo.
Tantum igitur numen, tantis et sufficit actis
Vuladislaus habet, prestat et ora potens.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie Regem pium, foelicem et semper invictum, de lititia (!) coronationis Regni Hungarie habita in Alba Regali. Elegia.

Quam tibi laute dies princeps pulcherrima luxit,
Quanta dies arabo gramine culta manet.
Quanta fuit Cylicum celeberrima messibus illa,
Quanta fuit Pharia lux renovanda rosa.
Quantaque Pannonicum dulcissima cura tuorum,
Illa dies steterit gens bene parta tenet.
O lux Assyrio semper redolentior horto,
Lux et Erythreis vivere digna notis.
Splendet in ambrosio perfusus nectare princeps,
Et flagrat Tyrio murice forma ducis.
Plaudit et in regem iam iam vetus Alba serenum,
Regalemque petit turba togata domum.
Qualis et in populum crevit nunc gloria vestrum
Omnis habet princeps iam sua dona dies.
Qua cuperent domini quoscunque habuisse triumphos
Sanius Augusti, que tibi tanta viget.
Optasset Plegrea suas victoria pompas,
Hac quoque qui gemina Tigride vectus erat.
Numinis optassent Getici duo fulmina partos
Scipiade titulos hac tenuisse duces.
Et quodcumque genus peperit Cornelia proles,
Iunctaque famosis Aemiliana viris.
Hanc quoque Flaminius, Lycio memorande Metello,
Fudisti Gallos cumque Camille leves,
Et qui sub sicula certarunt acrius unda
Cum virtus inerat nobiliore manu.
Partibus ac magnum scrispit qui nomen Eois
Vellet Munichia gratius aede frui.
Et Messalla die cupiisset premia Quinto
Orbus et a Pyrrho posceret illa fero.
Quid referam Curium? vicinos depulit hostes,
Et quid Fabricii pauperis arma canam.
Et quid iam nostri referemus opima Quirini
Dona feretralis prima trophęa dei.

Et quecumque Iovi tribuit Marcellus honorem
Romule, ni fallor Thura secunda dedit.
Quid facerent alii? qua nos ratione monerent
Innumeri, longum quos memorare foret.
Caesar honore vetus superatur gloria tanto,
Que cupit in vestras posse redire manus.
Prisca iacent per te princeps monimenta Quiritum
Votis quod paribus iam tibi turba litat.
Ipse simul tradam victura volumina princeps,
Si petis, ęternum nam scio carmen amas.
Et causam queris citharamque libentius audis,
Tollis et argutos aure notante choros.
Hec est apta tuae princeps nunc gloria famę
Pieridum fontem quo sacer ipse colas.
Maiores maiora tibi dent munera, princeps,
Prestant muneribus carmina nostra datis.
Carmine tu vives, poteris non munere princeps,
Vive, virens laurus nil nisi Phębus ait.
Laurum semper ama, te Daphnidos arbor amabit,
Prima tibi virtus ultima sitque precor.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie et Bohemie regem invictiss. elegia, qua poeta rogat choros poeticos, ut Regi applaudant pro victoria Pannonica.

Pegasidum rorate lacus, date docta Camene
Carmina, Thespiadum tu quoque turba veni.
Tu pater Alceu cytharę maioris amator
Plectra move, et cantus grandius alme voca.
Tu sacros Heliconis opes o prima sororum
Dirige, et ingenio Phoebe repende chelim.
Castalis unda precor nitidos perfunde liquores,
Sparge lyram sacra candida fontis aqua.
Meonii resonate chori, studiumque canendo
Afferte, et dociles quasque ciete deas.
Aoniam deposce domum gratissima dio,
Duc et Arionios docta Thalia modos.

Vos quoque Pympleę violis decorate puelle
  Tempora, nam viole per loca vestra virent.
Vos quoque Hamadriades, Dryades, nympheque Napeę,
  Ferte iocos, iuvat hac lusibus urbe frui.
Urbe coronatus Regali splendidus Alba.
  Rex fuit, et strinxit sacra corona comas,
Nysiades renovate rosas, gestate sicanos
  Flores, et placidis festa novate modis.
Heliadum comites moestos modo ponite rores,
  Et vos, o Phauni blandula turba sonos.
Sylani nemorumque duces Poeana movete
  Succintum (!) pharetra quo canat arte iocos.
Musae vos hedera, lauro, myrthoque virentes
  Ducite distinctas flore virente comas.
Accipite in mediis vestrumque locata choreis
  Turba ducem ducis et nobilis ora mei.
Ludite cum plausu, strepitu, concentibus, arte,
  Ducite compositos crine decente choros.
Et pede tellurem divę pulsate frequenti,
  Sentiat ut lusus concita terra novos.
Aspirate divi cui dat fortuna triumphum
  Pannonicum, sacer est et loca vestra colit.
State simul, fas est cantus audire sorores,
  Grata mora est vestre Musa decora lyre.
Iste duci tribuendus honor, celebranda triumphis
  Gloria, devicto Rege triumphat eques.
Presidet in curru testanti prelia facta
  Quattuor et vehitur veste superbus equis.
Dicite, dii servent, salvent, regemque secundent,
  Fortunent melius de bene semper eum.
Hostis et inpuris manibus dominisque malignis
  Eripiant, crescant plurima regna sibi.
Vuladislae mee si cantant vestra sorores
  Gesta, licet vultu nobiliore colas.

Ad eundem divum Vuladislaum Hungarie Bohemięque Regem pium foelicem et semper invictum, Ultimum epigramma, quo poeta rogat Musas ut vadant ad dominum suum, qui eis sua innata pietate blandietur.

Ite meę Muse dominum cognoscite vestrum,
Ibis et ad sacras turba canora manus.
Ite mei versus nostri non amplius estis,
Ibitis ad docti principis ora deę.
Ibitis ad Regem Phoebo comitante sorores,
Ibis et ad proprium pulcher Apollo ducem.
Nomine vos nostro dicetis mille salutes,
Rex Regum salve, Cęsar et alter ave.
Ad te nos mittit vates tuus ille Michail
Servulus, et vestrum numen adire iubet.
Venimus et sanctos intramus turba penates,
Perfusa unguento sordida vestis inest,
Suscipe nos grato Princeps o splendide vultu,
Fronteque magnifica, nos tua turba sumus.
Cesare devicto descripsimus inclyta princeps
Arma, tui variis lusimus acta modis.
Blandiri Musis iam regum maxime debes,
Que vestrum semper nomen in orbe canent.
Vuladislae tuis, finem iam nostra poesis
Laudibus exoptat, sed cupit illa magis.
Semper ama vates, et longo stabis in aevo,
Vuladislae, sacrum gloria rara ducum.

Finis.

Eiusdem Vestrę Sacrę Regię Maiestatis.

Devotus servulus Iohannes Michail Nagonius Civis Romanus et Poeta Laureatus.

Pacificus Maximus Mátyás királyhoz.[1]

Ad Mathiam Pannoniae Regem Sacratissimum.

Hoc quidquid libelli est, Sacratissimae Maiestati tuae dicavi. Non sum Albinus, quid enim inepte quae fieri volui, excusare laborem? Elegia est, et mollicula quidem; ludit et solita procacitate lascivit, ridet, plorat, gaudet et tristatur; saeculum tamen mellito felle demordet. Habes Platones, Aristoteles et philosophantes plures, sed illi vitam et animum quandoque restringunt; ego vero (lege me) relaxo, et angorem, et bilem intercido. Vive laetus et vitam ama.

Pacificus M. A.

Oratio in introductione ac installatione Reverendissimi Amplissimi Domini D. Wolffgangi Gyuulay Episcopi almae Ecclesiae Zagrabiensis dignissimi. Ibidem in templo Cathedrali per Reverendiss. ac eximium D. Paulum D. D. Lectorem, Canonicum, ac Vicarium eiusdem ecclesiae zagrabien. etc. in maxima doctissimorum virorum ac optimatum Regni Sclavoniae corona populique frequentia habita. An. Salutis nostrae 1549 die 24 Februarii.[2]

. . . Natus es (Gyulay) nobili eademque generosa et inclita prosapia, iam a puero nobilissimis ad omnem pietatem et virtutem doctrinis institutus, non te luxui, non inertiae, non intempestivis conviviis aut potationibus, non aleae, non denique aliis huiusmodi voluptatibus et illecebris dedisti corrumpendum, sed ut primum ex ephebis . . . atque ex his studiis, quibus illa aetas ad humanitatem informari solet,

[1] Pacificus Maximus Hecatelegiumjának dedicatiója, l. „Carmina Pacifici, Maximi Poetae Asculani“, Parma 1691., mely kiadásban az obscoenitások ki vannak küszöbölve. P. Maximus „Elegiarum libri viginti“-je megjelent még Florentiae ann. 1489 idibus novembris per Antonium Mischovimum és Bononiae 1523.

[2] A czímlap alján: „Viennae Austriae Ioannes Carbo et Egidius Aquila excudebat. Anno 1549.“ Bővebb leírását adja Kemény, Kalászatok, p. 53., 54.

excessisti, mox generosi animi ductu maiora aspirans in celeberrima Patavinae urbis academia ita liberalium artium studiis animum tuum excoluisti, ut iam tum omnes aequales tuos, sicut scientiarum gloria, ita etiam candida animi dexteritate, erudita pietate, incomparabili modestia, et fortitudine plurimum antecellueris. Religionem deinde spiritu sancto suggerente amplexus, quantum in negotio evangelico profeceris, quam solidis verae et divinae sapientiae doctrinis animum tuum, imbueris, mirari profecto potius valeo quam eloqui . . .

Persona Kristóf[1] Agathias fordításának Mátyás királyhoz intézett előszava.

Matthiae Regi Ungariae etc.

Quam maxime valeat, Rex Serenissime, ad bella gerenda priscorum res gestas perlegere, profecto neminem latet, qui ad rei militaris peritiam historiarum cognitionem adiecerit. Nam ut Romae Catonem accepimus, dum interea cogeretur senatus, libros solitum in curia lectitare, ut postea in consulendo et rempublicam administrando quam optime maiorum possit exemplis eius sententias confirmare, sic item et saepe in castris praestantes illos exercitus duces veterum facta commeminisse. Ut Achillem Homerus inducit a praelio redeuntem ea in re quiescendo maxime delectatum, virorum ut fortium laudes decantaret; quod equidem reor et te dum per otium licet saepius factitare et priscorum egregie principum gesta vel memoriter recensere vel ex libris repetere, ut maioribus animis ac simul prudentia aggredi queas, quae ex iusto tibi sunt bello et cum Turcis praecipue Christiano nomini omnium infensissimis iucunda certamina. Cum haec procul dubio per te veluti peculiare avitumque ac regium

[1] A Cod. lat. Monac. nr. 294-ből (saec. XV. membr. elegantissimus, „ex electorali Bibliotheca Sereniss. utriusque Bavariae ducum"). A codex czíme: „Agathias de bello gothorum et aliis peregrinis historiis per Christophorum Persona romanum e graeco in latinum traductus." Ugyanezen fordítást Persona Beatrix királynénak, Lorenzo de' Medicinek és IV. Sixtus pápának is ajánlotta. Életéről l. Bandinit.

decus iamdiu suscepta sic sint, ut solus in terris mortalium videaris ad tuendam servandamque Christianam rempublicam a deo ipso delectus. Ipse vero de rebus bellicis librum ad te, qui in his sis facile princeps nunc mitto, missurus post hunc maioris voluminis alterum, ut saltem hoc pacto bene mereri de te tam optimo possim Christianae fidei defensore, et animo satis facere meo. Maiestati tuae mirifice dedito.

Christophorus Persona dicavit.

Persona Kristóf Agathias fordításának Beatrix királynőhöz intézett előszava.[1]

Beatrici de Aragonia Se. Reginae Ungariae Boemiaeque.

Cum tua et regia animadverto animi ornamenta, videre videor nostra haec tempora a priscis illis esse non penitus aliena in quibus feminas quasdam historiae tradunt litteris fuisse tam bene instructas, ut non solum sui hominibus temporis, sed vel posteris ipsis miraculo fuerint, quandoquidem praeter caeterarum consuetudinem non modo latine, et elegantius scirent sed graece etiam perdidicissent nonnullae. Quod forte his factu facilius erat, cum ex linguae romanae praestantia, quam latinam fuisse et cultiorem litteris proditur; tum quia aliarum exemplis eadem aemulantium studia incitabantur ad gloriam. Sed natura hac tempestate cum nullae uspiam feminae praeter te sint, vel si quae sunt forte tui tamen nil similes, non possum maiestatem tuam non vehementer mirari, quam eruditam adeo esse ac doctam accepi ut non immerito queas cum veteribus comparari, et ad corporis egregiam formam ita ingenium exornasse ut perinde voluisse appareat eius philosophi imitari praecepta, qui decoros suapte natura adolescentes disciplinis ac simul virtutibus excolerent animam hortabatur. Ad haec accedit quod te fortunatissimam censeo, nam et

[1] A Cod. Vindob. 84-ből; saec. XV., nagyon elegans; az Aragoniai és Corvin-féle czimerekkel. Czime ugyanaz, mint a müncheni codexé, kivéve, hogy *gothorum* helyett *gotthorum* van benne.

regio orta es sanguine patreque Ferdinando illustrissimo rege progenita ac Mathiae Ungariae Boemiaeque aliarumque nationum victoriosissimo regi matrimonio iuncta. Quae omnia me procul dubio impulerunt Maiestatem ut tuam tam maximi ducam observemque et mirifice colam, quam pro tuis debeo in omnes promeritis ac meorum operum faciam non expertem; enitarque deinceps sic scriptis extollere ut eius tot decora vel ad posteros transmittantur.

Iacobi Pisonis Transylvani schedia. [1]

De suo libello.

Si quis habet nostrum cerdo caupove libellum,
  Sic vendat patiar, ut neget esse meum;
Irritare tamen si vult emptoris alutam,
  Nequitias satis est dicere vendo novas.

Ad Graecum Pierium.

Ut liceat nostras tibi, Graece, revolvere nugas,
  Scin, qua permittam conditione tibi?
Ut tetricum sumas vultum censoris, et acri
  Iudicio quicquid displicet expolias.
Quod tibi lima, veru, tornusve stylusve negabit,
  Spongia praestabit, assibus empta tribus.

Ad Ladislaum Zalcanum.

Plus lustris, Zalcane, tribus gliscente quotannis
  Sollicitat pro te carmine Piso deos,
Sed te praecipue, cui magnis Iuno calendis
  Cessit et authore quo novus annus init.
Iane pater, qui actum spectas faeliciter annum
  Hunc quoque propitio qui venit, ore vide.
Fundimus ecce merum geminis altaribus hornum,
  Quale nec Opimio consule Roma bibit.

[1] Oláh Miklós költeményeinek az Egyetemi Könyvtárban H1 jegy alatt őrzött XVII. századbeli codexéből, fol. 88b—90b. Ugyanonnan kiadta Seivert.

Quae pro patrono fert vota clientulus, audi,
  Si grato libat corde, litare sine.
Da Pylios faelix vivat Zalcanus in annos,
  Da bene Pisoni quod facit efficiat.

Ad eundem.

Par erat ut nostris biberes hac luce culullis
  Et facerem genio debita sacra meo.
Sed celeri fractus misere decumbo veredo,
  Atque imam saevo saucius imbre cutem.
Sub medio mirum cane res mihi grata caminus,
  Ardentemque iuvat ante sedere focum.
Nulla mihi requies, et somni nulla cupido,
  Nulla cibi, gravior sed coquit ora sitis.
Vina precor mittas tristeis arcentia curas,
  Simplicius dicam, Sirmica mitte mihi.

In Lappsum.

Dum Lappsus Bromio meraciore
Saturnalibus utitur calendis,
Cum servi dominis pares habentur,
Non votis vocat, aut deos fatigat,
Ut qui Strymoniae gruis petebat
Graius colla Philoxenus, sed inter
Singultus lachrymasque concitatas
Siccato oenophoro rogare coepit
De vino ire Tybrim, suumque guttur
Verti mox ut in alveum iuberent.

In Linum.

Perseus insanum si te, Line, fecit eburnus,
  In viva fieret quid precor Andromade! (!)

Ad Leptam.

Hesterno domicaenio relicto,
Digno vel Saliaribus culinis,
Dum frugaliter et levi paratu
Grandes sub cane Sirio perosus

Bascaudas cupio comesse tecum,
Fallor, nam nimium diu morato
Sub noctem mihi pusio negavit
Te caenare domum, hoc puto sit inter
Sellas, Lepta, duas humi sedere.

Ad eundem.

Magna licet iactes agrestis commoda vitae,
Vivere, Lepta, tamen, plus mihi in urbe placet.
Securus sedeas muris munitus et arce
Serviat excubitor nocte dieque tibi.
Sint congerrones, nec obesae naris amici,
Seria cum quibus et quaeque loquare ioca.
Adsit laetitiae Bacchus dator, adsit et ille,
Ante sedet cuius turba novena pedes.
Cum capreis lepores, damas, venare vel ursos,
Et cadat ante tuum cervus aperque focum.
Certior Herculea tua currat arundine penna,
Sicut Caucaseam sub Iove figat avem.
Piscosa laetaris aqua, Sint Thessala[1] tempe,
Fontibus et par sit non Arethusa tuis,
In densis Philomela canat tibi plurima sylvis,
Et quicquid volucrum terra vel aethra fovet.
Denique sint quaevis et plenius omnia voto,
Est tamen urbani gratior umbra laris.
Quod si forte rogas, unde haec sententia, refert
Quo sit cuiusvis testa parata luto.

Ad Philippum[2] More.

Strena, Philippe, levis, nec habent grave disticha pondus,
Frons dare laeta tamen pondus utrique potest.

Ad Zalcanum.

Sine catenatos[3] inter Zalkane, labores
Distraheris genii non sine fraude tui,

[1] Tessala [2] Philipum. [3] cathenatos.

Seu successivi subducta temporis hora
  Mense semel toto niteris esse tuus.
Nemo magis Pisone pudens, Pisone modestus
  Nemo magis, testis sis licet ipse mihi.
Nunc quoque me fecit defecta (!) crumena modestum,
  Et sua non unus creditor aera petens.
Sorte etiam maius nisi faenus Apella reposcat,
  Iam videar locuples plus satis esse mihi;
Emendare tamen nutu, Zalkane, vel uno,
  Tot curas inter haec quoque damna potes.
Ut nihil antiqui sint iura, patrone, clientis,
  Ut moveat meritum cura laborque nihil.
Certe aliquid poterat pacientia tanta mereri,
  Posset ut iratum propiciare Iovem.

Ad magnificum virum I. Fusemannum Iacobi Pisonis Poetae Laureati Epigramma.[1]

Ad tua Phoebei certatim castra poetae,
  Sicut ad herceum stant, Fusemanne, Iovem.
Vatibus Aoniis es tutum factus asylum,
  Te sibi Maecenas posset habere parem.
Externos etenim comi pietate tueris,
  Omnibus equali dexteritate faves:
Itala te quondam patronum Musa Bonomi
  Sensit et auxiliis est relevata tuis,
Quique habet Oleniae sublimia nomina caprae [Paulus Amalthaeus]
  Et Iovis e cornu lactea mella bibit,
Sic et ab Aemilio descendens stipite Cimber
  Et qui de Balbo stemmata ducit avo,
Quique chely superat Latios Germanus alumnos,
  Magnum cui nomen Celtis acuta dedit,

[1] Ezen epigrammot és a következő distichont Zingerle Antal adta ki „De carminibus Latinis Saec. XV. et XVI. ineditis“ (Innsbruck 1880.) czimű művében a innsbrucki egyetemi könyvtárnak egy kéziratából.

Et tibi, quem Paean vatem medicumque sacravit,
  Comiter acceptus Cuspinianus erat;
Inter et hos imum, quamvis ignotus ab omni
  Parte foret, Piso gestit habere locum,
Non quia, quod longe fuit a sapiente remotum,
  Me cuipiam praeceps insinuare tibi,
Sed quo vix noto patronus adesse clienti
  Non dedigneris, pagina nostra petit.
Non modicum refert, quali sub iudice litem
  Exerces, causae quisve patronus erit.

Distichon.

Quem tibi pro modico misi, Fusemanne, libellum
  Munere: iucunda conspice fronte, precor!

Iacobi Pisonis Epigramma. [1]

En semel, en iterum, festos spectare triumphos
  A domina misso contigit urbe mihi,
Quos de Sismaticis Rex Sigismunde tirannis
  Diverso egisti tempore, sorte pari.
Vidi ego Sarmatico superatos Marte Volachos,
  Sacrilega predas ultro referre manu,
Regia qua surgit nulli cessura labori
  Cracoviam et gelidis Istula lambit aquis.
Tunc cum Christicolas sub quernam Iulius umbram
  Vix tutas caulis, cogeret alter oves,
Vidi ego tercentum non vili stemmate Moscos
  Vincta triumphali subdere colla iugo.

[1] „Carmina de memorabili cede Scismaticorum Moscoviorum per Serenis. ac Invictis. D. Sigismundum Regem Polonie magnum Ducem Lituanie: Russie: Prussie: Sarmatieque Europee dominum et heredem apud aras Alexandri magni peracta. — Epistola R. D. Io. de Lasko Archiepiscopi Gnesnen. et Primatis Regni Polonie. Silua Ioannis Dantisci. Hymnus Valentini Ekii. Silua Christophori Suchtenii. Panegiris Bernardi Uapouski. Epistola Andree Criczki. Epigramma Iacobi Pisonis." (Róma 1515.).

Quattuor e captis delectos millibus et si
  Bis duo vectarat iam decuplata Charon
Arx ubi conspicuis Rex te eminet auspice muris
  Vilnaque sub septem recta trione riget.
Nunc Leo dum Medices morbos ab ovilibus arcet
  Et seno decimum continet orbe gregem
Qui vocat affectu te ad pacis iura paterno
  Spondet et emeritam Rex tibi magne rudem
Macte animo princeps, nullo superabilis hoste
  It cui dux virtus, Nortia diva comes,
Vicisti, satis est, dominique patrisque deique
  Consilium ducas non tibi turpe sequi
Ad quod sic facilem, pia te mihi numina reddant
  Ut tua Rex vacuo tempore facta canam
Nec tibi vile puta, quod me Ramnusia pompis
  Bis spectatorem iussit adesse tuis.
Sed tua seu mea sors haec est Rex victor, in hos ut
  Inciderem certe divoluere dies.
Scilicet egregie gestis accessio rebus
  Me teste ut fieret quantulacunque tuis
Et fiet, modo quod gelidam meditamur ad Arcton
  Maturum radiis reddet Apollo suis.
Sic tamen interea haec dispensans omnia Roma
  Novit, ut ignoret nullus in orbe locus.
Tempus erit quo me gemmas modo qui dat et aurum
  Dicetur fama teste dedisse minus
Tunc cum sed spero superos repetiveris. Et cum
  In terris de te nil nisi nomen erit,
Sic tamen aeterno celebro, tum semper honore: ut
  Te mihi bis cultum nemo fuisse neget.
Et nunc dum aetherea Rex inclite vesceris aura
  Et tunc cum sumes nectar et ambrosiam.

Ad Magnificum et Excellentissimum virum Ioannem Fusemannum Iacobi Pisonis Elegia ex Hectratosticho (!).

(fol. 136a—136b.)

Nuper ubi variis animum subducere curis
Collibuit, requiem quodque reposcit opus,
Fessa sopori fero sternebam membra grabato
Exigua cupiens illa novare mora.
Inde vaporantis stomachi me cura profundo
Demersit somno somnia falsa movens.
Qualia per visum ventri distentus obesi
Sumine vel temeto plenus habere solet.
Aut ut amans, placidę qui lactea colla puellae,
Quam vigil axarsit, iam tetigisse putat,
Sic Epialtheas (!) nova per phantasmata formas
Semivigil fertur saepe timere quies.
Sed mediam postquam peragebant sidera noctem,
Et matutinus Lucifer ortus erat,
Iam minor in crasso regnabat corpore moles
Liber et occepit spiritus esse magis.
Visus eram magno Tegeaci numine Panis
Ad sacra Pyeridum protinus antra rapi.
Hic procul errantes diverso rure puellas
Vidi et occulto saucius igne fui.
Huc me praecipitem (sed non mihi verba licebat
Pana perhorrenti fundere) traxit amor.
Saepius at tacito mecum sub pectore dixi
Ah propius nostrum si fore posset iter!
Haec ubi me Phoebus (nam conspicit omnia) pernix
Affectare videt, vertere terga cupit,
Meque mora ludit. Quid enim nisi ludus et omne
Ludibrium superis esse putatur homo!
Sicut enim manibus subito pila torta magistris
Fertur in excelsum mox ruitura tamen,
Sic nutu fortuna suo iocalariter astra
Tangere nos mittit, praecipitesque rotat.
Hoc me ferventem nimis inflammanter amore
Talibus occepit Phoebus adire modis:

Quid tibi solliciti pendent in corde dolores?
Plus solito pallor cur vel in ore sedet?
Forte doles patrios olim liquisse penates
Externos visitans me rapiente Lares?
Si tibi dura via est, sedes repetamus avitas,
Contentus patriis moribus esse potes.
Dixerat et magnam deus assimulaverat iram,
Quae mihi de toto corde timenda fuit.
Non mihi vox fuerat. Quid enim loquerentur amantes,
Quos fieri elingues saepe coegit amor?
Postremo statui tremulo de pectore vocem
Rumpere, sed vetuit multa silere pudor.
Non mihi, Phoebe pater, sunt patria iugera curae,
Nec per inassuetas me piget ire vias.
Non est haec nostri revera causa doloris,
Quam vafra nimium fingere mente soles.
Sponte diu cepi peregrinas visere terras,
Ulla nec est nostros causa morata pedes.
Ut mihi quae longo iam tempore quaeritur uxor
Inveniatur et est nupta legenda thoro.
Plura locuturum properando tacere coegit,
Ad prius inceptum meque reduxit iter.
Est Heliconęum locus haut obscurus ad amnem,
Bellerophonteis non male notus aquis.
Hic per amoena novem conspexi prata sorores
Aequali facie, quis neget esse deas?
Quae dum Phoebeae viderunt lumina frontis
Omnia continuis vocibus arva sonant.
Haec Cytharam iungit, canit illa lyra, monocordum
Altera distendit: Nablia: turba rapit.
Astuli Tytanis cernunt me terga sequentem
Diffugiunt omnes inter et antra latent.
Non illis quoniam (primi nova sponsa mariti
Ora videt timido lumine) notus eram.
Continuo sacris illas revocavit ab antris
Inter et has medium cepit Apollo locum,
Meque verecundo tum forte pudore rubentem
Ante suos iussit protinus ire pedes,

Optareque dedit nimphis ex omnibus unam
  Quae thalamos posset condecorare meos.
Haec mihi diversam faciebat adoptio mentem
  Tantus formarum splendor et ardor erat.
Hic non Idaeus somni sub imagine iudex
  Iudicium poni posset habere sacri.
Interea dubia cum starem mente, venustam
  Calliopen nostras iussit adire manus.
Noluit illa sui pervertere iussa parentis
  Sed mihi cum larga praestita dote fuit.
Me quoque sollicitante vices amicitia poscit
  Qualis sit sponsae dos numeranda meae.
Phoebus ait: Tristem Piso nunc reiice vultum,
  Nec tua iam dotis pectora cura premat.
Est tuus Austriacis quem nescis tutor in oris
  Quem vice patroni clara Vienna colit.
Nomina si quaeras, Fusemanni nomen habere
  Dicitur, et cunctis vatibus ille favet.
Saepe tuos illi modico pro munere versus
  Mittas, haec nullo sint licet uncta mero.
Ad sua dehinc celeri properabat munia gressu,
  Ut claram nitido ferret in axe diem.
Iam quoque quadrupedes iunxit, cum stilbos ad amnem
  Castalium erranti Delphica plectra dedit.
Hesterna Femanne (!) tibi ni luce fuissem
  Obvius, haec frustra somnia visa forent,
Illa fuere meis oracula praescia somnis
  Sic hominis Genius saepe futura videt: —

Tetrastichon.

(fol. 138b.)

Carmina bis ternas capias deducta per horas
  Pro levibusque legas haec Fusemanne iocis
Praecoqua sunt, fateor, nisi quis *(aliquid desideratur)* amarum
  Dulcia quo cernat, non habet ille modum.

Τελος.

Piscis hyans ad Pannonem spectatorem.

Quid trepidas? latisque hyatibus ora patescunt?
An nunquam visa est talis in orbe fera,
Baltica quae circum Germanos aequora pulsant
Littora: sub rigido me genuere polo.
Sed tibi pingue movet, Pannon, pia sydera caelum,
Et quia te rerum copia mollit iners,
Hinc est nulla tibi plures cognoscere terras,
Cura: et naturae quod sit et artis opus.
Ergo quiesce domi, si nostras iveris oras
Uno te noster dente vorabit avus (!).

Roma suo Maximiliano Romanorum Regi quem in Hungariam revocat.

Perge, age, Romane (!) Rex gentis et inclite Caesar,
Nomen reque virum milia milia super
Perge age, regalis vocat Alba Latinum
Te sibi, capta tuo Marte: sed ante tua
Namque mihi Albanis et primum venit origo
Gentibus, et Regum gloria abinde mihi est
Auguror, illa tibi victa aut quod cesserit Alba
Pannonis, imperium gentis adesse tibi.
Quodque parum est cedet iam cetera Pannonis ora,
Austriaco referet subdita colla iugo.
Quodsi forte aliquis nobis male barbarus ista
Invidet, et verbis iam tua facta notat,
Conticeat: maius possum praedicere, Roma,
Debita reddetur terra, fretumque tibi.

Epitaphium Mathiae Regis Hungariae.
(fol. 95b.)

Mathias regum specimen et gloria Martis
Hic iaceo, fatis obrutus ante diem,
Qui domui Reges Moravos fortesque Boemos
Atque Polonorum castra superba Ducum

Innumeros vici populos pulchramque Viennam
Solus, et immensi qui timor orbis eram,
Caesaresque, (!) geminos fateor duxisse triumphos
Ille Romanus, Turcus et alter erat.
Plurima conceperam, nostris fortuna diebus
Invidit, cecidi pulvis et umbra tantum (!) [1]
Aspice qui fuerim, quam magnus, postea mundo
Secula narrabunt, me tulit hora brevis.

Τελος.

Dum Alba Regalis caperetur.
(fol. 96a.)

Dum Rex Pannonicam Romanus vinceret Albam,
Et furerent caedes per fora perque vias,
Corruit ad tumulum Mathiae [2] victima regis
Atque cruor statim venit ad ora feri.
Protinus exclamat miles sacrabere nunquam
Post obitum tandem sanguine tolle sitim.
Verum ego ni fallor vitae fert cura repostum
Sanguineas Stygio cum vorat amne dapes.
Hunc iuvere neces, homini dum fata manebant
Humano gravidam viscere fecit humum.
Viderat immanis laniatum corpore toto
Nec mentem tetigit turpiter ora lacer
Auribus excisis lusit populata tyrannus
Tempore et immundo vulnere naris erat
Effossos oculos disiectos movit et artus
Quin et crudeli sunt data membra rotae.
O quotiens animi poenam luxere nefandam
Danubii miseri dum raperentur aquis
In grave segnitiae factum proruperat omne
Supplicio finis defuit ipse suo.

Τελος.

---

[1] = tamen. [2] haec vox in rasura a m.?

Epitaphium Mathiae Regis Hungariae.

(fol. 113b.)

Mathias iaceo Rex hac sub mole sepultus
Testatur vires Austria victa meas,
Terror eram mundo, metuit me Caesar uterque,
Mors tantum potuit sola nocere mihi.

Eiusdem Pisonis elegia ex heckatostiho in passionis et crucis Dominicae memoriam nuper de ducto.

(fol. 139b—141b.)

Quo rapitis celerem mortalia pectora gressum,
Dum vestri vobis astat imago Dei?
Non humana deum praesentem lumina cernunt
Et domini tacitus limina servus obit.
Huc scelus humanum divinum corpus adegit,
Hic dominus servi crimina morte luit.
Rebus in adversis tristes ad sidera palmas
Tendimus, ut pellas nostra pericla deus.
At nimio postquam nostra est saturata libido,
Non memores tandem possumus esse tui.
Quo pietas, quo cessit amor, si saxea semper
Duraque pectatis (!) corda viator habes?
Siste gradum, cernes quod te ratione moretur,
Unde genae lachrimis, corda dolore fluent,
Aspice sublimi pendentem stipite Christum [1]
Turpiter optavit qui hominis ergo mori.
Non tamen, ut perhibent qui praescia sidera spectant,
Debuit invitus scandala ferre crucis
Sive fuit virgo nascenti horoscopus almo
Sive necis tenuit Martia stella domum
Sponte crucem subiit, non fati lege coactus,
Dum postliminio nos revocare cupit.

[1] Cristum.

Qualiter amissam quaerebat femina dragmam,
Curaque de reliquis non operosa fuit
Utque gregem pastor linquit sine lege palantem
Sollicitus solam quando requirit ovem.
Sic quoque te, Christus[1] tanto quaesivit amore,
Ut daret infami subiuga colla neci,
In crucem ascendit, spectare ut posset ab alto
Qua procul a recta detineare via.
Denique praecipuam pro morte elegerat urbem
Quae fertur Solimis esse locata plagis,
Ut patriae quamvis obscura fuisset origo
Ipsa necis saltem cognita terra foret.
Vidit et hinc Gangen positas et ab Hercule Gades,
Tendit et ad geminos brachia longa polos.
Inque suas (olim quod dixerat) omnia leges
Traxit, in excelsa dum cruce fixus erat.
Ille suo meritas non pendit crimine poenas,
Hac libuit nostrum tergere lege nephas.
Sed ne iustitiae partes omitteret ullas,
Delictum propria sub ratione piat.
Quaeque parens primus deliquit mente superba,
Haec humili deitas expiat alta iugo.
Prima dedit magnum miseris ceu femina damnum,
Sic mulier nostrae causa salutis erat.
Illaque divinas vitio cumulaverat iras,
Haec modus irarum exterminiumque fuit.
Illa venenati decepta est voce draconis,
Angelicae haec meruit cantica vocis ave.
Illa virum prima fecit quoque labe nocentem,
Haec sine pro genuit crimine virgo deum.
Quodque gula tenui fragilis deliquerat Adam,
Hoc deus ingenti diluit ultro fame.
Ille tetri capitur ficto serpentis ab astu,
Quando bonique mali praescia poma rapit.
Hic victo spolium ut ex hoste referret opimum,
Ardua de simili fronde trophea locat.

[1] Cristus.

Inde doli serpens poenas persolvit iniqui,
  Dum varium repens quaeritat exul iter.
Sic hominem colubro non cautum praeterienti
  Hospitium tellus, quod dedit ante, negat,
De vetita miseram quaesivimus arbore mortem,
  In vetito rursus stipite vita fuit.
Sic et ac Hillea caderet cum Telephus hasta
  Abnuerat medicam sumere vulnus opem
Delphica dum placidam spirant oracula vocem,
  Causa sit haec vitae, quae fuit hasta necis.
Maior ut humanis superesset cautio rebus,
  Sponte tulit deitas obsidio ipsa vicem.
Totius humani generis perfectio Christi[1]
  Mors erat, haec summum[2] quippe peregit opus.
Non secus ad veram quando formavit amussim,
  Omne decus rerum provida cura Dei;
Finis adhuc aberat, (respectant omnia finem,)
  Tota caput voluit machina nosse suum.
Hinc hominem deus e limo confinxerat udo
  Urania fecit quem sibi mente parem.
Solus homo vasti sic consummatio[3] mundi
  Plenaque totius summa laboris erat.
Nec modicum refert, quod nos deus ipse redemit,
  Non per serviles angelicasque manus.
Si natura hominis, si pessum forsan abisset,
  Sensissent damnum cuncta creata suum.
Ille quidem cunctis (microscosmi hoc nomine signant)
  Naturae fertur participare bonis,
Hunc igitur merito (sic credimus) ille redemit
  Omnis naturae qui simul auctor erat.
Adde quod heredes opibus spoliavit avitis,
  Et tibi plena bonis scripta tabella fuit.
Heredesque sibi nos patris adoptio fecit,
  Inde coheredes iam tibi, Christe,[4] sumus.
Nemo licet poterit (summus nisi traxerit illum
  Sponte parens) illa prosperitate frui,

[1] Cristi. [2] sumum. [3] consumacio. [4] Criste.

Crux tamen est nostrae certissima scala salutis,
  Et tutum Christi[1] passio munit iter.
Hac quia communem[2] statuit reparare ruinam,
  Atque sua nostram frangere morte necem
Haec quotiens reputas, divinum numen adora,
  Ah, soli quantum est posse placere deo.

Τελως.

Ioannes Baptista Pius Lucretius commentárjából.[3]

R. Episcopo Quinqueecclesiensi Pius.

Mitratos inter proceres venerande Georgi
  Mens, oculi, os, aures, principis Aemathii
Romuleis animum vigilem nunc dede libellis
  Hoc Pius, hoc vates, hoc rogat usque cliens.
Scipiadas imitare precor, Sullamque, Titumque
  Et quibus in coelum versibus ire libet.
Est famae vates praeco; Tibi nostra camaena
  Serviet in laudes semper itura tuas.
Tu modo pauperiem remove tenuique poetae
  Ocia Caesareo tuta favore dato
Sic meritum redimi triplici diadematis auro
  Cingat adoratum coccina mitra caput.
Sic concors faveat tibi celsus Olympus Iulo,
  Iuppiter et faciat sic rata vota Iovis.

---

[1] Cristi. [2] conmunem. [3] In Carum Lucretium poetam Commentarii a Ioanne Baptista Pio edite, codice Lucretiano diligenter emendato... Bononiae. MDXI. Kal. Maii.

Angelus Politianus Matthiae dei gratia invictissimo Pannoniae regi S. D.[1]

Cum superioribus diebus ego et Philippus Valor Florentinus, praestans vir tuaeque maiestati deditissimus, de nostri seculi principibus casu loqueremur, ac tu primus nobis invicte Rex, immo vero solus occurrisses, quem videremur audacter cum quovis laudatissimo veterum posse conferre, castigavit ille me verbis amicissimis, quod nunquam aut lucubrationes ullas nominatim dicaverim aut epistolam saltem scripserim, quo tibi si non ingenium quodcunque doctrinaque mea, certe animus tamen ac voluntas innotescerent. Etenim te regem temporibus esse nostris aiebat unum (quod ego illi facillime assentiebar) in quo vel maxime celebrando labores, industriam, vigiliasque suas omnes ponere litterati homines certatim debeant, ut in cuius egregiis innumerisque laudibus habeat utriusque linguae facultas ubi liberrime posset et velut in patentibus campis exspatiari. Quare sumpsi animum (fateor) de sermone prudentis et amici viri, gloriosissime rex, cumque animo statim sumpsi calamum, videlicet in hoc ut tuas eximias virtutes honore saltem quocunque stili mei prosequerer. Sed cum se mihi ille tam multe et magne protinus obtulissent ut facilius mundum pugillo (!) posse crederem, quam eas epistole brevitate complecti mutato protinus consilio, dilatis paulisper tue claritatis preconiis, statui duntaxat in presentia significare tibi me quoque unum Rex e multis esse, qui magno animi favore te veneror, darique mihi occasionem celebrandi tui nominis concupiscam. Non quia me sperem naturali facundia parem tue laudi fore, sed quod est a sapientibus hominibus observatum, non minus animi vires aliquando, quam ingenii valuisse. Quo circa siquid erit inclyte rex, in quo tibi mea gratificari professio possit rogo obtestorque utaris opera nostra, quasi unus ex eo sim numero qui regni

[1] „Doctissime illustrium virorum *Epistole*, quas rogatus *Politianus* in ordinem redigit . . . Parrhisiis“; végén: „MCCCCXV (?) Die XXII mensis Decembr.“ — A fent közlött levél (a kilenczedik könyv 154-ik levele) fol. LVIIIb-n áll.

tui finibus continentur, ut autem Dinocrates ille nobilis Architectus Herculeo sese habitu ius dicenti obtulit Alexandro, cumque se cogitationes ac formas afferre dignas illo rege, videlicet Atho montem statue virilis effigie figurandum docuisset, ita regiam commendationem videlicet adeptus est. Idem mihi ego quoque usu venturum speravi rex magne, si pro leonis pelle non obscuram indolem, pro clava (!) non absurdum ingenium pro corona populea, non incelebrem doctrine mediocritatem, pro vaste illius molis compositione multiplices tibi lingue utriusque figuras obtulissem. Nec enim minor quovis Architecto putandus qui studiis istis liberalibus claruerit, nisi forte diutius. Marmora et cementa restitura (!) vetustati quam [fol. 59a] litterarum monumenta confidimus. Nec tu profecto Macedoni Alexandro (sit vero venia) iure cesseris mathia Rex seu victorias eius seu beneficentiam consideres. Que duo prima tantum in rege fautrix miratur antiquitas: nisi forte credemus Arabas Iudos Aramenios Chaldeos molissimas fugacissimasque gentes laboriosius vinci quam Thurcos et Mysios et Triballos, et Illirios et Liburnos et Boemios et Rhetos et Vindelicos: et alias itē plus esse putamus quod unum aut alterum donavit ille bene de se meritis hominibus oppidum quam quod in omnium pene sinus quoscunque dos aliqua ingenii virtuisque (!) nobilitate e tuis istis beneficiis manibus quasi perenne fluit aurum semper ut aqua de fontibus et in maximam venire iam questionem cepit illud. Unde nam tibi tanta ista tamque inexhausta divitiarum copia sic omnibus usque quaque largienti quamquam facile a prudentibus intelligitur que plerique alii principes in suas cupiditates ac libidines profundunt, ea te tantum vel in edificiorum nobilissimas substructiones vel in usus publicos vel in hanc postremo de qua nunc agimus beneficentiam conferre. Quapropter vehementer cupio labore aliquo meo tuam celsitudinem demereri. Cupio studiis ingenioque meo, si detur: commendare me tibi Rex invicte. Qui sim vero, quemve inter litteratos locum teneam: malo equidem ex aliorum tibi quam ex meis indicari verbis. Tantum dixero me Laurentis medicis magni sapientieque (!) viri tuarum virtutum studiosissimi: non

diligentia minus quam liberalitate de obscuro tenuique loco qui nascentem susceperat in aliquam certe lucem dignitatemque nullis adeo nisi litterarum adminiculis pervenisse profiteri iam multos annos latinas Florentie litteras magna (quod omnibus notum est) celebritate. Sed et grecas ex pari cum grecis quod nescio an alteri latinorum (dicam enim audacter) mille circiter annos ante contigerit: stilum denique sic ipsum per omnia pene materiarum diverticula duxisse feliciter: ut (quod erubesco quamquam pene testatum referre) cunctos ferme quicunque in litteris etate mea claruerunt habere meruerim laudatores. Atque hec ego de me Rex indulgentissime novo scilicet et periculoso more multorumque reprehensionibus obnoxio simpliciter tamen sedet vere: nec enim hoc nisi et illud ad te scribo: quod deliberare secum tua sapientia velutique prescribere possit (modo non hec aspernetur) ubi nos potissimum scilicet in tue spem gratie nostri nervos ingenii contendamus. Si quid igitur ipse mandaveris obibo libens sin minus etiam tamen pro iudicio captuque meo: quod tibi fore arbitrer quam gratissimum. *Bibliothecam video iam pridem comparas* omnium: sicut expectamus: non ornatissimum (!) solum sed etiam copiosissimam. *Possumus igitur multa (si res postulet) e graeco vertere in latinum tibi,* multaque rursum quasi nova cudere. Quae nec ab eruditis forsitan respuantur. *Regiam construis* idem longe magnificentissimam, forumque tuum *simulachris omne genus vel aeneis vel marmoreis exornas.* Nec autem cessant ubique terrarum nobilissimi *pictores tabulas tibi pulcherrimas vivis* animare coloribus. Et ista ergo possumus te iubente non erubescendis illustrare carminibus. Iam bella et paces mandare victuris utriusque linguae monumentis et historiae molli filo contexere pridem didicimus, tum vel undanti solutae vocis eloquio vel immortali musarum cantu totam posteritatem sacris implere praeconiis. Quia philosophiae seria ne defuerint cupienti milleque iocis taedium subinde mille profecto argutiis fefellerimus. Nec autem vendito ista tibi dum sic indico. Nec mihi referri ob ea gratiam quaero. Nec abunde relatam putabo, si placuerit ex me tibi non dicam res ipsa sed animus. Ut autem

gustum sumere aliquem iam nunc vigiliarum nostrarum possis, en poema tibi multa lima cruciatum, quod laudes poetice quod historiam continet omnium fere vatum. *Sed mittam commentarios paulo post* in id opus copiosissimos, in quibus quicquid de varia multiplici lectione condidimus explicabitur. Ac (nisi me dulcissimus amor suscepti laboris fallit) tantas ex hoc libello velut e thesauro divitias proferemus, ut magna ex parte studiosae iuventutis quaedam veluti inopia relevetur; ac tum denique, puto, quivis intelliget quam multis ista mihi lucubrationibus constiterint. Quare ne quaeso numeret Angeli Politiani carmina lector sed ponderet. Tu vero, Mathia, rex regum prorsus omnium celeberrime, dum tibi commentarios quoque multiplici pagina surgentes evigilamus accipe hunc interim, rogo, libellum vultu quo regem decet, hoc est sereno et hilari. Quem tibi videlicet ego, si non eruditissimus, at certo tuo nomini devotissimus homo, quasi deo donum religiosa mentis atque animi pietate consecravi. Vale.

Angelus Politianus[1] *mathie Regi. Semper invicto suppliciter se commendat.*

Simia fertur catulos suos editos recens ita mirabunda contemplari, quasi nihil fere (?!) animalia credat formosius. Sed et ab homine temptari eosdem vehementer pudet (?). Quid igitur mirum si poeta quoque aliquis hoc est rerum naturae simia suos ita *foetus*, adamat ut magno quoque *Regi porrigere tractandos audeat?* Praesertim cum cecus iste amor sui sit huic generi tam familiaris ut neminem fuisse unquam, poetam scribat cicero qui meliorem se poetam alium crediderit inveniri. Sane vero partus hic meus cui nutrici nomen ita nunc mihi blanditur ut non omnino indignum putem, qui tuos quoque etiam moretur aliquamdiu oculos matthia rex imo de cunctis aetatis nostrae Regibus belli pacisque artibus admirande, cuius audito viro nomine litere omnes et ingenue artes prope iam moribundae revi-

[1] Cappon. 235. f. 18. B.

viscunt. Argumentum operis poetica est, et poetarum historia per membra decurrens explicandaque tamen uberrimis commentariis ut si quae forsitan insunt quasi gemme non iam legantur in palago. Sed littores (?) eos igitur tibi commentarios inuincte rex hortatur quoque Philippi valoris tui pertinaciter. Urgemus scilicet ut tanto auspice studiosorum tenella ingenia sic inde quasi de plenissimis uberibus nutriantur.

Valeat Xa. T.

S. R. Angelus politianus[1] post invicte manus oscula s. d. quamquam nec fortuna mea, nec eruditio, nec ulla omnino virtus eiusmodi est, ut licitum mihi putem scribere ad te. Rex invicte, tanta me tamen dignitatis splendoris glorieque tue, tantaque laudum tuarum iam per omnium ora volitantium perculit admiratio ut sponte sua calamus ipse meas exhibere tibi literas testari animum significare voluntatem gratias agere denique totius etatis nostre nomine gestiat. Que nunc virtutum tuarum pene celestium beneficio, iam cum vetustis seculis iamque cum omni fortiter audet antiquitate contendere. Nam profecto si brevitas hoc epistolaris aut si ratio temporis pateretur ipsa me faceret audacem veritas ut ostendere temptarem nullius unquam veterum nec laureas nec auratos currus cum tuis posse rebus factisque prorsus immortalibus comparari. Ut enim que pene puer adversus impias africe contumaces gentes prelia gesseris ut fusos diversorum hostium validissimos exercitus ut capta oppida vi, predas abactas impositas nationibus asperrimis leges, ut item domesticas artes et decora pacis minime bellicis concessura praeterirem. Quanta se mihi tandem rerum credibilium facies aperiret si lacessitos confractosque remigio tuo rudes intactosque prius oceani tumentis fluçtus commemorarem despectas herculis metas redditum tibi ipsum qui fuerat intervulsus orbem terrarum barbariamque illam ne rumoribus quidem nobis antea satis cognitam fatuam immanem incultam sine more, sine lege, sine religione ferino prope ritu degentem

[1] Cappon. 235. f. 33. A.

nunc humanitati parte nunc vite nunc docilitati et cultui nunc etiam pietati restitutam porro mihi tum narrandi locus idoneus hic esset. Quante nostris hominibus illinc invecte comoditates quam larga compendia quam multa importata vivendi subsidia quanta etiam veteribus historiis accessio facta quanta rebus antiquis olim sane vix credibilibus adiecta fides quantaque rursus eisdem sit admiratio.

Petrus Ransanus Siculus Episcopus Lucerinus Divo Matthiae[1] Hungarorum Regi potentissimo ac sapientissimo utriusque vitae faelicitatem.[2]

Solent nonnulli quum discedunt ab eo quem amaverunt, aliquid illi relinquere, quod sit veluti pignus quoddam sincerae et non simulatae charitatis officium . . . Cum igitur in regia tua biennio ipse ferme[3] sim versatus ac propterea satis animadverterim, inesse tibi permultas rege optimo

[1] *Matthiae* a C(odex).

[2] *Epitome Rerum Hungaricarum* velut per indices descripta auctore Petro Ransano apud Mathiam Regem olim Regis Neapolitani triennium legati. Impressum Tirnaviae Eliminatione et Relectione Lucae Pecchi Pannonii. M. D. LXXIX. — A munkának régibb, Sambucus-féle kiadásaiban, valamint az ezeknek alapján rendezett Schwandtner-féleben is, Ransanus dedicatiója és Mátyáshoz intézett üdvözlő beszéde, melyből valók az itt közlött részletek, hiányzanak. Feltünő különben, hogy a könyvnek 37 fejezete (indices) közül a tartalomjegyzék szerint a 37-ikben „fit mentio eximiorum operum quae in compluribus regni sui locis et erexerit magnifice et exornavit splendidissime (Matthias)", magában a könyvben pedig minderről szó sincs. A kiadás szövegét a Nemzeti Múzeum Quart. lat. 348 jelű XV. századbeli hártya-codexével hasonlítottam össze, melynek egykori birtokosai „Comes Georgius Thurzo Regni Hungariae Palatinus A. 1611" és Jankovich voltak. A codex elején „Frater Joannes de A. Siculus Panormita ordinis praedicatorum Sacrae Theologiae Professor"-nak Bakacs Tamáshoz intézett dedicatiója van. A Mátyáshoz intézett dedicatio eleje egészen addig, hogy: *genere locupletissimum* — a codexben újabb által van pótolva. Quod humanitatis officium prudentissimus quisque recte semper mirificeque laudavit, et quidem non iniuria, eo namque fit ut licet sit absens qui amavit in eo tamen qui amatus est dulcis quaedam et quae non facile aboleri possit benevolentiae memoria perseverat.

[3] ferme *om. C.*

dignas corporis animique virtutes fieri profecto nequivit, quo minus ad te diligendum vehementer allicerer, eo deinde magis est auctus amor in te[1] meus, quod non solum quum primum perveni in regnum hoc tuum, me tu et suscepisti benigne et habuisti perliberaliter, sed quamdiu etiam apud te fui, me non mediocriter[2] honore affecisti. Iure igitur es humanissime Rex meo aliquo dono dignissimus. Fateor tamen ingenue mihi non esse vel argentum, vel gemmas aut aurum, quo donem regem, quem nullus mortalium dubitat esse omni divitiarum genere locupletissimum. Est nihilominus mihi Dei naturaeque beneficio vis tum mentis tum animi, qua sum ausus quaedam tuae Maiestati exigui ingenii mei dedicare monumenta. Sed ostendam paucis, unde mihi incesserit[3] ea excitandi ingenii, seu cupido seu cogitatio. Cum *superioris anni hyeme Viennae agerem,* tua Beatrix Regina sapientissima[4] tradidit mihi legendum *codicem quendam,*[5] *quo scribitur series principum, qui ab Atila ad tuam usque tempestatem regnum in Hungaria tenuere.* Cumque perlecto libro animadvertissem, eam seriem non tali nitore orationis explicitam,[6] qualem rerum Maiestas ac dignitas postulasset, Regina ipsa hortante, contuli me ad scribendum stilo paulo cultiore quaecunque de Hungarorum principium regno atque ordine libri illius auctor non satis latina oratione prodiderit.[7] Sum nihilominus hac usus licentia, ut nonnulla quorum ille non meminerat suis scriptis adiecerim, quaedam autem quae redundare parumque ad rem valere sunt visa, detraxerim. Quod eo feci, quia non fuit mihi animo prolixam scribere historiam, sed Epithoma quoddam condere rerum Hungararum quod pro tui ingenii excellentia uno pene spiritu posses ipse perlegere. Quae vero his de rebus ex eo quem dixi codice decerpta a me collectaque sunt, ea aliaque illa, quae super addidisse me dixi, adieci ego ingenti cuidam operi meo a triginta iam annis incoepto[8] et ad[9] haec usque tempora continuato, nondum tamen edito,[10]

[1] in te *om.* *C.* [2] mediocri *C.* [3] incaesserit *C.* [4] tua B. R. sap. rasurában van *C*-ben. [5] in quo *K*(iadás). [6] explicatam *K*(iadás). [7] prodiderit *K.* [8] incepto *K.* [9] ab *C.* [10] ędito *C.*

quod inscribo omnium temporum Annales. Eius operis sexaginta iam volumina absoluta mihi sunt. Quo circa fit, ut eis (!) qui est de rebus Hungaricis, sit ipsorum Annalium liber primus et sexagesimus. Quanquam et alia occurrit causa, qua in condendo Rerum Hungararum epithomate, versari decreverim. Opere nanque illo meo cuius memini et memoravi, quae pertinere sunt visa ad regna pene omnia, quae a multiplicatione generis humani post diluvium ad hoc usque saeculum magis in orbe clara magisque celebrata fuere, solum praetermiseram regnum hoc tuum, non plane quod illud describere me piguerit, fuit autem mihi impedimento quod nunquam fui in Italia nactus hominem, quo docente rerum de quibus loquor veram atque exactam potuissem habere notitiam.[1] Me itaque in Hungaria agente, ac veniente in manus meas opusculo quod dixi, narrantibus praeterea compluribus autoritate[2] praestantibus viris tum rerum tum locorum eiusdem tui amplissimi florentissimique regni[3] peritis, scribendi ea laborem suscepi[4] quem (uti par est) tuae Maiestati et quidem non invitus dedicavi. Quae vero a me eo libro commemorantur ea tu perquam maxime intelliges ex indicibus qui ante ipsius libri initium[5] adnotati sunt. Bene vale rex optime.

Quae vero eo libro traduntur ex his delecta sunt auctoribus.[6] Beato Matheo[7] Evangelista, Beato Hieronimo,[8] Beato Augustino, Caesariensi Eusebio, Herodoto, Aristotele,[9] Strabone, Plinio, Solino, Pomponio Mella. Ex vita Beati Martini. Ex vita Beati Leonis papae. Ex gestis Romanorum principum. Ex vita sanctarum undecim milium virginum. Ex vita Beati Stephani Hungarorum Regis. Ex vita Beatae Margaritae filiae Beli[10] IV regis Hungariae. Ex historia Elinii de origine barbararum nationum post Constantinum. Ex vita Caroli Magni scripta ab Angelo[11] Acciaiolo Florentino. Ex quadam Papae Pii Epistola, qua Viennam urbem descripsit. Ex scriptore Hungariae historiae.

[1] noticiam *C.* [2] author *K.* [3] regi *K.* (!) [4] suscępi *C.* [5] initicium *C.* [6] authoribus *K.* [7] Mattheo *K.* [8] Hieronimo *K.* [9] Aristotelle *C.* [10] Belii *K.* [11] Angelio *K.*

. . . Anno salutis humanae octogesimo octavo supra Millesimum et Quadringentesimum missus ego sum a divo Ferdinando Magni (!) Siciliae Rege ad Divum. Matiam[1] Regem atque ad Beatricem Reginam Hungariae legatus. Quibus vero de causis fuerim eo missus, aliqua ex parte explicatur oratione quam ad eosdem Principes habui, cuius hoc est exemplum.

Index primus continens orationem authoris ad Regem Matthiam et Reginam Beatricem.

. . . Tuum (Mátyás királyhoz beszél) vero esse affirmo quod innata excellenti atque versabili ingenii tui dexteritate adipisci tibi in hac via studuisti. Adeptus quippe tibi es sapientiam, qua virtute divinarum rerum calles notitiam, causasque aliarum rerum altissimum atque supremas persaepe contemplari perfacile potes. Adeptus tibi es et scientiam, qua pro tui ingenii excellentia potes multa tum de coelorum ac syderum, tum de aliarum rerum naturis prompte disserere. Adeptus es prudentiam, cuius tribus illis partibus, quas ei Philosophi tribuunt, in cunctis tuis negociis uteris diligentissime. Id autem compertum satis habent, qui vim tui noverunt ingenii, quandoquidem et praeteritarum rerum nulla te capit oblivio, et eas quae instant etiam munitissimas acute exacteque consideras et eas quae futurae sunt solerter atque industrie prospiscis. Nihil dico de arte, quam Aristoteles et Philosophi illius sectantes disciplinam docent, esse rationem eorum quae manu fiunt. Quis nescit, eiusce virtutem fuisse te adeo eminenter adeptum, ut nihil fieri manu possit, cuius studio, ingentium praesertim ac splendide extruendorum aedificiorum et que sunt magni Regis magnificentia digna, non maxime delecteris? Opera ipsa a te magnificentissime partim refecta, partim reparata, cum essent vetustate vel diruta vel colapsa, partim ab imis erecta fundamentis, quod dico manifeste testantur. Nihil vel simulate, vel per assentationem loquor. Affirmant qui viderunt, erexisse te quibusdam in locis inexpugnabiles arces, alibi regias, quibus vix habentur toto terrarum orbe similes, alibi hortos, quorum consitarum arborum est ordo pulcherrimus, alibi

[1] Matthiam *K.*

Deo dicatas aedes, omni quo decet ornatu, splendidissimas. Non facile numerari possunt pretiosae multiplicis generis variique coloris vestes, vasaque et argentea et aurea quae divinarum rerum usui dedicasti. Audivi praeterea superioribus diebus dum Viennam versus iter ad te facerem, constitui nunc a te Bibliothecam ingentem et omni ex parte eximie mirificeque ornatam, in quam (aiunt) multa milia Codicum non vilis neque contempnendi praecii, id est qui sint perpulchris exarati literis, intusque et extra, te et velle et iam caepisse congerere. Nihil dico de domus tuae praeciosissima supellectile, quae tanta talisque est, ut cunctos qui eam vident atque considerant menteque pensitant non in mediocrem adducantur et stuporem et admirationem. Accersisti praeterea e multis Europae locis, ex Italia praecipue, multarum rerum opifices, id est fabros tum lignarios et cementarios, tum argentarios, sculptores praeterea atque pictores, a quibus manu tibi, transcriptoresque librorum fierent multorum generum opera, qae tibi et voluptati dum vivus, et ubi vita excesseris, essent maxime tuae magnificentiae monumenta. His quas dixi virtutibus quas Peripatetici Philosophi vocant intelectivas, viri sapientes qui quanti sis, recte pensitavere, perhibent te cunctos qui toto orbe sunt principes absque ulla controversia superare. De virtutibus iam quae dicuntur morales, verba faciamus. Tua iustitia, cuius virtutis splendor est maximuset ex qua boni viri nominantur teste oratorum principe Cicerone, tantae virtutis splendor, adeo in te nitet ut non dubitent omnes qui te Rege vitam in Hungaria egerunt, ipsius cultorum esse te principium, quando quidem ius suum nunquam alicui mortalium denegasti. Tua est fortitudo, cuius virtutis vires arduissimas saepe numero et aggressus es et foelicissime confecisti. Nam quae unquam gessisti bella adversus quoscunque hostes de quibus non sis gloriosam adeptus victoriam? Caeterum his de rebus paulo post pauca quidem sed quae erunt mentione admiratione que digna commemorabo. Tua est magnanimitas, mansuetudo, modestia, temperantia, humanitas, urbanitas, veracitas. Quarum virtutum quaenam sint munera in Ethicis quidem ab Aristotele erudite ac locuple-

tissime traditur, sed ipsorum munerum[1] habere te usum, qui te noverunt, universi praedicant. At vero quamvis morales eiusce virtutes a more dicantur, ideoque ipsas assequi plerisque mortalium congruat, in Rege tamen qui bene sapienterque vitam instituit, qualem te esse constat, ex splendore solent multo et excellentius et admirabilius remicare. Nec putes me praetermisisse liberalitatem, quae virtus maxime tua est. Ob eius enim merita et plurima mirificorum operum exempla, tuum nomen a mortalibus ubique non mediocriter extollitur, celeberrimeque commendatur. Quippe si qui principes tempestate nostra ob liberalitatis opera claram sibi vendicaverint famam, tu cunctis semper anteponeris, cum non modo nomine, verum etiam re ipsa omnium illorum unus munificentissimus ac beneficentissimus et sis et habearis. Tuae inquam sunt omnes quarum memini intellectus morisque virtutes, cum eas tu foelici quondam naturae dono usu tibi comparaveris . . .

Ad serenissimum principem ac Christianissimum Pannoniarum regem Mathiam Iohannis de Regio Monte in tabulam primi mobilis praefatio.[2]

Audivi saepe numero viros graves dum saeculi nostri causarentur iniquitatem vehementer dubitare solitos, plus ne gerendis rebus humanis conducant litterarum monimenta an morum pericula diversorum quibus ubique societas homiolim erupturus sit, ab hiis expetendum est, qui eius immani-

[1] numerum.

[2] A mű czime az 594. számú krakkói codexben (XV. századbeli papirkézirat) a prologus után: *Problemata cum expositionibus eorum per Venerabilem virum dominum magistrum Iohannem Germanum de Monte Regio composita pro Tabula de Primo mobili universali et perpetua.* A codex elején levő számozatlan hártyalapon: *Abacus primi mobilis per Magistrum Iohannem de Regio Monte calculatus.* Más kézből (a XV. század végéről): *iste liber legatus est per magistrum Albertum de Brwdzow pro libraria artistarum.* A műnek egy másik kézirata Schier szerint (Memoria Academiae Istropolitanae. Viennae 1774. p. 43., 44.) megvolt Bécsben a Windhageni könyvtárban is. A mű legelőször Nürnbergben jelent meg. Azután Bécsben 1514-ben, Wittenbergben 1585-ben.

num contexitur. Quippe cum mortali conditione et nascamur et vivamus variis ac paena assiduis impliciti curis vix cuique suos affectus tam brevi aetatis curriculo datur internoscere. Alienas autem cupiditates ac motus animi quoslibet praesertim in viris natu grandioribus quorum consiliis cepte servantur civitates, ne divinare quidem possis qui etsi palam explorentur ad perpetua tamen hominum commertia haut quaquam satis erunt, siquidem experimenta maiorum quo minus iugi commemoratione iuniores moneant multifariam interturbantur bellis caritate annonae seditionibus et aliis innumeris id genus pestibus. Contra vero si priscorum dumtaxat monitis inhiare pergas neque aliorsum mentis tuae specimen flectas, cum mortuis vitam degere non iniuria videberis, aut certe vix paucula quaedam libamenta illinc capesses quae ad contemporaneos te sodales concinnent, adeo pleraque omnia solet aetas invertere. Quo mihi rectius colligi visum est utriusque rei adminiculo humani ursus habenas compesci oportere, quoad siue causarum omnium legittima et indissolubilis cathena sive dei summi arbitrium permiserit. Nam etsi haec duo gerendarum rerum initia construas morum intsm humanorum peritiam et veterum hortamenta scriptorum, non tamen parum usque deerit, quo minus singula quaeque negotia prudentius absolvantur. Quod plane in nostro saeculo tantis tamque variis circumvento erumpnis nimium liquet. Iam dudum enim, ut externa praetereamus gloria Europae nostrae quamvis ex prudentia semper et litterarum cultu floruerit, adeo tamen labescit ut nisi protectore quodam divino suffulta fuerit, propediem exitium turpe passura videatur. Nescio si recensere liceat quam crebro incursu, quamque exquisitis itineribus ac coctidianis insidiis sacrilegus ille Machameti satelles Daciam, Pannonias Dalmatiamque et Illiridem ac ceteras finitimas terras propugnacula rescuntis (!!)[1] Europae percellat. Nam de Graecia iam pene extincta vix paucos et quidem non nisi illinc oriundos aegre habere audias. Quantum draco iste lunari silva latitans virus undique versum evomat quamque horrifico strepitu vicinas teritet urbes quam perniciose nisi arceatur

[1] = ruentis.

tatem iamdiu ac multum retundere conati sunt. Mihi quidem non tam ruentis imperii christiani fortunas quam torporem atque inertiam nostrae aetatis mecum reputanti grande nescio quod mutationis genus subrepit, quo universa quaeque tam operum humanorum quam litterarum studia alia quidem aliis ministris consiliisque resartienda sint. Cumque tantus rerum instaurandarum acervus hos quidem ad militare munus evocet, alios autem ad respublicas civiles sive restituendas sive protegendas aut aliquando ampliandas invitet nonnullos colendae telluri aut aliis quibuscunque admoveat officiis quorum omnium ope laboriosam ac prope defessam hanc nostram aetatem plurimum egere nemo dubitat litterali potius exercitio quam facundis operibus si quid virium est allegari velim, neque indifferenter quibuscumque liberalibus studiis versari iuvat, cum nonnulla sint quae fluctuabundis et pene caducis innixa fundamentis vix sua meruisse nomina videantur, quoniam et si a singularibus sectarum principibus cognomenta suscipiant insignia, tot tamen vulgo discerpuntur ramis quot capita sectatorum praecipua offendas, atque idcirco ubi pedem sistere possis locum reperias nullum. Disciplinis igitur illis summopere incumbendum censui, quae suorum firmitudine principiorum roborate ad excelsas et prope incredibiles evadunt sententias, quibusque argutum ingenium dietim aliquid certi superaddere queat, quas neque vetustas temporis comminuere neque professor loquaculus versatili quopiam interpretamento detorquere possit. Me nimirum aeternae cultores suos memoriae dedicant, quae ipsae sempiternae et immutabiles existant. Nam si quid in eis paulo infirmius passim obicitur, alieno quodam contagio id accidisse certo scias sive indocte traducentium, sive perverse exponentium, quorum utrumque cernere est, cum in aliis disciplinis tum in ea maxime quae ad celestia spectacula terrenis posthabitis ludibriis erectos iubet attollere vultus, quae etsi ex antiquissimis maximorum penetralibus virorum nata sit, perque Claudium Ptholemeum eximie lucubrata regibus oriunda et hiisdem perinde quasi peculiaris semper fuerit, hodie tamen (proh hominum desidiam) prope modum abstrusa nugisque anilibus ac falsis exposiunculis

intertexta serenam mortalibus negare frontem audet, tanquam immeritis et nunquam gratias dignas habituris. Eius equidem mihi numen inspirari velim ut excussis plerisque omnibus ineptiis resarciri quod possibile est et in lucem depromi queat. Itaque viam maiorum ingresso mihi crebris motuum celestium observationibus et ad veterum monimenta collationibus geometrico ut assolet interiecto glutine res efficiunda videbatur, quarum quidem inspectionum etsi superioribus annis multas collegerim, multo tamen plures quoniam negotium perarduum est adiungendae sunt quo profundius ad veritatis usque medullam penetretur. Interea autem ne ceptus deo duce gradus cessante calamo segnior fieret hunc abacum astronomicum supremo celorum atque celerrimo accomodandum exegi opus profecto immortale si praeter iactantiam dici potest, ac aeternum, quod geometrico puro et inviolabili innitatur fundamento, in cuius exercitio et si res nonnunquam variabiles supponantur, ipsum tamen ille sum perpetuo servatur et nunquam defecturum adeo ut si post mille et multo plura annorum secula reparandum foret non aliud quam nunc est, exprimi possit. Ceterum in eius usu problematum speciem habente mathematicorum non eloquentia spectari debet, quoniam res ipsa minime capax est non documentorum continua et cohaerens undique series, sed iocunda et universalis atque mirifica rerum complurium scitu dignissimarum brevitas. (L)ongitudinem plani eque distantis horizonti hoc pacto metieris. Gnomã connecte ligno longiori per claviculos suos, ita ut latus minus vacuum sinistre tue obiiciatur et plumbum ex superiori foramine lateris dextri pendeat. Fige itaque pedem instrumenti huius sic, ut perpendiculum linee sue innitatur; deinde znm[1] plani propositi vide per foramina auricularium quas sustinet regula gnomonis znm[2] que particularum lateris dextri (!) q̄ ad regulam ipsam desinunt tabelle huic negocio accomodate inter edirecto eius numerum offendes nigrum docentem quom (= quae) porcio ligni inter pedem suum et caput gnomonis clausa in ipsa plani longitudine continetur adiuncto limidio gnominis latere.

[1—2] numerum ?

Quanta vero sit oculi et note vise cuius cum rata interea pedo sic addiscas.[1] Ligno longiori cui adheret gnomo brevius connecte per incisuram suam ad angulos rectos, deinde fige instrumentum in terra aut quomodolibet siste, sic tamen ut die acus lingni (!) brevioris directe respiciant notam electam que res occulo exannatôe[2] facilimum afficiatur. Inspecta gitur nota memorata per duo foramina auricularium numerus quem regula ex latere dextro gnomonis absumit tabelle immissus demonstrabit quae porcio ligni longioris inter caput gnomonis et lignum breviusculum existens in ea quam metiri pergis intercapedine conprehendatur. Superaddita item costa gnomonis dimidia. Altitudinem turris aut alterius proceritatis horizonti perpendiculariter insistentis sic accipito Gnomo item cohereat ligno longiori capite tamen dimisso, ita videlicet ut vacuum minus latus dextre tue opponatur et plumbum ex foramine superiori pendeat deinde figatur instrumentum ea conditione quod perpendiculum liniam suam occultet. Cacumen altitudinis mensurande per foramina auricularium tibi videatur regula cum nm (numerum) ex alterutro gnomonis seperabit quem tabelle predicte inferens, numerum nigrū in directo eius notabis. Is enim ostendet quociens longitudo que instrumento et proceritatis mensurande pedibus interiiciat in altitudine proposita continetur. Siquidem regula gnomonis inter meciendum lateri iacenti incubuerit quam si lateri gnomonis stanti innitaretur (!) versa via numerus niger preactus (!) monebit quociens proceritas quesita in ea quam diximus longitudine reperitur. Voco autem latus gnomonis illud quod iacens quidem horizonti eq̄ distat stans vero reliquum horizonti ad rectos incidens. Memento tamen longitudini quidem instrumenti et proceritatis mensurande pedibus interiacenti gnomonis dimidium latus adiiciendum esse, altudini (!) autem per artem traditam mn͡ale[3] c͡a ligni longioris porcioni q. latere gnomonis infimo et plano suscm͡ato[4] instrumentum intercipitur superaddenda. Vide q. ut necessarium sit hinc opere intervallum ad pedem proceritatis meciende desinens cuius profecto noticia haud facile dabitur

[1] adiscas. [2] examinatione ?! [3] iuvante ? [4] sustinendo ?

nisi penitus adeundi facultas prebeatur quo circa alia via dicendum esse censeo. Disposito itaque instrumento ut paulo ante monitum est zmo q. nigros per tabulam elicito transfer ipsum instrumentum rectissime remocius aut propinquius ad rem mensurandam quemadmodo (!) loci ipsius situs aut condicio permittat eoque fixo non secus atque nm (= numerum) nigrum superius anta la (?) sume cuius et supra dicti nm (= numerum) dram[1] tene nanque intercapedo duarum stationum suffixionum instrumenti proceritatem quesitam quociens memorata numerorum dram unitatem continebit.

Etsi huiuscemodi numerorum dram utrius eorum contuleris longitudo interstitii alterutram stacionem et pedem rei mensurande intercipientis haud quaquam latebit. Quociens enim dra tlis[2] i nno (= numero) cui confertur extitit tociens intercapedo duarum stationum in ea longitudine reperietur que pedi proceritatis et stacion numerum tlem prebenti interiacet hec omnia procedunt qu[3] regule gnomonis in utraque stationum lateri gnomonis stanti adnititur quam si adherebit lateri iacenti dra numerorum nigrorum utervis eorum collecte notificat quod est inter stationem que num tlem reddit et tlem proceritatis metiende quemadmodo in casu precedente monuimus. Hoc demum intervallo mediante per 3-m capitulum cognosces altitudinem rei mensurande. Contingit autem nonnunquam ut [*im* sorvégén om ?] alia quidem staco[m] regula gnomonis lateri stanti adnitatur in altera vero lateri iacenti quod qu[4] accidet necesse erit inter ipsas staciones dari puncta in quo si fixeris instrumentum et summitatem rei mensurande per foramina speculatus fueris regula gnomonem suum per equa parcietur ac utrinque 1200 particulas absumet. Tli[5] igitur situ medio utaris pro prima statione, secundam autem eligas ex duabus stationibus auca (antea?) factis distantiorem videlicet a pede proceritatis mensurande. Reliqua vero ut superius efficienda sunt. Facile postremo proceritas monti vel tumido (!) cupiam insistens declarabitur si suis de pedis sui dm vero capitis a solo nostro perpendicularis sublimitas ex antea dictis constiterit. Ubi enim

[1] directam? [2] talis. [3—4] quum. [5] = tali?

alteram talium sublimitatum ex altera deprompseris, nota relinquitur altitudo quaesita.

Τελος κανονουμ γνομονις υακτι (= facti) περ magistrum Ioannem de regio monte pro serenissimo Mathia rege Hungarie.[1]

Raphael Regius Philippo Cylano Maiori Agriensis Ecclesiae Praeposito, ab Ungariae Rege ad Venetiarum Principem Oratori felicitatem.[2]

... Hanc vero lucubrationem atque recognitionem nostram, ut tibi dicarem, tuoque acerrimo iudicio subiicerem, cum aliae divinae virtutes tuae, tum excellens doctrina et summus literarum ac eloquentiae in primis amor effecit. Ea nanque a teneris usque annis laudatarum artium iecisti fundamenta, ita Bononiae te Philippo Beroaldo eruditissimo facundissimoque humaniorum studiorum professori excolendum tradidisti, ut in primis doctus et disertus in patriam repetaris. Id vero cum sapientissimus Pannoniorum rex Vuladislaus facile animadvertisset simulque te singulari et prudentia et fide et constantia et integritate et continentia et benignitate et pie-

[1] Cod. Cracc. hr. 568. („Liber Magistri Leonardi de dopszicze Sacrorum canonum baccalaurei Collegiati Maioris Collegii artistarum datus pro libraria artistarum studii Cracoviensis) XV. századbeli papirkézirat 213 oldal. A krakkói egyetemi könyvtár jegyzéke Csontosi szerint (M. Könyvszemle, 1882. p. 384.) azt mondja róla, hogy: „212—213. l. Ex libro Heronis De inani et vacuo, quem inscripsit Landfoidus (igy!). A 213. lapon ez áll: Τελος . . . per magrum Ioannem de Regiomonte pro Serenissimo principe Mathia rege Hungarie.“ A leirás hibás, a mennyiben Landfridus p. 212-iken áll, a 313-ik lapon pedig Regiomontanus gnomonjának leirása, melynek colophonját a kézirat-catalogus szerzője nem birta elolvasni. A lap szélén a 2-ik és 3-ik kikezdéshez egy geometriai ábra van irva, de a mely Ábel kezdetleges és világosan ki nem vehető rajza miatt nem reprodukálható. Egyébaránt a compendiumok értelmezésében Ábeltől több helyen eltértem. Így is nehezen érthető a szöveg, melyet a rajznak kellene megvilágositnia.

[2] Ovidius Metamorphosiseinek Raphael Regius-féle kiadásából fel van véve az 1602-iki frankfurti Ovidius-kiadás 3-ik kötetébe.

tate et religione praeditum esse perspexisset, primum a secretis delegit, deinde opulentissima praepositura honoravit et ad inclytum Venetiarum principem gravissimumque senatum te oratorem saepius iam legavit. Qua quidem in legatione adeo prudenter adeo modeste adeo graviter, adeo benigne, adeo splendide te geris, ut omnium oculos in te convertas, omnesque denique ad te amandum colendumque pellicias. Me certe tua singulari humanitate ita cepisti, ut te non felicitate modo, verum immortalitate quoque dignissimum esse existimem. Illa vero si te donare possem nullum equidem quamvis magnum laborem recusarem, quod autem possum, hanc lucubratiunculam nostram tibi dicavi, quo nomen tuum una cum Ovid. Metamorphosi per totum orbem Christianum ubicunque Latinus auditur sermo, celebretur atque lectitetur . . . Vale eximium humanitatis et religionis Christianae ornamentum. Venetiis VIII Calend. Iunias M. D. XIII.

Reverendissimo Domino Domino Nicolao de Gerend Transilvanen. Episcopo Sacrae Romanorum Hungariae et Bohemiae etc. Regiae Maiestatis intimo Consiliario.

(Georgii a Reicherstorf epistola.)[1]

. . . Quorum (historicorum) in numero quanti fiat Thucidides, Polibiusque Tua Reverendissima Dominatio, quae tam graecorum, quam latinorum monimenta plurima percurrisse, diversasque regiones et provincias perlustrasse, perspectissimum est, haud ignorat . . . Datum Posonii Calen. febru. Anno . . . 1541.

---

[1] „Moldaviae quae olim Daciae pars, Chorographia, Georgio a Reicherstorf Transylvano . . . autore. Excusum Viennae Pannoniae per Ioannem Singrenium M. D. XLI.“ Negyedrétben. Bővebben szól e kiadásról Kemény, Kalászatok, p. 73., 74.

Ad Reverendissimum in Christo patrem et D. Dnum. Thomam tituli Sancti Martini in montibus S. S. Romanae ecclesiae presbiterum Cardinalem Strigoniensem Patriarcham Constantinopolitanum ac Apostolicae sedis a latere legatum, Ludovici Restionis Vordingani oratio, in congratulatione adventus sui Viennae nomine florentiss. universitatis habita.[1]

. . . Quamvis his [méltóságoddal] uteris non ad viles usus sed ad excitandos ad virtutem et optima quaeque studia et provehendos ad maximas dignitates omnes in quibus aliquod probitatis ac virtutis inditium perspectum habeas, cuius tantae tuae benevolentiae humanitatis ac munificentiae non solum in doctos omnes verum etiam in litterarum cupidos testes sunt, tot praestantissimi viri et virtute et omni eruditionis genere quos in tua tam magnifica familia et amplis et honestis conditionibus habes, testes sunt tot egregii adolescentes qui vel domi, vel Cracoviae, vel hic, vel in Italia tuis auspitiis tuoque ductu omnifariam studiis operam navant. Non uteris his ad extruendas magnificas arces aereasque turres, sed ad profligenda infestissima et Christianum sanguinem sitientia Turcarum arma . . .

---

[1] „Orationes Viennae Austriae ad Divum Maximilianum Caes. Aug. aliosque illustrissimos Principes habitae. In celeberrimo trium Regum ad Caes. conventu. Anno M. D. XV. Végén: „Impressum Viennae Pannoniae per Hieronymum Vietorem. Expensis vero Leonardi et Lucae Alantsee fratrum. Mense Ianuari. Anno M. D. XVI." Az idézett beszéd után következik „Ad eundem R. P. Sylvula" czim alatt 32 distichon Bakacs Tamás dicséretére. Végén mondja a költő:

Meque tuo numero clemens ascribe clientem
   Subque piis alis usque tuere tuis.
Tum dabimus forsan non fastidita tuarum
   Laudum, virtutis et monumenta tuae.

Sebastianus Saluinus Nicolao Batoreo Pannonio Episcopo Vaciensi Suppliciter se commendat.[1]

Rabbi Samuelem Iudaeum contra Iudaeorum proterviam inanemque in dies spem tibi dedico, Venerande pater, non hercle ut te mihi utcunque promerear aut fructum sentiam aliquem iudicii tui de me, sed ut meam observantiam quae in te summa mihi est, semper agnoscas increduli que Iudaei a te tandem ratione convicti patiantur telis vulnera facta suis. Quem verti ut potui, utque eius materia patitur, elegantius, seu interpretis seu qui exscripsere vitio barbarum ac pene corruptum a Rabby Samuel Iudaeo ad Rabby Isaac synagogae principem, arabicis ut nonnulli putant, litteris prius scriptum. Qui cum ex arabico in graecum seu latinum immo ut dixi barbarum ab Alphonso Hyspano ad Pontificem Bonifatium duodecimum anno almae salutis millesimo tricentesimo trigesimo nono, quinto sui anno Pontificatus, fuerit iam traductus, eiusmodi interpretatione Bonifatius ipse Metrocotoniorum episcopatui Alphonsum praeesse voluit. Quod immeritus neque requiro, sed ut soluto more semper me ames.

---

[1] Cod. Maglibbecch. XXXIV q. 72. chart. saec. XV. in 4°, fol. 63. Végén: Finis. Nonis Octobribus 1477. Valószinűleg Salvinus autographja, arra enged legalább következtetni a szövegben található számtalan javítás és vakarás. A kérdéses munka fol. 2b-től fol. 39a-ig terjed, huszonkilencz fejezetben. Fol. 39b—45b-ig egy Sebastiani Salvini de sacramento czimű munka van, melyet Salvinus, úgy látszik, megint valamely egyházi férfiúnak akart felajánlani, v. ö. a Praefatiót: „Sebastianus Salvinus Florentinus (most egy félsor üres maradt a tulajdonnév számára: Accipe opusculum a Sebastiano Salvino de sacramento nuper editum tuoque nomini dicatum. Fieri minime posse putabam, venerande pater, quin ad virum sacrum et fere ab ineunte aetate sacris initiatum aliquid scriberem de sacramento stb. Est enim mihi animus erga te maximus voluntate aptissimus ac paratissimus. Utinam mea semper tibi placeant, ut placent mihi tua suntque undique placitura stb. — Fol. 46b—63b-ig egy más munka: „Consideratio seu interpretatio brevis omnium psalmorum Davit canticorum hymnorumque aliorum prophetarum atque sanctorum et gratiarum eis contentarum orationisque dominicae Sebastiani Salvini Florentini ad (most üres tér a tulajnév számára.)

IV. Sixtus pápa Kassai Miklóst haereticae pravitatis inquisitornak nevezi ki.[1]

Sixtus Episcopus etc. Delecto filio Nicolao Ignacii de Cassovia ordinis fratrum praedicatorum et theologiae professori, salutem etc. Religionis zelus, litterarum scientia, vitae integritas, et fidei constantia, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam fide dignorum testimoniis novimus insignitam, merito nos inducunt, ut illa tibi committamus, per quae orthodoxae fidei (lumen) et haeresum et errorum extirpatio iuxta cordis nostri desiderium valeat provenire. Cum itaque per Regnum Hungariae, in quo proh dolor (!) multi errores haeresesque occulte vigere et continuo pullulare saepe numero auditi sunt, nullus ibi haereticae pravitatis inquisitor existat, nos cupientes, ut errores et haereses huiusmodi penitus extirpentur, ac fidei praedictae lumen in illis partibus magis elucescat, te, de cuius sana doctrina, singulari eloquio et fidei constantia, aliisque multiplicum virtutum donis plenam in domino fiduciam obtinemus, huiusmodi haereticae pravitatis inquisitorem per totum Regnum ac universum dominum Carissimi in Christo filii nostri Regis Hungariae instituimus, ac etiam deputamus, tibique contra omnes et singulos illarum partium haereticos et scismaticos inquirendi et procedendi, illosque capiendi et incarcerandi ac puniendi, omniaque alia et singula quae ad officium inquisitionis huiusmodi de iure vel de consuetudine seu alias quomodolibet pertinent, faciendi, exercendi, exequendi et commitendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem. Et insuper te generalem apostolicae sedis praedicatorem in eisdem Regno atque dominio Hungariae auctoritate et tenore praefatis constituimus et deputamus, tibi verbum dei in et sub Regno et universo domino dicti Regis Hungariae, etiam contra haereticos, scismaticos et perfidos Turchos

[1] Theiner: Vetera Monumenta Historica Hungariam Sacram Illustrantia. Romae, 1860. II. p. 487. „Ex Reg. orig." An. XIII. bul. div. lib. XVIII. fol. 325.

aliosque infideles praedicandi, insinuandi fidem orthodoxam, ac ecclesiasticam libertatem et sedis apostolicae dignitatem et honorem defendendi, et illorum inimicos seu eis quovismodo adversantes expugnandi, ac alios idoneos praedicatores loco tui, ubi et quotiens tibi expediens videbitur substituendi et surrogandi, aliaque omnia et singula, quae pro fidei huiusmodi defensione et exaltatione, ac errorum et haeresum profligatione, et infidelium confutatione, ac apostolicae sedis defensione necessaria et oportuna cognoveris, faciendi, exercendi et exequendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem, districtius inhibentes omnibus et singulis Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum ordinariis et quibusvis aliis personis ecclesiasticis et secularibus, cuiuscumque dignitatis status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, sub excommunicationis poena, quam quilibet contra faciens ipso facto incurrat, ne tibi in praemissis per se vel alium seu alios, directe vel indirecte quovis quaesito colore aliquid impedimentum afferre quomodolibet praesumant, sed omnes favores et auxilia tibi ac a te substituendis, quando requisiti fuerint, omni mora et consultatione remota realiter praestent. Et ut Christifideles ad audiendum verbum dei, quotiens illud seminari contigerit, eo ferventius animentur, quo ex hoc dono coelestis gratiae conspexerint se refectos . . . Omnibus et singulis Christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui praedicationibus devote interfuerint, quotiens id fecerint, centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus . . . Datum Romae apud sanctum Petrum Anno Incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio, quinto Kal. Novembris Pontificatus nostri Anno Tertio decimo.

Stephanus Taurinus Olomucen. Illustrissimo Principi et Dno. D. Georgio Marchioni Brandenburgen. Sereniss. Pincipis Ludovici Ungariae et Boemiae etc. Regis potentiss. tutori digniss. etc. Dno suo gratioso sese humiliter comendat. [1]

Cum superioribus annis, Princeps Illustrissime, apud Reverendissimum Indulgentissimumque Dominum meum D. Io. Thurzo Praesulem Vratislaviensem meo cum Venceslao de Wylhartycz Iurium professo viro, non minus lepido quam festivo, Nissae Socraticum ad Symposion scitis quibusdam convictoribus suis vocatus, pariter assedissem, tum de te Illustriss. Principe, tum de bello (ut vocant) Cruciferorum sermo habitus est, ubi animum eius hoc uno scrupulo vehementer angi aiebat. Avebat enim scire quibusnam impulsoribus, quo fato, qua denique ratione permoti fuerint Pannonii agricolae, ut contra regni illius nobilitatem tam propalam arma sumpserint Mavorcia. Nam ea tempestate Illustriss. D. tuam nonnihil damni ab iisdem perpessam fuisse inaudiverat; ego vero tunc variis permotus rationibus tacere pocius quam multa inconsulto effutire malui. Nihilominus D. sua Reverendissima (quae sua est et humanitas et benignitas prope singularis) me, cui merito praecipere poterat, valde benigniter stimulabat, ut Marte meo tam initium quam exitum plebaei furoris huiusmodi, ceteraque id genus omnia quo fieri posset compendiosius conscriberem, conscripta quantocius publicarem. Quare ego, qui multis de causis imprimis Tuae Illustr. D., deinde toti Turzigenae domui omnia debeo, iniunctam mihi provintiam obviis ulnis et assumpsi et nedum ea quae desiderabat . . . sed etiam multo plura perscripsimus. Quinque enim libros carmine hexametro a nobis olim scriptos sacro nomini tuo dedicare instituimus. Utinam eiusmodi sint, quae vel tuis in me meritis, vel meae erga te observantiae

[1] „*Stephani Taurini Olomucen.* Stauromachia, id est Cruciatorum Servile Bellum. Quod anno ab orbe redempto sesquimillesimum quartodecimo et Pannoniam et Collimitaneas provincias valde miserabiliter depopulaverat. In quinque libros summatim digestum.“ Végén: „Impressum Viennae Pannoniae per Ioannem Singrenium.“

respondeant. Hae, inquam, nugae nostrae non modo, ad severum unguem exactae non sunt, verum ne primam quidem manum totam acceperunt. Nuper enim dum Istrogranae aulae moererem (!) partim continuis rauci fori patrociniis, partim Reverendissimi Dni. mei D. Thomae Cardinalis Strigoniensis, Legati Apostolici, obsequiis inevitabilibus, ita obstrictus eram, ut a tanti Principis conspectu interdiu etiam per transversum digitum abesse mihi non liceret. Itaque necessum erat inter strepencium aulicorum catervas aliquid literarum furtim transcurrere, et nocturnis subcisivisque horulis fuliginosas ad lucernas quaedam excerpere, excerpta in ordinem redigere, redacta dedolare. Tandem ubi hoc opus, cui titulum fecimus Stauromachia, paene suum ad umbilicum perduxissemus, de repente adscitus eram Inclytae Albensi Transilvanensi ecclesiae, in qua per Reverendissimum D. meum D. Franciscum de Warda, eiusdem ecclesiae Pont. digniss., tum magistratu Vicario, tum aliis non vulgaribus sacerdociis admodum graciose suffarcinatus, Prothomystem ago, subinde eos libros loculosum in scrinium cum aliis chartulis meis conieci, Regia Buda solvi, et post longas viae ambages Albam Juliam pervenimus vita comite et prosperantibus fatis, ubi et quotidianis negociis instar hydrae subpullulantibus praecordia nostra sursumque deorsumque multiphariam distracta alio intendebant. Nec mirum id quidem. Quid enim commercii Musis esse potest verbosis cum iuribus? Illae summo gaudent ocio literario, haec sine extremis rixarum negociis nunquam rite peraguntur. Proinde hae nostrae inepciae in nonum usque mensem clausae delituerant. Invaserat me adversa quaedam valetudo non minus diutina quam gravis, cuius ego impaciens clarissimum Dnum. Andream Selingum philosophiae et medicinae doctorem, languentis naturae ministrum perinde disertum atque diligentem, Sibinio accersivi, qui cursu Paegaseo advolans ultra dietam mihi iniunctam id speciatim, ne quid omnino librorum attingerem, interminabatur. Ego autem in Plinii sententiam pedibus iturus, omne id temporis quod studio non imperciatur, perire ratus, committere nolui, ut sumptum praeciosissimum vilissimus corporis morbus sibi totum abriperet,

praesertim cum hanc vitam velut alioqui caducam et incertam praeter literaria ocia nihil suavitatis habere, ita ad bonas literas perdiscendas plerisque breviusculam contigisse, ipsa rerum experiencia cerciores facti sumus. Intermissis igitur Iurisprudenciae aliisque gravioribus studiis, redeunte pristino vigore, humaniores delicacioresque Pegasidum et Charitum fontes delibare destinavi. Revolvi confestim Chartophilacii mei schedulas, tum forsitan (Diis ita violentibus) Strauromachia nostra in ipso statim limite in manus incidit, pulvereo situ et blatis iam paene obducta, quam etiam tum denuo recognovi, placuit, sed non aliter quam primus partus puerperae . . . Vale, literatorum singulare profugium, tuumque Taurinum apud Invictiss. Principem et Dominum, Dominum Lodovicum Ung. et Boemiae etc. Regem Christianiss. sedulo comendatum. habe. Alba Iulia, ad Kalendas Bifrontis Iani, Anno Christiano M. D. XIX.

Fran. Siculi Transil. Exasthicon. [1]

Dirruta Meonio quantum vel Pergamma vati
  Debent, vel rapidis vectus Ulisses aquis;
Quantum Roma suo debet victura Maroni,
  Et pius Aeneas, durus et Agricola:
Taurino debent tantundem regna poetae,
  Quae gaudent titulis, Rex Lodovice tuis.

(A Stauromachia első könyvéből, v. 81—98. Buda várának leírása.)

Hic ubi fulnificis olim fornacibus Ethna
Ignea erat, munus recoquendae calcis adustum
Cornibus oblongis pluviosum clausus ad austrum,
Mons erat exectus (!) regalem substinet urbem,
Budam Romani, fornacem nomine appellant
Teutones externis opulentam rebus. Ibidem

[1] Ugyanazon kiadás elejéről.

Regia digna Iovis, nascenti pervia Phoebo
Roscidulis Phaëtontis equis quando aurea cano
Purpureas aurora comas de gurgite profert,
Tollit ad astra caput, laqueataque tecta coruscis
Divitiis, crassoque trabes absconditur auro.
Istic Phidiacis lucent asarota figuris,
Fornicibus crustata domus, Parioque politae
Effigies instar speculi de marmore fulgent.
Ornat caelatos aes fulvum et fusile postes,
Purpureum Sardam maculosum onychen, ebur alta
Atria sustentat, viridi distincta smaragdo,
Circumquaque calet fons limpidus undis.

37 . . . Ibat Ioannes Goston,[1] veterum atque novorum
Hystorias, Sacramque Chelin, qui sidera coeli
Novit, ceu proprios ungues . . .

42 Deinde Ladislaus Vaciensis,[2] dexter agundis
Pannoniae in rebus, charitum Phoebique sacerdos,
Emunctae nimium naris, pede sive ligato,
Sive lubet magnum sermone tonare soluto
Aequavit veteres, praesentia nomina vincit.
Huic haesit parili studiorum laude, Cathedrae
Boznensis[3] praesul, reliquos sermone pelasgo
Pontifices magno post se videt intervallo . . .

63 Quem simul et Regem tacito observare, Georgius[4]
Caeperat, insignis praesul Quinqueecclesiarum
(Sed male in hexametro quadrant haec nomina versu)
Integer et purus sceleris cui maxima Regni
Res curae est, et cui sua Cancellaria curae est.
Vir probitate ingens, huic non consultior alter
Rebus in ambiguis, fandi gnarissimus, illo

Széljegyzetben a következő magyarázatok:
[1] Reverendiss. D. Iauri.
[2] Rev.mus D. Vaciensi Lad. Zalkanus.
[3] R. D. Micha. Keserew Eps. Boznen.
[4] R. D. Geor. Epus. Quinqueecclesiensis Regni Cancellarius.

Praesule nil usque videas studiosius illo.
Nemo minus solus, quam solus, quippe diei
Noctem operosae addit multam, furatur et horas,
Quis veterum evolvit, volvit monumenta novorum.

(A Stauromachia ötödik könyvéből.)

1 Franciscus Wardai, praestans cognomine avito
Praesul, turrigenas Daciae, qui temperat urbes,
Phoebeis celeber studiis, qui docta Thalia
Compositio dedit ore loqui, quo pectora Regum
Mollescunt, bonus et pius extremam usque ad amussim.
Huic Regnum, huic Reges, huic Transsilvania debet,
Namque suo innumeros contraxerat aere quirites,
Bella manu gessit propria, punctum tulit omne,
Omniaque emeruit placidae palmaria pacis.

(A Stauromachiához való jegyzetekből.)

. . . Epitaphium vetustissimum in marmore exculptum, et a pientissimo optimoque Praesule Lad. Gereb. olim fe. me. Episcopo Transilvanensi divi Michaelis archangeli foribus intersertum, . . . Quarmiz urbs ingens et quondam Decebali Dacorum Regis sede clara, tandem ipso devicto Colonia Ulpia Traiana Augusta Dacia fuit; modo Varhel ab accolis dicitur, hoc est locus castri. Id primum Ioannes ille Mezerzius Archidyaconus Colosiensis et olim Canonicus Ecclesiae Albensis Transilvan. vir sane multi nominis, multarumque literarum peritus, et quae ad exquisitam eruditionem praesertim antiquam (quam non perinde multi assequuntur) pervenerit, dum annis superioribus, velut ipsi erat ardens antiquitatum animus, urbis antiquae praedictae ruinas rimaretur, animadvertit.

(A munka zárszavából.)

. . . Huc pertinet quod paucissimis ad modum diebus, Saturnalibus inquam vel stultorum feriis, in quibus (ut fit) iusticium edixeram, clamosi fori a strepitu hos commenta-

riolos raptim congessi. Hoc unum bonarum literarum candidatos admonuisse velim, se plurimum bonae frugis ex hiis nostris (quantaecunque sint) lucubraciunculis percepturos esse, quibus Illyriam omnem, item cum Boemia Moraviam nativos penates nostros, denique utramque Pannoniam, totidemque Moesias, postremo Transsilvaniam ipsam colimitaneis cum provinciis maiori ex parte a nobis tum peragratis, tum collustratis oculato testimonio... descripsimus. ... Valeto. Aedibus nostris. Albae Juliae pridie Nonarum Martii. Anno graciae. M. D. XIX.

Georgio Thabiasii Transylvani Decastichon ad Lectorem.[1]

Annales patriae Ianus dum condit amatae,
  Flebilibusque ligat carmina docta modis,
Et conspersa iocis epigrammata tersa facetis,
  Ludit, scriptores vertit et Inachios,
Dum canit et laudes, simul horrida bella virorum
  Clarorum mors haec tam bona multa tulit.
Non mage dilectum Thetis optima luxit Achillem,
  Moerentes fratrem nec Phaëthontiades,
Patria qûam Ianum deflevit moesta poëtam,
  Vate tamen facta est patria clara suo.

Georgii Thabiassii Transylvani ad libellum Phalaeici Hendecasyllabi.[2]

Prodi, parve libelle, quid moraris?
Quid lucem refugis? satis superque
Mures, phymata, stridulosque gryllos
Pavisti, satis et diu tenebris
Luxisti, domini manum supremam
Expectans, mala casibus repente

[1] Ianus Pannoniusnak Marcellusra írt panegyricusának 1522-iki, bolognai kiadásának elejéről.

[2] Ianus Pannonius tizenöt elegiájának 1522-iki, bolognai kiadásának végéről.

Quem fors implicuit nihil merentem,
Nec te est ducere passa ad umbilicum.
Non te, qui reliqui iacent libelli
Perturbent, studio tui incalentes
Proment Paeonii abditos, tibique
Iungent; o niveo dies lapillo
Signanda illa erit; interim boni quod
Phoebus consulat, et Deûm omnium rex,
Prodi parve libelle, quid moraris?

Divo Matthiae Regi Invicto Pannoniae Boemiaeque Anthonius Thebaldeus.[1]

Mandavit mihi Majestas Tua, ut libellum De Vitis Imperatorum emendarem; quem etsi propter barbarorum colluvionem pertinacis mendae omni ex parte depravatum reperi, conatus sum reddere emendatiorem ac proprio scribere χειρογράφω.[2] Sed cum sciam splendorem tuum plurima lectione oblectari et velle ad unguem optima quaequae noscere non videor propter summam auctoris brevitatem illi aut mihi satisfecisse. Quod si gratum erit, expectabis[3] a me novam editionem,[4] quae singulorum imperatorum vitas non ita ieiunas, sed floridiores et uberiores enarrabit summo cum studio; nam nihil esset tam arduum atque laboriosum, quod illius nutu avidissime non exequerer. Vale.[5]

---

[1] Cod. Marc. class. cod. 79. Kiadta Morelli Jakab is, Bibl. R. Divi Marci Venetiarum custodis bibliotheca manuscripta I. Bassani 1802. p. 418. és Valentinelli, Bibl. Msta ad S. Marci Venetiarum, VI. 1873. p. 47., az utóbbi tévesen kiadatlannak hitte. — A czim hiányzik Morellinél. Ant. Th. *C.* pertinaces mendas (*coll.* ki van hagyva) Morellinél.

[2] ΧΗΡΟΓΡαφο *C.*

[3] expectabit *C.* és Morelli.

[4] ęditionem *C.*

[5] *Vale* hiányzik Morellinél.

Sigismundus Thurzo prepositus Albensis ac Serenissimi hungarorum et bohemorum etc. Regis Secretarius Aldo suo salutem. [1]

Devenerunt iis diebus certi libelli in formam Enchiridii in meas ac Reverendissimi domini Georgii Episcopi Varadiensis manus, quibus propter eorum comoditatem mirifice oblectati fuimus. Nam ex quo propter varias nostras occupationes vix tantum nobis ocii conceditur ut in edibus nostris poetis vel oratoribus vacare possimus, iis propter eorum tractabilitatem: et inter ambulandum et ut sic dixerim inter aulicandum nacta oportunitate pro maximis utimur delicijs, utque duos ex illis puta Virgilij et Oracij opera: inter ceteros id genus libellos magis castigatos: et pulchrioribus caracteribus impressos ex edibus Aldi Romani emissos conspexi mox mihi in mentem venit, tuam et hortari et orare humanitatem: quo pro veteri nostra Amicicia Marcum quoque Tullium tam in Epistolis quam eciam in aliis libris, in hac eadam forma legendum nobis traderes. Si igitur charissime Alde cognoveris hunc quem veteris Amicicie nostre causa tibi impono laborem: tibi non esse aliquid dampni allaturum. Velis Reverendissimi domini Varadiensis et meo desiderio morem gerere: atque libros Tullij quos sine tuo beneficio legere non possumus legendos nobis tradere. In quo et nobis et studiosis omnibus rem facies valde gratam. Vale feliciter Ex Buda XX Decembris anno a Nativitate Christi Millesimo quingentesimo primo.

Ad Serenissimum ac Invictissimum Dominum principem christianissimum Dominum Mathiam Hungariae Bohemiaeque etc. Regem etc. Iohannis Tolhopff in Stellarium praefatio. [2]

Rem novam, Serenissime Princeps ac regum maxime denuo aevo Maiestatis Vestrae iuxta demonstrationes anti-

[1] Autograph; cod. Ambros. E. 30. inf. vol. VII. A levél hátán: Excellenti ac erudito viro domino Aldo Romano amico meo clarissimo.

[2] Kivonatban közölte Rumy *Zeitschrift von und für Ungarn* 1804. V. p. 215., 216. 1463-ból való (Radix Bude 1463 és ugyanaz az évszám gyakrabban), 1480-t is emliti (fol. 14a).

quorum et modernorum observationes compertam, Stellarium dico instrumentum nobilissimum perutile et iocundissimum elucubrationibus tandem solertissime ordinatum eidem clementiae vestrae dedicatum cum humillima subiectione offero donoque per quod coelestium mobilium numerus tandem nostra ingeniatione iuventis, quam celestis corporis sit dispositio varia clarissime conspicitur . . . . . .

Quo ut fundamento iactato quae hac nostra mundi renovatione fatali ordine causantur, quod ingenioli mei facultas suppetit diluci labuntur, quibus per decennium maximis laboribus dies noctesque plurimas insomnes pertranseundo insudabam posthabitis honoribus divitiisque spretis et emolumentis variis postergatis (?): papale palatium: Imperiales et principum curias: ad quae vocatus relinquens: minerales Musas mihi desponsatas: beneficiorum proventus litibus expositis negligens, stipendiorum commoda parum pendens: ut Regi meo rem gratam et perutilem in perhennem laudem ac gloriam indelebilem et famam perpetuam facerem: cui totum memet iam diu quo fatali Numine ignoro vendicavi: nec livore invidorum et obtrectantium nec favore persuadentium distrahebar: quin impensis non mediocribus etiam fortissimo conatu insisterem mihi persuadens dignam rem singularemque Regi utilem honorabilemque cum effecerim suis ne consideret in tanti regis alta sapientia lata prudentia profunda magnificentia Prefata omnia cum usuris habiturus. Splendent hic palacia gloriosissima toto orbe terrarum haut similia honoribus muneribus et diviciis quem ne unquam his dignum tanti Regis maiestas clementissima si meritus est non praefecerit atque irremuneratum abscendere dimiserit. Musas ferreas aut etiam argenteas reliquisse quanti est si nedum et illas verum etiam aureas et cum Bacho dulcissimo in vineis salientes conspicimus. Nedum eciam terra verum et flumina praebent massam preciosam mineralem. Ubi aliis in regionibus vario labore sal excoquitur hoc aureo in regno quod Iupiter ipse per impluvium aureum gubernat montes tote salescunt. Inretitus celesti radio quae inesset conspicerem, his longe maiora quam putabam comperio. Non fefellit ergo opinio. Dignetur itaque Rex gloriosissime hoc opus novum

Maiestas Vestra Serenissima cum humillima subiectione oblatum gratiose suscipere. Quod si pergratum opus fecisse persensero favente divina clementia temporis successu non inutilia diversa opera nec vulgaria sed rege digna afferam per ordinem. Et in hoc Maiestati Vestrae Clementissimae habere me velim commendatum.

De maximis mutationibus regnorum Prognosticon D. Magistri Antonii Torquati Artium et Medicinae Docto. Ferrariensis clarissimique Astrologi ad Serenissimum Matthiam Regem Ungarorum Anno Christi M. CCCC. LXXX conscriptum et ab eodem anno usque ad M. D. LXXXVIII durans. [1]

. . . Haec dixisse scripsisseque voluerim Serenissime Rex et tibi direxisse, ut nonnullam ex hoc caperes voluptatem et in eo tamquam in speculo futura prospiciens, etiam quae ventura erunt post te, praenoscas, ut beneficiorum a te receptorum non immemor dictum vaticinium gratiarum loco referendarum Maiestati tuae mitterem. Qui obsecro non donum sed mittentis cor aspiciens benigne accipias et Torquati tui semper in bonum sis memor.

---

[1] Az 1480-iki jóslatnak 1534-beli kiadása, melyet Toldy Kemény Történelmi és Irodalmi Kalászataiban, p. 11., apokryphnek tartott. A jóslat főbb részeit gr. Kemény közölte i. m. p. 10—13., „1480-beli jóslat Magyarország jövendőjéről" czim alatt. Magának a jóslatnak és német forditásának számos kézirata van meg, kivált a bécsi udvari könyvtárban, ad 7306. (fol. 1—16.).

PROGNOSTICON Anthonii Torquati Ferrariensis artium et medicinae Doctoris, Astrologi clarissimi de Europae eversione, quod Mathiae Regi quondam Hungariae dixit, anno salutis nostra 1480. (arabs számokkal).

Ez van az első lapon. Az 1—15. lapon különböző népekről szól; a 16. lapon fenn ez áll:

Haec scripsisse volui, et tibi Serenissime Rex dixisse, ut nonnullam ex hoc caperes voluptatem, et in eo tanquam in speculo futura prospiceres. Et etiam quae futura sunt post te praenoscas, et beneficiorum a te acceptorum non immemor, Vaticinium hoc gratiarum loco offero. Anno 1480.

Így az interpunctio is.

Ludovicus Tubero Dalmata Abbas Gregorio Fregepani Colociensium pontifici Salutem dicit.

Qui liberis suis testamento tutores dare deliberant, non solum inter consultandum agnatos, quibus id negocii demandent quaerendos esse censent, sed etiam an hi ipsi amici sint, accurate despiciunt, maluntque alieno qui fidei suae documentum dedit, quam sanguine coniuncto, cuius animum parum perspectum habent, id oneris imponere; non enim recte propinquo, nisi idem sit amicus tutela committitur liberorum. Sed nec remissionem tutelae Romanae leges his tribuunt, quorum fidem aut testatoris aut praetoris iudicio exploratam esse constat. Quare cum confecissem aliquot de temporibus meis commentarios, cum quorundam veterum scriptorum et eorum sapientiae studiosissimorum provocatus exemplo, tum sanctimonia insignium nostrae sectae hominum studium secutus, eos ad te dono misi, ut tu scilicet perinde ac liberos ex necessario tuo genitos, tuaeque tutelae commissos ita in domum tuam excipias, atque apud te habeas, ut posteris quoque iudicium de te meum testatum sit; nam tametsi dicendi genere nihil fere laudis assequi debeam, nisi quod ad exsequendam historiam aliis materiam subiecisse videor, attamen praeterquam quod nuda quoque rerum narratione legentes delectantur, amore in te meo, quam notissimus esse cupio. Vale.

Antonio Episcopo Nitriensi Wladislai serenissimi regis Ungariae Boemiaeque oratori prudentissimo Udis Salutem. [1]

Rumores quos de serenissimo rege nuper in urbe diffusos accepimus, pater optime, vel minime dignos, qui de tanto principe dicerentur, in medio Romanarum litterarum ocio mihi somnum intercepere. Nec ipsa rei patitur indignitas in

[1] A prágai egyetemi könyvtár ID3. jelű XV—XVI. századbeli papircodexéből, fol. 98., 99. Az előtte levő tiszta lapon e följegyzés: Hanc epistolam dominus Nicolaus Flasscator dive Barbare altaris olim Sacellanus Crumnoviae propria manu perscripsit. Fol. 99a—132a következik

publico errore silere silendoque magis ac magis praeterfa[1] et aequum Regiam infimari Maiestatem. Quid enim indignius et detestabilius esse potest, quam de illo principe male sentire, cuius beneficio in patria, in libertate, in orthodoxa fide tuto vivimus, cui denique debemus omnes. Quicunque veritatis numen laedunt aut alios laedere patiuntur, facile periclitantur et in perniciosam deperditamque corruunt cecitatem, sine qua, ut divus inquit Plato, nemo mortalium beari potest. Veritas enim cum diis, tum hominibus dux omnium est bonorum, cuius qui felix et beatus futurus est, ab inicio statim particeps esse debet. Quod ut assequatur, diuturnam in veritate vitam agat. Illum plerique male suasi principem polygamum[2] nominant, quo nihil adhuc castius continentiusque dici potest. Huic profecto Chryson Astylus et Dyopompus facile cesserit, qui in perpetua virginitate vixere, quin Acrum Tarentinum facile superarit, qui certaminis Olimpici gratia nunquam Venerem cognovit. Misogamum[3] nonnulli reputant et irreligiosum quod ab infaustis et sterilibus calamitosis matrimoniis se reglutinare contendat. In hac rerum turba, sacrosancte pater, prudentiam tuam omnes[4] admirantur. Circumspectus enim tuus haudquaquam commovetur[5] animus, ubi et quando opus est levi et demissa voce cuncta adversariorum dicta confutas, argumenta promis ardua, Regis dignitatem cum modestia summa defendis, et plus lenitate remissioneque sermonis quam ceteri contentione proficis. Id veritatis numen ac fidei prudentiaeque tuae tribuendum. Nos igitur rem universam a multis edocti, ne alios in crimen laesae maiestatis cadere pateremur, Wladislai Regis Apologiam scripsimus, testimonium perhibuimus veritati quae iustitiae dux est. Et ut inquit Orpheus, cum illa sit

„Wladislai Serenissimi Ungariae Boemieque Regis Apologia". A szerző, ki a *Udis* (Οὐδεὶς senki) álnév alatt rejtőzik és nagyon jól van informálva, úgy beszél magáról, mintha sohasem lett volna Magyarországiban; számos görög és latin idézete tudós szerzőre vall. V. ö. fol. 121b: Illa imprimis mihi succurrit, quam ab Ungaris saepius accepi, cum nunquam in Pannonia fuerim.

[1] phas *C.* [2] polyganum *C.* [3] misoganum *C.* [4] omnis *C.* [5] commonetur *C.*

iniquitatis inimica, iustas semper conscientias amat fovetque. Id fecimus non tantum uti rem Dignationi Tuae gratam faceremus, quin ut nostro satisfaceremus officio et longe aliter ac acceperant Itali sanctissimum religiosissimumque Ungariae regem esse cognoscant. Excitat non parum comparandi spes amici, sed multo magis ratio veritatis et officii, cum utrumque violari nemo vir bonus sine scelere patiatur, praesertim cum de illius dignitate agitur, qui perpetuus est Christianae reipublicae propugnator. Proinde tui Udis Apologiam aequo animo accipe, et non quid praestiterit sed quid voluerit quaeso considera. Quod ingenium praestare non potuit, id studium fidesque rependat. Vale ac incognitum tibi Udin si amare potes et debes, ama.

Fol. 120a. s köv. Benemeritam de rege ac regno Beatricem dixeris; ne nos quidem infitiamur, sed benemeritum quoque de illa regnum negare nequimus, cui indulgentissimum obsequentissimumque semper fuisse constat. Fatemur[1] equidem ingenue in hoc bellorum aestu Corvinum a regni voluntate[2] dissentientem reginae copiis fuisse profligatum, fatemur eiusdem ad Cassoviam equitatu Albertum fusum fugatumque fuisse fatemur; eius exercitum in omni expeditione ac praelio non affuisse solum, verum etiam praefuisse, fatemur ipsam centena circiter milia in his bellis non tam officii quam imperii gratia erogasse. At quis ingentia regni merita in eam serenissimumque patrem imperante quondam Mathia negarit? Omnia imprimis quae debuit officia cumulatissime persolvit, indulgentissimus semper in eam fuit, permisit insatianda liberalitate sua, ne prodigalitatem dixerim, tantum erogare pecuniarum,[3] ut ne mediocri quidem ex parte Ungariam exhauserit. Tantam[4] in histriones, mimos et cytharedos, tantam in choraulas fonaschos, cantores et utriculatorios, tantam denique in assentatores futilemque peregrinantium multitudinem nummorum profusionem huiusque toleravit, ut hos sumptus et allatam dotem id ex decuplo superavit . . . Nonnulli in Neapolitanos (qui

[1] fetemur *C.* [2] volutate *C.* [3] peccuniarum *C.* [4] tanta *C.*

non tam officii gratia quam munerum spe allecti visitabant) usque adeo profusam memorant, uti plures in Neapolitanis abacis Ungaricas (uti aiunt) copas quam in Pannonicis numerare queas. Quare nullius regnum ingratitudinis argui potest.

Fol. 125b. Clementiorem enim Mathiam ac magis popularem ante eius adventum fuisse praedicant, postea vero difficiliorem severioremque evasisse. Obstant crudeles eius animi et inexorabile quandoque pectus. Quippe quae quamvis nonnullos ostentandae misericordiae gratia extremo supplicio liberarit, magnorum tamen virorum salutem qui delatorum criminibus aut in exilium ultro concesserant, aut in perpetua vincta coniecti nihil morte turpius affectabant contempsisse visa (?) ne petiisse dixerim.

Thuz Ianum enim gravissimum sapientissimumque virum et e Pannoniae regulis haudquaquam inferiorem perpetuo exulare permisit. Petrum quoque Colociensem metropolitam, virum magna doctrina et integritate praestantem prae nimia loquendi libertate sibi infensum perpetuo carcere liberare non studuit. Perhorrebant etiam profusos insolentesque sumptus Ungari, quos prae nimia Mathiae regis indulgentia quondam facere solebat.

Fol. 28a. Nempe non ad regni salutem, non ad concordiam principum, non ad quietem populorum, non ad laetitiam et utilitatem gentium, sed ad continuandam, ut omnes plane vociferantur, tyrannidem,[1] ad exhauriendum regnum, ad saginandos histriones, ad locupletandos cythatedos et cantores, violenta et dira connubia molitur.

Thadaei Ugoletti litterae ad regem Matthiam datae.[2]

Dum opera erudita ab oblivione vindicare tot tantisque conatibus adlaboras, et ipse tibi, rex maxime, monumentum tuo dignum nomine extruis. Iam urbs nostra[3] (=vestra) veluti

[1] tyranidem *C.*

[2] A czim tőlem való. Kiadta P. A. Budik, Entstehung und Verfall der berühmten von König Mathias Corvinus gestifteten Bibliothek zu Ofen. (Jahrbücher der Litteratur. Wien, 1839. Bd. 88. Anzeige-Blatt) p. 41., 42.

[3] *nostra* után Budiknál zárjelek közt *Florentia* áll.

Athenae alterae splendet, splendebitque mox et hoc tuum institutum, cuius pulcherrimum ornamentum nomen tuum excelsum erit. Veniet felix ille qui tua erga Musas ingentia meirta meritis laudibus extollet opusque suum augustissimo genio tuo dedicabit. Opera, quae hic exarari mandasti, curabo ut tibi mox mittam. Exarata sunt: Aeschinis orationes, Aeschyli Tragoediae e Codice Constantinopoli empto, Arriani de expeditione Alexandri, Ciceronis Brutus, Plinii Panegyricus. Scriptura elegans est, scriptores ipsos non ignaros censeo.

Sancti Cyrilli Archiepiscopi de Animae decessu, deque eius vita altera Sermo. C. Ursino Velio interprete. Eiusdem Ursini Tomos quidam Evangelii Lucani in versus redactus. Eiusdem Oratio ante sacram corporis dominici communionem dicenda.[1]

(Az olmüczi püspökhöz intézett ajánló-levélből.)

„Neque vero sui desunt Maecenates Pannoniae, quid enim liberalius, quid doctius, quid sapientius Ladislao Salcano archiepiscopo Colocensi Reveren., cuius munificentiam nemo non probat, eruditionem admiratur, sapientiam denique incredibilem observat. Apud eos ipsos Pannones vel hoc nomine clarescit Stephanus Verbetius, vir doctorum amantissimus, et ipse litterarum studiis peculiariter addictus.

Clarissimo et egregio Viro Domino Benedicto Bekenio Pannonio Protonotario Palatinali Gasp. Urs. Velius S. D.[2]

Cum alias propter res multas multum sane debeo Pisoni doctissimo probatissimoque viro, tum praecipue loco singularis beneficii duco, quod illius domi praeterita hieme suavis-

[1] A könyv végén: „Viennae Pannoniae in aedibus Ioannis Singrenii. Men. Martio. M. D. XXII.“ Negyedrétben. A fent közlött részlet megvan Keménynél, Kalászatok p. 71.

[2] „Nenia Sereniss. Dominae Mariae Reginae Pannoniorum de Obitu Sereniss. Dominae Elisabethae Reginae Danorum Sororis Dulcissimae. Casp. Ursino Velio Autore. Eiusdem ad diversos Epigrammata.“ A könyv végén: „Ioannes Singrenius Viennensis Typographus excudebat. Anno a Christo nato M. D. XXVI.“ Negyedrétben.

simo in convictu, Benedicte Bekeni, te primum nosse coepi, cuius morum incredibilis svavitas summae mihi voluptati, ingenium atque animi moderatio non minori fuerunt admirationi. Tantopere porro complacita est mihi virtus tua vel primo gustu, ut repente te ad amandum vehementer mirabilemque in modum fuerim accensus, ac iam inde ab initio, ex quo iacta sunt fundamenta amicitiae nostrae, mecum in animo cogitavi, quo pacto et qua via mei erga te amoris atque observantiae magnitudinem tibi possem ante oculos ponere. Cum itaque perspectum haberem te eruditorum scriptis ac literarum monumentis imprimis oblectari, statui in praesentia tibi nugas hasce meas in publicum prodituras nuncupatim dedicare . . . Iam vero quidquid est libelli huius, ut gratius acceptiusque sit oculis legentium, et ponderis aliquid accedat magis meis, Reverendissimi ac amplissimi Domini D. Ladislai Salcani archiepiscopi Strigoniensis versus tametsi perpaucos, operi tamen minuto et non ita magni pretii consulto praefixi, quos ille, mirabile dictu, extempore inter funebres pompas, et immediate effudit, qui vir vel solus documento esse potest exteris nationibus, ut aliarum rerum omnium, quas natura ad usum cultumque vitae humanae produxit, copiam atque ubertatem affluere, ita animos sublimes et ingenia excelsa ac matura Pannoniis minime deesse. Quis vero est, modo sana sit mente, ac iudicio praeditus, qui non admiretur Salcanum arduissimis negotiis gravissimisque laboribus iam pridem ab ineunte aetate continenter occupatum, domesticis studiis tantopere et successivis horis, quae illi paucissimae propter infinitam rerum administrandarum vim et molem contigerunt, profecisse, ut nulli praeterea rei deditos, quam ingenii culturae bonarumque artium exercitationi, ipse insigniter antecellat . . . Magnifico et amplissimo viro D. Stephano Verbetio incliti Regni Ungariae Palatino me diligenter commendabis, quem ego virum propter et multas et egregias virtutes ipsius plurimi facio coloque et summopere observo. Viennae Kal. April. Anno . . . 1526.

Casparis Ursini Velii Oratio habita in Alba Regali die felicissimae Coronationis inclyti ac potentiss. Ferdinandi Ungariae Bohemiaeque Regis. Anno M. D. XXVII, III. Non. Novembris. [1]

(A Báthori István nádorhoz intézett ajánló-levélből.)

Excellens virtus tua, ac praecipua erga patriam pietas Spectabilis ac Magnifice Domine Inclite regni Hungariae Palatine, cuius anno superiore (1526) in eligendo rege Posonii significationem egregiam dedisti, laudem et nomen meretur sempiternum, etenim exstincto rege Ludovico secundum reginam ad te sub interregni tempus summa rerum administratio devoluta esset, indicto ex lege vetusta consuetudine sanis adhuc et integris regni primoribus qui inclitam reginam Mariam fuerant secuti conventu, author fuisti, ut magnanimum ac potentissimum principem Ferdinandum regem Pannoniorum nominarent.

Ursinus Velius Monastichaiból. [2]

fol. E. 11a. *Ad Reverendissimum D. Thomam Agriensem Episcopum et Regni Hungariae Cancellarium.*

Ad te missuro mihi carmina Cynthius aurem
  Vellit et increpuit me Deus ore sacro.
Stulte quid attentas? huic qui sua carmina mittit
  Pannoniae vites, Danubio addit aquas.

[1] A könyv végén: „Excusum Viennae Austriae per Ioannem Singrenium". Negyedrétben, esztendőszám (1527) nélkül. Bővebben szól e kiadásról Kemény, Kalászatok p. 73.

[2] A könyv czíme: „Hoc in libello continentur: *Monosticha* Regum Italiae, Albanorum, Romanorum et virorum illustrium, tum Caesarum usque ad nostram aetatem. *Monosticha* summorum Pontificum Rom. a Petro usque ad Clementem Septimum, Casparo Ursino Velio Authore. Eiusdem carmen ad Adrianum Sextum Pont. Maximum. Adiuncta sunt praeterea Epigrammata quaedam selectiora." Végén: „Excusum Viennae Austriae per Ioannem Singrenium. Anno etc. M. D. XXVIII. Cum gratia et privilegio Regiae Maiestatis." A fent közlött két költeményt követi négy ‚Inclyti Regis Ludovicii epitaphia'.

At qui, dicenti, hunc laudare heroa volebam
Laude vehas alios, hunc venerator, ait
Indoctos aliena canat Polyhymnia, Thomas
Fortia et hic facere et scribere facta potest.

Ad Amplissimum Virum D. Nicolaum Gerendi Epm̄ Transsylvanum Regni Hungariae Quaestorem.

Tam fido nuper gazam tibi credere certus
Custodem aerarii Rex iubet esse sui.
Mox et Pontifici tibi non sine numine lecto
Divinae merito est tradita cura rei.
O rarae exemplum fidei vir maxime, credit
Hinc cui divitias Rex, Deus inde suas.

(Ursinus Velus)[1] *Ad reverendissimum D. Ladislaum Zalcanum archiepiscopum Strigoniensem.*

Ante Iovem longo certamine Pallas, et augur
Delius et coniunx disseruere Iovis.
Quod maiora dedit tibi numen, ut illius esses.
Divitias Iuno, carmina Phoebus ait.
Pallas, ego huic pectus, vos ne contendite, dixit
Iuppiter, his maius cum dabo, noster erit.

---

[1] In hoc libello haec habentur:

Oratio Dominica in versus adstricta Caspare Ursino Velio authore.

Aurea Carmina Pythagorae graece ac deinde latina eodem Ursino interprete.

Eiusdem epistola ad D. Erasmum Rhoterodamum.

Eiusdem varia Epigrammata.

Végén: Finis. Viennae Austriae per Ioannem Singrenium. Anno. XXIIII.

A fent közölt két vers az Epigrammák közül való, megelőzi őket: „In Serenissimum Regem Pannoniae Ludovicum hastarum certamine vincentem" (6 sor), „In eundem venantem nondum egressum ex Ephebis" (6 sor), és „De Serenissima Regina Pannoniae Maria" (6 sor). Ursinusnak Sigismundo ab Herberstein-hoz intézett dedicatiója kelt Viennae Mense Maio. Anno etc. XXIIII.

Ad magnificum D. Georgium Silesium regis Pannoniae secretis.

Quae pueris eaedem fuerant, diversa Georgi
Nunc studia in melius, dii, meliusque ferunt.
Ut regum adsuesses audis tibi Iuppiter author.
Me colere Aonidum iussit Apollo nemus.
Tu facis eximie: tenues ego carminis orsus
Cogito, tu sulcas aequora, littus ego.
Quae me cumque premet, quae te fortuna beabit.
Conditio dispar nostra sit, aequus amor.

Reverendiss. et Ampliss. Domini D. Ladislai Sálcani Archiepiscopi Strigoniensis ad Serenissimam D. Mariam Reginam Panno. extemporalis consolatio. [1]

Hungara Reginae Danae Regina parentat
Amissa lachrimis plena sorore soror.
Cur ploret non est, vita clementior illi
Mors fuit; haec rapuit, quod dedit illa malum.

Eiusdem de feliciss. pauperio Serenissimae Dominae Bonae, Reginae Poloniae.

Quae Bona dicta fuit nunc regem enixa Polonis
Optima felici facta puerperio est.

---

[1] Ez és az utána következő epigramma Ursinus Velius Gáspárnak már említett Naeniájából (1526) van véve. Újra kiadta Denis, Wiens Buchdruckergeschichte és Kemény, Kalászatok p. 72.

Ad Reverendissimum D. Ladislaum Zalcanum Archiepiscopum Strigoniensem. [1]

Fessus Atlas humeris qui coelum et sydera torquet,
Quesierat qui tam grande subiret onus.
Noluit Alciden, neque enim suffecerat ille
Cum prius aethereum sustinuisset opus.
Salcanum ut vidit tot ferre negotia solum,
Et tot cura hominum milia stare sua.
Hic ait innumeros hominum qua mente labores
Sustinet et coeli templa Deosque ferat.

Aliud.

Coelum Atlas humeris et sydera portat et una
Sustinet aeternos pondera sancta deos.
Tu regni summam et Zalcane negotia portas
Non velut ille humeris ardua, verum animo.
Tantum hic coelifero potior dicaris Atlante
Quantum animi vires corporis exuperant.

Aliud.

Caesar ad occiduos longe, qui regnat Iberos,
Et late Hesperiis gentibus imperitat.
Iam mihi non Salcane levem mandarat honorem,
Cum me fata alio proripuere mea.
Solis ab exortu nostrum quae surgere nomen
Non vespertina de regione volunt.

Aliud.

Regia cum tractes Salcane negocia solus
Nec tibi luce quies, nec tibi nocte venit.
Ipse tamen versus et docta poemata condis,
Miror inauditae dexteritatis opus.

[1] A czimet én adtam. *Hegedüs.*

Rite deum nate auspiciis et Apolline dextro
Utraque namque huius munera solus habes.
Veridico antiquos ornares numine Delphos,
Carmine Parnassi praeficerere iugis.

In Regem in eiusdem Reverendiss. D. Archiepiscopi aedibus sese obarmantem.

Purpureos inter proceres populique catervas
Inter et armatos agmina loeta duces,
Cum sequerere armis fulgentem e vertice Regem
Lucet ut Aegiochi fulmen ab arce Iovis.
Visa mihi Heroas aequum est componere divis
Visa mihi Martem est Attica diva sequi.
Tunc dixi, modo Pannonii sperate secunda,
Mars cum Palladio numine dexter adest.

Ad eundem.

Quod Salcane facis versus, bene consulis idem,
Illud habes Phoebi, Pallados istud habes.
Quod divina loqui solitus, quod pectore forti es,
Rursum illud Phoebi, Pallados istud habes.
Quando quidem propriis Dii te virtutibus ornant,
Supra hominem merito est, quod sapis, atque facis.

Tormentum bellicum.

Fulmina cum faceret Vulcanus saeva tonanti,
Salcano fecit proxima tela suo.

L. S.

Quis neget a flava te Pallade semper amari?
Cum facis Aeacides, cum dicis haberis Ulysses.

Salcanus Ursino.

Vivere nobiscum si vis Ursine venito,
Mens mea fortunis fiet amica tuis.

Ursini responsum.

Sic mihi tu facilis, sic sim tibi maxime carus,
  Praesul, et optata conditione fruar.
Ut mea mens nulli, tibi quam servire parata est.
  Et studet haec uni velle placere tibi.
Non si me Caesar petat, aut qui Caesare maior,
  Te potior fuerit ille, vel iste mihi.
Tu mihi Caesar eris, tu Caesare maior, et urbs haec
  Roma erit, et Latium Pannonis ora solum.

Ad Salcanum.

Quousque tanta sustinens negotia,
  Casusque tot rerum graves,
Salcane, magnis non silende vatibus,
  Subire mature paras;
Quantum tibi arrogaverit decus labor,
  Pectusque dives consili,
Novere Reges atque Regum liberi
  Te numerati sedulo.
Laboriosi mens Ulyssis et manus
  Quid efficaces Herculis
Coelo beatae? cum deos hic viribus
  Ille arte mortales sibi
Devinxit. Ohe maximis vir impiger
  Defuncte iam sudoribus
Audita tantum est hactenus virtus tua,
  Quam fama divulgat volans.
Spectator esse cuius optarim modo,
  Ut sensibus figam meis
Tot facta pulchre et auspicata munia
  Antistitis lectissimi.
Tu civitatum iura, resque construis
  Provintiarum publicas
Regnique summam et quemque qui decet status,
  Tu mente curas provida.
Roges, quid inde commodi decerpsero
  Phoebi assuetus ocio

Ignobili, curaeque securo gravis,
  Miranda primum videro
Dictu, nec ipse iudicatus tam piger
  Culti nec expers ingenii,
Quin ut cicadae voce dulces florida
  Lassum viatorem iuvant.
Cum solis arens aestuosi lucidis
  Tellus inarsit ignibus,
Ille aut sub ulmo candidave populo
  Paulum reclinatus iacet,
Donec remissis syderis caloribus
  Aurae salubres obstrepant,
Sic coeperint tecum vacabit, arduis
  Curis solutum cum meae
Tum doctorum fructuosae syllabae
  Ut seriis non iuvero.
Sedet iocosum praeter Aonidum melos
  Usus tibi accedet mei,
Quod imperaris cunque mox industriam
  Vatis probaveris tui.

Ad Magnficum Do. Stephanum Verbeutium regni Ungariae Palatinum.

Aurea ceu fulgent coelo Lenaeia dona
  Olim Aridnaeo vertice conspicua,
Inter et innixum genibus spirisque Draconis
  Implexum aeternis ignibus irradiant,
Illud Iachei monumentum et pignus amoris,
  Signaque Thesaeae lucida perfidiae.
Sic tua, Verbeti, virtus clarescit et inter
  Magnanimos ardet cognita Pannonios.
Sive Pericleo verborum fulmine ritu,
  Seu promis forti pectore consilia,
Vincis Nestoreae mellita volumina linguae,
  Sensaque cordati pondere nixa senis;
Et tales cingens Troiam obsidione relicto
  Nelida Atrides optet habere ducem.

Ad eundem.

Cur modo constitui, Verbeti maxime, fortes
  Inter et armiferos vivere Pannonios.
Centum ego cum valeam subito depromere causas,
  Una sit e centum atque altera causa satis.
Quamvis Salcani nos allicit ardua virtus,
  Nec minus et virtus, Vir generose, tua,
Et Thomari vario iam cognita dextera bello,
  Et Brodericei sobria vis animi,
Pisoque iam longo pridem mihi cognitus usu,
  Quocum est hospicii ius mihi dulce viro.
Quamvis terra ferax rerum, coelumque salubre,
  Qualis erat Capuae, quale Crotonis erat,
Me iuvat inspectare virum tot milia, quorum
  Composuit vultus bellica virgo graves.
Nil leve, nil vanum est, maturaque vis animorum
  Nulla aetas ludis, illecebrisque vacat.
Spartani ritu populi, qualesque severi
  Vixerunt olim non sine laude Cures,
Turpis adulterii vix nomina nota, nec ulla
  Fraus innuptarum structa pudicitae est,
Larga frequensque Dei gens et purissima cultrix
  Parcere docta piis, perdere prompta malos.
Si qua in gente diu poteras Astraea manere, haec
  Apta domus, coelum ni placuisset, erat.

Ad eundem.

Nec lusus tibi, nec iocos poetae
Nec versus humiles, et hisce mittant
Nugis consimiles, inane lemma,
Iam nec materiem sibi qaerantur
Scribendi vel idoneam negari,
Heroas celebrent uti vetustos,
Alciden puta, Liberumque patrem,
Fortem Thesea, Theseoque natum,
Et quoscunque alios probat vetustas,
Aut quos Graiugenae canunt diserti.

Verbeti, tua predicanda virtus
Et cura et ac studium rei gerendae
Recte, fortiter, impigre, decenter
Lassabit decies decem poetas.
Annales quoque plurimos replebit,
Quales Pontificum fuere quondam,
Vel Coeli celebres, vel Antiatis
Rhomanae memorant fuisse chartae.
Dehinc Crispi brevitate colliganda,
Et felicius explicanda Livi
Ubertate beata et eleganti.

Ad Reverendissimum dominum Stephanum Brodericium Episcopum Syrmiensem etc. inclyti regni Hungariae cancellarium.

Optimus ut fieres dux inde authorque fuisti,
Iam, Stephane, a teneris unguibus ipse tibi,
Ut fieres tantus, maior licet esse mereris,
Suspicor hoc aequos sic voluisse Deos.
Si tibi quottidie magni cumulentur honores,
Non melior fieri, maior ut esse potes.

Ad eundem.

Optimus es, summo et nunc munere fungeris, olim
Perfecta est bonitas iam tua, crescit honos.

Ad eundem.

Doctus es et bonus et sapiens, haec singula magnos
Cum faciant, quaeso, trina quid efficiunt?

Ad eundem venientem Strigonium.

Salvus venerit opto Brodericus
Lynceus non mihi lippus intuendus,
Cuius lumina si videre possent,
Quantum mens videt Argus alter esset.

Ad Reverendiss. D. Stanislaum Episcopum Olomucensem.

Thurso, Pontificum decus bonorum,
Gentis, Thurso, tuae perenne sydus,
Aevi gloria, Thurso, magna nostri,
Felix materia, euge Thurso, vatum,
Modis omnibus absolute, Thurso,
Nomen mirifice elegans rotundum,
Quod se accomodat omnibus Poetis,
Versu quolibet hinc et hinc decorum,
Et quovis pede currit expeditum.
Seu nos Maeonio incitamur vestro,
Heroo et libet intonare cantu,
Seu nos Callimachi aemulamur umbram
Aut Flacci varium melos ciemus,
Aut tales imitamur adstruentes
Docti carmine syllabas Catulli.
Venisti mera saeculi voluptas
Nostrae praesidium ac decus Thaliae,
Moecenas hominum optime optimorum.
Ut coelum eripit omne saeva nautis
Tempestas et inaestuans procella.
Qui ludibria murmurantis Austri
Huc illuc rapiuntur inquieti,
Cum fors sydus amicum et expetitum
Spondet exoriens die salutem,
Strato caerula per quieta ponto
Optato potiuntur inde coelo,
Sic curis agitati et insalubri,
Aestu sollicitudinum malarum
Nunc nunc exoriens graveis procellas
Vultus mite tui serenat astrum,
Tempestatem abigit periculosam,
Solem restituit voluptuosam.
O sydus modo Castori gemello
Iungendum et cui Castoris gemellus
Cedat, quod modo lucida sub aethra

Nautis irradiet laboriosis
Votis omnibus omnium expetendum.

Ad Magnificum D. Alexium Thursonem.

Quantum nostra bonis debet Thursonibus aetas
  Quantum ego, doctorum et quicquid ubique virum est,
Non ego, non omneis poterunt memorare poetae,
  Non et qui ingenio praestat et arte Logus.
Ipse parens vester propria hoc virtute paravit,
  Unus ut in toto atque unicus orbe foret,
Quem magni ambirent Reges, quoque auspice magnas
  Res gererent, cuiusque illabefacta fides
Usque erat. Hinc generis clarissima sydera vestri
  Nati Pontifices alter et alter erant.
Quid fuerat Iano melius? quid sanctius isto
  Regula qui est vitae Marcomanum populis?
Denique quis non aequus amet te, pulcher Alexi,
  Et fratrem, nomen qui genitoris habet?
Haeredes patriae virtutis, opumque beatam
  Thursonum vere magnificamque domum.
Carmine quae Veli quocunque Logique rotundo
  Nota sit Eois, nota sit Hesperiis.

Ad Reverendum D. Andream Praepositum Strigoniensem Virum undecunque doctissimum.

Abi hinc, o mala ravis, et molesta
Nec me longius ange pituita
Raucum iugiter et gravedinosum,
Abi hinc, pessima turgidi palati
Pestis, cum miseras periculosa
Fauces obsidione cingis, ohe
Hostilem premis in modum iacentes.
O tormenta odiosa, compedesque
Rauci gutturis et siticulosi.
Nec possum mihi, nec vacare amicis.
Nec iam seria nec ioca excitare.

Nam cur vos, rogo, Coelites beati
Vox me deficit, et cibus negatur
Obstrictis mihi faucibus tumore?
Cur vix aera sorbeo perennem?
Non vestros ego prodidi loquaci
Convictus petulantia protervus,
Ut me Tantaleas subire poenas
Par sit, et crucietis immerentem
Et raucedine et esuritione.
At vos endecasyllabo fluentes,
Sed non apposite, nec apparate,
Verum (ut mos meus est) repente fusi,
Andreae bona dicitote verba.
Nostrum illi quoque nunciate casum,
Quo conviva minus venire possim
Ad tam munificum virum et benignum,
Doctum, Iuppiter, hospitem et disertum,
Diversis epulis suavibusque
Et mentes hominum et gulas replentem,
Escarum illecebris Apicianis,
Sermonumque lepore Tulliano,
Dictis Socraticis Platonicisque.

Ad nobilem D. Georgium Loxanum Regium Secretarium.

Nil mirum aeterno si delectaris Homero,
  Saepius in magna te legis Iliade.
Nirea tu specie, tu pectore reddis Ulyssem,
  Aemoniumque citis passibus Aeaciden.
Titiden animo, iucunda voce minorem
  Atriden fido corde Menetiaden.
Atque aliis alios virtutum insignibus aequas,
  Undique et ostendit te tibi Maeonides.

De clarissimo viro Benedicto Bekenio ad Pisonem.

Miremur varias tot in uno corpore dotes
  Et tot in egregio pectore divitias.

Credite non ludit species, quin indole clara
  Irradiat virtus saepius ante diem.
Qualis heri nobis Bekenius, optime, visus
  Piso, quis in vultu luminibusque decor?
Quem non tam prudens rapiat facundia, ceu cum
  Sparserit hibernas candida bruma nives?
Tam purum sceleris pectus iam possidet olim
  Cana fides, verax Suada, verenda Themis,
Auspice quo iustum nivea cum pace piumque
  Florentes statuent undique Pannonios.

Ad eundem.

Donasti inclusam fulvo mihi protinus auro
  In primo gemmam limine amicitiae.
Et dixti hoc animo tibi quo damus, accipe Veli,
  Perpetuum et nosri pignus amoris habe.
Insculpta est niveum complexa ardenter olorem
  Nuda iacens, ipsum Leda tenensque Iovem,
Unde pios peperit fratres, qui tempora vitae
  Partiti dum alter vivit et alter obit.
Talibus auspiciis, Bekenis candide, sanctum
  Pangitur aeternae foedus amicitiae.
Vivamus vero sic usque in amore gemelli
  Castor ut et frater Castoris Oebalidae.

Ad optimum Virum D. Emericum Calnai Regium Secretarium.

Amabo optime Calnai per omnes
Te deos rogo, per tuos ocellos,
Nam quid noster agit beatus ille
Nadastinus et ille tam suavis.
Vir lectissimus, optimus sodalis?
Cuius nunc careo allocutione
Orbatus salibus facetiisque
Quis post seria totque post labores
Curas anxiferas et actiones
Consvevit lepidos ciere risus,

Inter prandia ubi incidere nobis
Sermones varii modo hii, modo illi.
Inter coenam ubi quisque mox sodalis
Garrit liberius, salesque fundit
Festiva lepidus loquacitate,
Illi Dii bona multa dent merenti,
Et talem magis ac magis beanto.
Sed iam te rogo, tu rogabis illum
Ne pigrere subinde tuque et ille
Obscurum tenuem et poetam ineptum
Claro magnanimo et viro efficaci
Ursinum memorare Broderico.

Ad ampliss. virum D. Thomam Rufum Colosvarinum Consolatoria.[1]

Mitte curas, non iam nunc est tibi causa doloris,
  Hungara quae denegat, laeta Vienna dedit.

Ioachimi Vadiani Octostichon.[2]

Caesareas laudes, doctaeque verenda Viennae
  Gymnasia et cultus Austria bella tuos,
Emuncto cecinit non vilis carmine vates
  Wolfhardus, vati pulchra Vienna fave,
Nam decoris famaeque tibi multiplicis autor
  Extulit in varias tot monumenta plagas,
Quae nec tempus edax, precibus nec surda vetustas
  Destituet. Rerum carmine durat honos.

[1] „Ioachimi Vadiani Minusculae poeticae." A könyv végén: „Tubingae apud Thomam Anschelmum Badensem. Anno M. D. XIII." Negyedrétben. Keménynél, Kalászatok p. 88.

[2] „Adriani Wolfhardi Transsylvani Panegyris ad Invictissimum Caesarem Maximilianum semper Augustum." A könyv végén: „Viennae Pannoniae per Hieronymum Vietorem Philovallem et Ioannem Singrenium de Oeting Calcographos diligentissimos Tertio Idus Augusti. Anno Dni. M. D. XII." Negyedrétben, három ívre nyomtatva.

Ioachimus Vadianus Helvetius Poeta a Caes. laureatus Rudolpho Agricolae Iuniori Rheto S. D.[1]

Gratae admodum istae gratiae fuerunt, quas egisti mihi proximis literis tuis Rudolphe amicissime, quod paulo diligentius et ut amicum decebat enixe de tua valetudine certior esse cupiissem. Ego postquam rumore quodam ad me perlatum erat, te cum Cracoviam egressus Istrogranum venisses in gravem morbum incidisse, vix dixero quantum animo consternatus fuerim, nam et dolui impense et pro tua incolumitate Diis immortalibus vota nuncupavi, eademque lectis proxime literis tuis exsolui, quod leviuscula febri percussum ex integro convaluisse intelligebam . . .

. . . Vale bene, et Stephanum Taurinum iurisconsultum virum optimum et doctissimum, si adhuc Istrograni apud Cardinalem vestrum degit, meo nomine impense saluta, utque aliquid ad me literarum det hortare, ex eo enim tempore, quo ex urbe Roma reversus Viennae apud me Collimintiumque et tum convivii nostri Symposiarcham Iacobum Spiegel Iureconsultum et Secretarium Caesareum una se iucunditate oblectavit, quid agat aut qua fortuna sua stet conditio nec fama nec literis intelligere potui, id quod mihi non parum in hominis praesertim tam amici desiderio molestiae affert. Si isthic non est, mihi significa. Vale iterum.

---

[1] Pomponii Melae Hispani libri de situ orbis tres, adjectis Ioachimi Vadiani Helvetii in eosdem Scholiis: Addita quoque in Geographiam Catechesi et Epistola Vadiani ad Agricolam lectu digna . . . (Végén:) Impressus est Pomponius Viennae Pannoniae Expensis Lucae Alantse Civis et Bibliopolae Viennensis per Ioannem Singrenium ex Oeting Baioariae. Mense Maio, Anni M. D. XVIII.

Synesii Platonici Liber de vaticinio somniorum e graeco translatus a Marsilio Ficino Florentino ad Mathiam Pannoniae Regem semper invictum.

Philippus Valor Civis Florentinus Mathiae Serenissimo Pannoniae Regi plurimum se commendat. [1]

Cum apud Marsilium Ficinum nostrum Platonicum legerem prohemium eius in tertium quartumve epistolarum suarum libros iam diu tuae maiestati dicatos, atque ille diceret *se audisse volumen hoc ante triennium ad te missum ob iter a latronibus interceptum,* dedi operam ut libri rursum exscriberentur, sperans rem gratam et nostro Ficino et Maiestati Regiae me facturum. Praeterea cum legerem apud eundem quo familiariter utor, Synesii Platonici librum de vaticiniis somniorum ab eo nuper e Graeco in Latinam linguam translatum et adhuc certo carentem capite, Marsili, inquam, caput Regium in primis librum hunc admodum honestaret atque ex pusillo redderet grandiorem. Tum ille oportune, inquit, admonuisti; nam mihi quidem [2] id in mentem venerat. Regium itaque libro huic caput esto. Accipe precor libenti animo, serenissime Rex et lege feliciter quae ex Platonica officina Marsilii mittimus, certoque scito, Valoriam familiam esse Maiestati tuae prae ceteris deditissimam nihilque ardentius exoptare quam Regis parere mandatis.

Serenissimo Pannoniae Regi semper invicto Philippus Valor Civis Florentinus feliciter se commendat. [3]

Parentum officium est, filiis suis non quibusdam duntaxat, sed omnibus pariter providere. Quod si genitores ipsi minus id egerint reliquorum saltem necessariorum esse videtur pro viribus id explere. Cum igitur Marsilius Ficinus noster liberos octo genuerit dum tractat [4] epistolas, ac duos

[1] Egy wolfenbütteli codexből Rumi közli p. 211, 212. [2] quoque? p. 220. A Zeitschriftben, hogy hány codex és könyv volt Brassóban a tűzvész előtt!! [3] A wolfenbütteli codexből közli Rumi p. 207, 208. [4] duntaxat.

tantum ex his coluerit, quos videlicet ad te misit, reliquos vero neglexerit, ad me profecto tanquam ante alios necessarium pertinet excolere reliquos. Omnes igitur simul velut in corpus unum redactos ad Maiestatis tuae solem mittendos existimavi, ut nullus eorum relinquatur obscurus, sed omnes pariter illustrentur, Marsilio interim consilium meum potissimum comprobante. Quamobrem Marsilius ipse totusque simul eius Valor Maiestatem tuam suppliciter orant, ut oculis saltem tuis liberos olim suos, iam tuos effectos, collustrare digneris, ut omnibus providisse pariter videamur cum demum regii splendoris gratia cunctos palam splendidos reddiderimus.

Philippus Valor Civis Florentinus Serenissimo Pannoniae Regi Mathiae semper invicto suppliciter se commendat.[1]

Cum nuper Marsilius Ficinus noster Platonicus librum[2] Theophrasti De Anima mihi potissimum tanquam alteri cuidam animo suo dedicare constituisset, ego vero munus hoc mihi profecto gratissimum caeteris insuper aeque ac mihi gratum fore desiderarem, statui ad Maiestatem Tuam mittere teque suppliciter[3] obsecrare, ut sereno (sicut saepe soles) vultu hoc quoque spectare non dedigneris. Spero enim[4] sicut Phoebus et Iupiter propitio frequenter aspectu clarissima mortalibus multa gratissimaque praestare solent, sic Phoebeum Ioviumque regiae maiestatis vultum munus hoc nostrum aspectu suo statim clarum gratiosumque legentibus omnibus redditurum. Marsilium Ficinum eiusque Valorem Maiestati Tuae commendo quam plurimum.

---

[1] Cod. Laurent. plut. 84., cod. 16., fol. 68a. elegantissimus. E levé Marsilius Ficinus Theophrastus fordítása előtt áll (Interpretatio Prisciani Lydi in Theophrastum de sensu traducta et exposita a Marsilio Ficino Florentino); utána következik Ficinusnak Valor Fülöphöz intézett dedicatiója. Egy wolfenbütteli Corvin-codexből már Rumi i. m. p. 212., 213. közölte ezen ajánló-levelet.

[2] Mars. Ficinus Platonicum librum *W*.

[3] supliciter *W*.

[4] *enim* hiányzik *W*-ben.

Philippus Valor magnanimo Laurentio Medici patrono suo et patriae servatori plurimum se commendat.[1]

I.

Quum ordo atque temeritas inter se concordes esse nequeant, nemo certe putaret fatum atque fortunam ullam inter se habere posse concordiam, si quidem in fato necessarius est ordo rerum, in fortuna vero temeritas! At vero, praeter omnium opinionem, duo haec, quae alioquin semper dissident, in me uno tandem deprimendo coniuravisse videntur; nam et fatum hoc anno mihi gravem rerum mearum minabatur calamitatem; fortuna mox cum fato consentiens, in regis obitu subitam iacturae dedit occasionem. Adversis igitur contrariisque ventis utrimque crudeliter confluentibus naufragium sub Iunone et Aeolo fecimus repentinum. Nec ulla iam pericli tanti mihi spes reliqua salutis erat, nisi tu mihi iam Neptunus potentia, sapientia, clementia tua quasi tridente quodam aequor tumidum placavisses. Quidnam igitur tuo, ut ita dixerim numini consecrabo? Nihil habeo maius, meam filiorumque vitam tibi dedico. Huius vitae pignus apud te liber esto a Marsilio quidem nostro compositus a me vero quibus pro praesenti fortuna potui, vestibus exornatus. Vale.

II.

Dum regnum tuum dissidiis fervet bellique turbidinibus agitatur, tu ipse maxime rex, tranquillus more philosophi Musarum templa colere pergis Mox Budam tuam aemulam Florentiae nostrae videbo, ubi tot litterarii orbis ornamenta domus Medicea libentissima recepit. Dedi Antonio B.[2] qui mox Ungariam petet, pro tua bibliotheca libros nonnullos Romae impressos et quatuor codices, quos hic ad tuum mandatum exarari curavi, videlicet: Ciceronis Questionum Tusculanarum lib. V., eiusdem somnium Scipionis, Clau-

[1] Cod. Laur. plut. 73., cod. 39. (Marsilius Ficinus de Vita ad Laurentium Medicem). Kiadta Banchini.

[2] *B.* után Budiknál zárjel között *Bonfinio* áll.

diani de raptu Proserpinae et Dionis Cassii scripta, quae per I. Carpensem Ferrariensem exarata sunt. Somnium Scipionis opus praeclarum est.

III.

Quod nostris conatibus tam benigne, rex optime, faveas, gaudeo. Mox illud aureum litterarum saeculum quo nos gaudemus et tuo regno imminebit. Confluunt ad nos veluti ad studiorum omnium domicilium, viri aetatis nostrae doctissimi. Iussu tuo regio exarari curavi Nonii de proprietate sermonum. Codex manibus viri Mediolanensis non indocti scriptus. Mox plura referam.

Illustri viro Ioanni Tucci Pannonico Georgius Valla salutem dicit plurimam. [1]

Perspecta pridem mihi tua, Ioannes Tucci, vir illustris, vita integerrima me tibi plurimum devinxit, et cum edendos censeremus tantopere efflagitatos,[2] quos in Iuvenalem vitiorum acerrimum repraehensorem scripsimus commentarios, eos tibi emittendos, dicandosque existimavi, quo aliqua in parte affectissima tibi mens tuique studiosissimus nominis animus meus innotesceret.[3] Nec me sane fugit, quam[4] haec tota tibi iucunda futura sit materies, qui res ,maximas cum prudentissime belli domique gesseris administraverisque, cavisti semper, ne quid unquam committeres,[5] quod a quocunque carpi atque damnari posse videretur. Quamobrem propter vitae tuae integritatem fortuna usus es, ut alii plerique solent, paulo iniquiore, talemque longe potiorem arbitratus es, quam in magno honore minus recte vivere. Quam-

[1] „Iuvenalis cum Tribus Commentariis, videlicet Ant. Mancinelli. Domitii Calderini. Georgii Vallae.“ (Colophonja :) „Venetiis Impressum est hoc Iuvenalis opus cum tribus commentis per Ioannem de cereto de Tridino. M. CCCCLXXXXII. die secundo Decembris.“ Ezen kiadásból adta ki Valla György hosszú dedicatiójának kivonatát gr. Kemény József, Történelmi és Irodalmi Kalászatok p. 15., 16. A mű 1486-iki első kiadását (l. Hain-nál) Kemény sem ismerte.

[2] afflagitatos *Kemény* (*K.*). [3] inotesceret *K.* (inoresceret az 1498-ik évi kiadás). [4] quod *K.* (olvasási hiba?) [5] committeres *K.*

que[1] huius te vitae non poeniteat[2] alacritas hilaritasque, quae constantiam fortitudinemque (igy!) comitiari[3] fere consveverunt, certissimae nobis sunt indices, et perinde optimi iustissimique viri tibi famam plane excitasti singularem, praecipue cum bonorum iustorumque hominum colas et observes omne genus. Animadverti equidem saepenumero cum insignes cuiuspiam virtutes te audiente memorassem, quam totis mihi exultare videbare praecordiis.

. . . . . . Proin tuo illustri (igy!) tuae iustitiae, qua vir admirandus iure haberis, gratulor cum a tam inclito coetu cerno, quantus habeare, nec latere perspicua iam virtus tua potest, quam in hac civitate in totius orbis terrarum conspectu esse, necesse est, quamquam mavis esse tu quidem, quam videri, ac quoniam sepultae pars est inertiae celata virtus similisque vel lyrae, quae reticet, vel qui non tenditur arcus, non potes Venetiis, ubi conspicuae omnes sunt virtutes, assequi, ut tuae silentio oblitterentur, tu enim Pannoniam, quam mirificis effers laudibus, et rerum gestarum gloria, ad coelum tollis patriam tuam, tuis ipse moribus impensissime exornas bonitate, gravitate, iustitia, pietate, humanitate, prudentia, virtutum denique omnium quasi acervo protendis, et facis, et omnibus spectandam praebes, ut iniustus, malusque non iniuria habeatur, quisquis te non amat, ac observat. Miror equidem saepe mecum tam pacatam esse mentem tuam posse, ut quibus plurimum profueris, ingratosque subinde erga te esse noveris, tu cum caeteri de ipsis obloquantur, defendas, aut orationem, quod defendere nequeas, aliorsum detorqueas, tam ab omni maledicentia abhorres. At ne iam sim non utique nimius, id ego non vereor in tuis recensendis virtutibus, ubi me etiam parcissimum fuisse sentio. Sed ne inquam verbosior, quam tu ipse pati possis praesertim tua memorantem, qui iusti et aequi observantissimus est custos, iam virtutis ipsius rigidissimum lege satellitem, quo deinceps liberis tuis discipulis nostris quos inocentissimae esse vitae cupis, legendum atque adeo ediscendum exhibeas. Vale.

---

[1] quamquam *K.* (olvasási hiba). [2] peniteat *K.* [3] concitari *K.*

Epistola missa dno. magro. Francisco de Tridento physico dno. M. [?] dei gratia Regis Ungarie per magrum. Stephaninum de Vegla archidiacon. Camarcie. [1]

Bone pater, pridem vobis misi solaciosam epistolam quia intellexeram Vos convalescere dono dei; tamen et aliqua vera ridiculosis immiscui, ut dum ad ridendum vos provoco de non deridendis faciam reminisci et ut totalius explicetur intencio. Hoc memorabam, sugerebam, ortabar, ut Regiam sequeremini Maiestatem. Certus sum quod non dicetis quasi subsanando: Ecce quid persuadet iste ut infirmus laborem, ut impotens curam, pretendens utilitatis mee preludia et honores cum hoc sua ductus necessitate peroret. Huic invective respondeo, et ipsam si dabitis afirmo quia non tantum vobis quantum aliis qui nobis indigent venitur tenenum [?]. Scitis enim quantis fluctibus quanta tempestate volvuntur navicule pauperum in mari cure principalis; nosti malignos aflatus naufragia preparantes; videtis valde raros per litora qui sucurrant. Quid igitur vivet homo sibi soli et mulltum [?] perficiet. Hec facit arbor et planta cuius vita non plus vita dicenda est, nisi quia est; non sic vivere decet hominem ut sit, sed vivere ut prosit non solum sibi sed ceteris, sicut de Abraam scribitur, pater multorum non genitura, sed profectu, dixi super tenenum non dico debito nisi nature et caritatis quam ita habuistis in vobis paterno cęlo defusam.

Reverenda virtute et dignitate viro D. Alberto a Pereg Quinque Ecclesiarum Praeposito, Inclyti Romanorum Regis etc. in Hungaria consiliario et quaestori summo Hieronymus Vietor Typographus Cracoviensis Salutem dicit. [2]

. . . Quaerenti autem mihi cui potissimum hic libellus a me donaretur, tu mihi primus occuristi, quem et eorum,

[1] E levelet, melyben Triente Ferencz mestert, Mátyás [?] király orvosát, felkérik, maradjon betegeskedése daczára tovább is a király szolgálatában, számos hibáival együtt a cod. Monac. lat. 459-ből (saec. XV. chart. fol. 268., 269.) közlöm.

[2] „Pannoniae Luctus, quo Principum aliquot et insignium virorum mortes aliique funesti casus deplorantur. Cracoviae Anno MDXLIIII

qui vita honeste functi sunt laudibus cum primis delectari, et huius scripti authoribus peramicum esse cognovi... Qua in re vehementer equidem gaudeo enitescere studium Reverendissimi Episcopi Vesprimiensis Domini Martini a Kecheth, qui magnis passibus ad eam, quam avunculus eius episcoporum optimus, idemque Cancellarius regius D. Thomas Zalahaza vivens consequutus est, gloriam fausta omnium acclamatione contendit, cui me diligenter commendare memineris. Bene vale. Cracoviae Nonis Iunii. Anno post Cristum natum Millesimo quingentesimo quadragesimo quarto.

---

p. 16. *Thomae Zalaháza, Episcopo Agriensi ac Vesprimiensi, et Regni Hungariae Cancellario Lazarus Bonamicus.*

Thomae Zallazae cordi pietasque fidesque
Dum vixit, fuit, hac qui tumulatus humo est,
Agria quo poterat jactare antistite sese,
Et tota auriferis Pannonis ora jugis.
Pontificum civile dei jus hauserat, uti
Et lingua dederat Phoebus utraque pari.
Extinctum hunc Latiae, graecae flevere camoenae
Et moestis fluxit languidus Ister aquis.

---

p. 18., 19. *Eidem Georg. Logus.*

... Doctrina insignis, linguarum quinque peritus
Romanae ante alios Caecopiaeque fui.

---

p. 33. *Francisco Comiti a Frangapanibus Archiepiscopus Colocensi Valentinus Ecchius.*

... Nestora consilio, Ciceronem vicerat ore,
Et pietate Titum, religione Numam.

Litteris Hieronymi Vietoris impressus, nunc vero Praefatione Hungarica auctus, secus est. Viennae MDCCXCVIII. Végén: „Hieronymus vietor Cracoviae excudebat. Anno MDXLIV."

Certandum forma, vel si gravitate fuisset,
Vel comi eloquio stemmate vel patrio,
Heroum veterum nemo, nemo hercule nostri
Temporis ante illi jure ferendus erat.

---

p. 43. *Valentino Zepsio, Praeposito Eursiensi Joan. Lang.*

Castis moribus, eruditione
Mira, religione sanctiore,
Mysten hic tumulus fovet Valentem.

---

p. 44. *Eidem. Valent. Ecchi.*

Qui sita, Vespremiisque sui magno auxit honore
Templa Valentinus conditur hoc tumulo.
Consilio vir praeclarus, cui semper honesti
Justitiae et fidei maxima cura fuit.
Quem coluit princeps, quem cancellarius ipse
Primum inter scribas jusserat esse suos.

Adrianus Volphardus Transsylvanus, Protonotarius Apostolicus Reverendo Domino Udalrico Budensi, Custodi et Canonico Albensi Transsylvaniensi, raro amico S. D.[1]

. . . Plutarchus, tantarum utilitatum humanae vitae rationem habens, quaecunque nostra interesse putavit, duobus libellis complexus est, quos a Ioanne Pannonio latinitate donatos, tibi Udalrice carissime, nominatim nuncupare, veteris nostrae necessitudinis recordatio hortata est; et quod tu horum copiam mihi primus fecisti, tu ut ab hominum oblivione et silentio vindicarentur, efflagitasti. Taceo quibus officiis me devinxeris, qua benevolentia a puero prosecutus sis, qua fide in amicitia, bonis inita auspiciis, permanseris, quam integritatem prae te semper tuleris. Quis in te in-

[1] Ianus Pannoniusnak Plutarchosból és Demosthenesből való fordításai 1522-iki, bolognai kiadásának elejéről.

nocentiam, quis religionem, quis mores compositissimos, quis bonorum patrocinium, quis in adversis fortitudinem, in capiendis iniuriis animi magnitudinem, in moderandis cupiditatibus temperantiam desideravit? Consulto praetereo, nimis quam magno bonarum literarum amore, quem ne flexus quidem aetatis diminuit, flagraveris, vitamque illis, tanquam coloribus optimis exornaris. Sed canam receptui, aliud tempus iis perstringendis aptius aucupaturus. Hoc tamen clam te esse nolo, plura menda, quibus interpres obsitus squallebat, a me quoad eius fieri potuit, detersa esse. Si quid autem occurrerit praeter ea, memineris imbecillitatis esse mortalium, nihil constare omni ex parte satis perfectum . . . Verterunt hunc Plutarchi libellum. Quibus modis ab inimicis iuvari possimus, alii quoque, docti sane homines Ianum Pannonium secuti; quis tamen eorum primas obtineat, ad te, tuique similes purgatae auris lectores refero . . . Vale, et me, ut facis ama. Bononiae. XIIII Cal. Decemb. MDXXII.

Adrianus Volphardus Transsylvanus Apollini. [1]

Dic mihi Castalidum dux optime, Phoebe, Sororum,
  Est ubi, qua mulces numina, dia chelys?
Saepe sono cuius rapidus stetit amnis, et altis
  Montibus errantes obstupuere ferae.
Dic, rogo, nec causam libeat celasse, quid haeres?
  Moestus et in nigram lumina figis humum?
Arbiter Aonidum sedeo dum fontis ad oram
  Et solor pulso pectine Thespiades;
Fessa labore manus, vox et me deserit omnis,
  Suspensae impatiens turba novena lyrae.
Deligo Pannonium Musis qui concinet, illum
  Qui decus Artois gentibus ore tulit.
Quem Pitho ornarat, fandi dulcissima Diva,
  Aedibus et Musae nutrierant propriis.

[1] Ianus Pannonius Marcellusra irt panegyricusa 1522-iki,bolognai kiadásának elejéről.

Vix tractare fides, cantu vix solvere curas
  Coeperat, et patriae praemia ferre suae,
Occidit ante diem, fatis immitibus, eheu!
  Quam dulces cantus sustulit hora brevis!
Huic Linus et vates cedebat Thracius Orpheus,
  Cantantem Pluto quem stupuit Stygius.
Caelitibus fuit hunc non parva audire canentem
  Cura et inasvetis verba ligata modis.
Collibus exciti liquere cubilia Fauni.
  Sylva nec intonsas juvit Hamadryades.
Oblitusque sui cursus quam noster et, Aethon
  Saepe retardato transiit axe polum.
Adde etiam niveo venientes corpore mores,
  Compositos; quîs hoc castior Hyppolytus?
Relligionis erat Numa nec servantior aequi,
  Cultus Aristides, Scipiadaeque duo.
Ingenium, speciem, mores, simul omnia mentis
  Tot bona, Parcarum perculit atra manus.
Hinc deserta chelys, moerent Libethydes, undae
  Pyrenes squallent, mutaque Calliope.

Extulerat paulum Pluto caput impius orco,
  Heu! quid opus facto, pro quid, ait, video!
Num se proripuit nostris e sedibus Orpheus?
  Huc repetitum iterum venit et Eurydicen?
Agnosco, similis quam Orphei est ille poëta,
  Ianus, Pannoniae gloria prima suae.
Ianus in Arctoas Latio qui transtulit urbes
  Pegasides primus, Mopsopiumque melos.
Quam Dryades gaudent circum, cultaeque Napaeae,
  Exiliunt, quantus manat ab ore lepos!
Per Stygios latices iurarem hunc Orphea, si non
  Aspicerem hic nostris Orphea luminibus.
Eriperemque Deis, proprium nobisque dicarem,
  Fratris at exterrent tela trisulca mei.

Adriani Volphardi Transsylvani ad Ioannem Pannonium poëtam Elegidion. [1]

Orba parens nato, primos experta labores
  Lucinae, quantis fletibus aegra gemit,
Impatiensque gravis moeroris busta frequentat,
  Et multis cippum moesta rigat lacrymis.
Poenitet ingratam ulterius producere vitam,
  Deserta solam nec iuvat esse domo
Moerentes tantis nos intabescimus, eheu!
  Fletibus, ecquis se temperet a lacrymis?
Tu decus et populi flos delibatus, et ingens
  Gloria, tu patriae splendor erasque tuae.
Per te Pannoniis invisere coepit Apollo,
  Per te Pannonios collibus ire iuvat.
Macte animi, primus qui barbara verba fugasti,
  Pannoniosque facis cum Cicerone loqui.
Tu primus Latio docuisti posse lepore,
  Et canere Argolica carmina culta chely.
Sparsisti angustum tu denique nomen in orbem,
  Per te immortalis patria facta tua est.
Gradivo fuerat nuper quae sacra cruento,
  Te duce nunc Phoebo clara trophaea refert.
Scilicet ingenio praestat quam vincere Marte,
  Ornantur Musis praelia dulcisonis.
Iure tibi acceptum, si quicquam possumus, ultro
  Reddimus, ac nobis, tu quoque numen eris.
Et velut Andiades sese debere fatentur,
  Virgilio, nostrae sic tibi Pannonides.

---

[1] Ianus Pannonius tizenöt elégiájának 1522-iki, bolognai kiadása végéről.

Amplissimo Patri et domino, D. Francisco Vardensi, Episcopo Transsylvano dignissimo, Adrianus Volphardus Transsylvanus, Protonotarius, felicitatem. [1]

. . . Sed alias de his, ne modum excedat epistola, quicquid scire operae pretium fuerit, mansuris literis mandabimus. In praesentia satis sit Laconice libasse, relictos ab eo Epigrammatum libros, Elegias, Orationes, Sylvas, et quosdam Plutarchi libellos e Graeco in Latinum tralatos, quos propediem studiosae juventuti emendatiores edere curabimus. Interea hunc Panegyricum de Marcellis Venetis, quem convulsum, lacerum, membratim dispersum, situ carieque obductum collegi, tibi omnium bonorum patrono, de me vero optime merito, jure aequissimo dicandum esse statui. Cui enim alteri hos quantuloscunque labores, quos studiis legum, quibus me toto pectore incumbere voluisti, succisivis horis subductos, nuncuparem? Tu nomen nostrum in album tui sacri collegii retulisti; tu studiorum auctor et certissimum perfugium fuisti, quantum autem expensi tuleris, quando tantum tibi accepti referetur? Tua illa est peculiaris munificentia, qua omnium in te studia maxima vincis. Tua admiranda humanitas, qua mortales omnes, nullis praetermissis officiis, demereris. Accedit etiam, quod lucubrationes Pannonii Episcopi undecunque doctissimi, tibi Pannonio Episcopo meritissimo, literarum amantissimo, studiosorum Maecenati, ex antiquissima nobilissimaque Vardensium familia oriundo, quae cum illo tuo patruo Stephano, Colocensis et Bachiensis Ecclesiarum Archiepiscopo, in Cardinalium numerum sua virtute ascito, nostra vero memoria e vivis sublato, tum pluribus aliis arte militari claris, teque in primis illustrata, merito voventur. Quod enim crucis nomine evocatorum bella pacata sunt, quod gladii ab innocentium cervicibus depulsi, quod caedes nobilium aversae; quod pernicies omnium proborum paucis ante annis te et Ioanne illo Zapo-

[1] Ianus Pannonius Marcellusra irt panegyrikusának 1522-iki, bolognai kiadása elejéről.

liano, Vayvoda Transsylvano, rerum Transsylvanarum secundum Regem moderatore fortissimo, domi militiaeque clarissimo, vestrique simillimis optimis viris, magnis libertatis adsertoribus sublata est, quas non aures fama infersit? quos non orbis angulos pernix circumlustravit? Sed haec cumulatius in nostris de Rustico bello libellis, carmine heroico concinnatis, cognoscet olim, Superis volentibus posteritas ... Felices nepotes, et qui nascentur ab illis, quibus maiorum virtutes, ornamenta et praeclara facinora, tuo ductu, tuo auspicio, tua liberalitate; nostra vigilia, fide, solertia, cognoscere, a tenebris ac interitu vindicari datum est; quae in omne aevum, tanquam exemplar suscipientes, proponant, neve vitam ulla labecula aspergant, sintque Iacobi Antonii Marcelli quam simillimi, patriae ornamento et praesidio. Porro felicissima Pannonia tali alumno, tali laudum suarum buccinatore. Nec dubito fore, quin plurimi Pannonii (ferax enim haec optimorum ingeniorum aetas est) huius poëtae virtutibus et fama incitati, pulcherrima immortalitatis mercede anteposita, inflammati, ad easdem studiorum metas anhelantes pervenire contendant; et quod longo tempore Pannoniorum nomen, pravis praeceptorum institutionibus obsoleverat, optimis quibusque positis et perceptis, vigilia labore pertinaci, ingenio, memoria et usu, in horas enitescat. De me nihil temere polliceri ingenii mediocritas hortatur; id tamen recipio, si haec mea in Ioanne Pannonio restituendo et vulgando sedulitas, tuum in me favorem promtum, quae me spes alit, firmaverit; alacer et spei bonae plenus, nullis inertiae deprecationibus et Ἐγκωμιαστικὰ de tuis virtutibus praeclarissimis, tenerioribus adolescentiae annis coepta, ad umbilicum perducere, et nomini cum patriae, tum poetae, quantam ad literas attinet, in emittendis aliis ipsius operibus, quae reliqua neglecta et supremam poscentia manum iacent, nunquam pro virili parte deesse, ullis laboribus deterrebor. Vale, ornamentum literarum. Bononiae, Quarto Nonas Octob. MDXXII.

Adrianus Volphardus Transylvanus, Protonotarius Apostolicus, Reverendo Domino Thomae Pellaeo, Archidiacono Ozdensi et Canonico Albensi Transylvaniensi S. D.[1]

Cum nuper panegyricum Ioannis Pannonii Episcopi Quinqeecclesiensis in Iacobi Antonii Marcelli Veneti laudem concinnatum, ex incuria hominum neglectum et librarii inscitia pluribus defoedatum mendis, Thoma amicissime, restituere conarer; totusque in id, ne silentio tam praeclarus liber involveretur, incumberem, ut maturrime vulgaretur, praesertim quod exemplum praeter hoc unum, quod apud me tunc erat, constantissime, aliud superesse nullum multi affirmarent; inciderunt in manus meas eiusdem Ioannis Pannonii quaedam Elegiae, non multis ante annis, impressae, elegantes sane et jucundae, nec minus leporis antiquam sermonis Latini maiestatem redolentis refertae, quam eruditionis variae ac multiplicis abundantes; quarum lectione plurimum oblectatus, facturum me operae pretium studiosis poeticae et manibus defuncti vatis velut iustis solutis, rem piam et gratam existimavi, si eas accuratius recognitas, repositis etiam qui in ipsis desiderabantur versibus, emendatiores reddidissem, fereque tantundem hactenus non visas prioribus veluti germanas et postliminio in patriam haereditatem receptas coniunxissem. Verum angustiae temporis et solita circa leges, quarum studio teneor, occupationes, vix satis otii destinatae diligentiae suppeditabant. Placuit itaque a consuetis studiis aliquantisper, quasi mei colligendi causa ad mansuetiores humanitatis literas, quae me a puero semper delectarunt, animum applicare, et cursim expunctis inter legendum redundantibus, quae maxime huius poëtae dignitati convenirent, apponere. Cuius voti compos factus, committere nolui, quin lucubratiunculas istas, tibi mei amantissimo et studiorum id genus desiderio incredibili flagranti dedicarem, tuoque nomine typis excusas publicarem, ne, dum

[1] Ianus Pannonius tizenöt elégiája 1522-iki, bolognai kiadásának elejéről.

tu omnibus amicitiae numeris absolutis, officiis denique cumulatissime exaggeratis superare me contendis, ipse non solum non respondere nostrae necessitudini, sed omnino meae institutae vitae oblitus, et veluti gramine quodam apud Lotophagos pastus, beneficii immemor viderer, iustaeque reprehensionis notam (a quo ego ingratitudinis vitio semper ab ineunte aetate abhorrui) sciens prudensque incurrerem. Cave autem putes me officio vinci aequo animo posse perpeti, quanquam huic rei iam pridem sedulo incumbas, nihilque quod ad vitam hominis cum inculpati, tum amicitiae non solum quaerendae sed et conservandae studiosi spectat, ulla ex parte tibi desit. Num enim in te quispiam integritatem, num fidem, num religionem, num tui amantium studium requisivit? Nun quid non ita tibi a teneris ungviculis ad virtutes viam munivisti, ut non minus otii quam negotii rationem extare, et firmius in virtute quam fortuna praesidium collocari oportere, praestantissimum duxeris? An non procul vivere a popularibus auris, et dissentire ab eorum moribus, qui aut laedere, aut incessere improbe eos, quibuscum agunt, consueverunt, in votis habuisti? Quem tu molestia affecisti? quem tu maledico dente carpsisti? cuius tu honorem aut famam depeculatus es? cuius tu vitam excussisti? cui porro obnunciasti? Accipe igitur has Elegias, fronte, qua si quid meorum ad te mittitur, jucunda consuevisti, et hunc laborem nostrum, vel ideo quod tuo nomine vulgatur, poëtamque aeternitati consecrat, vel si ita mavis, perantiquae amiciciae nostrae ergo boni consule. Nec sum animi dubius, plures a Ioanne Pannonio Elegias scriptas esse, quae tamen aut perierunt, aut invidorum indignis loculis continentur. Sunt et nonnullae museo in nostro Enyediensi, perquam celebri Transsylvaniae oppido, quarum mihi copiam praesens tempus, quod totum bellicus furor excepit, et a genitali solo quam maxima soli intercapedo eripuit. Dies olim erit, qua poëmata vatis huius omnia, in ordinem et numerum redacta, vulgare maturabo. In praesentia non fuit sententia, has, quia in ordinem incurrerant, et magni intererat auctoris non negligi, inhonoratas ut potui, non ut volui, transire. Scitum est enim

illud L. Crassi, causam conferre in tempus, cum afferre plura si cupias, non queas. Vale. Bononiae. Sexto Idus Decemb. MDXXII.

Adrianus Vvolfhardus Transsylvanus ad Lectorem.[1]

Cadmum ferunt quondam intulisse litteras
Graiis quas Phoenices volunt quam plurimi
Vocum parentes, ast suum Mosen magis
Alii, parum refert, tamen si quis minus
Vel hancce Grammaticen et intellexerit,
Gryppos et illius medullam spreverit,
Quae sola pandit pallados conclavia,
Quapropter Andreae subinde perlegas
Frugi hoc opus lector rogo brevissimum,
Dices, scio peream mihi si non placet.

Hilari Volphardi Transsylvani Decastichon ad Calliopen.[2]

Quid planctus petit hic, passi et per colla capilli,
  Calliope, lacrymis uda quid ora rigas?
Num fato extinctus Ianus, tua maxima cura?
  Nixa stetit cuius vestra salute salus.
Desine crudeles toties incessere divos,
  Neu vacet et totos fletibus ire dies.

[1] „*Grammaticae Opus novum, mira* quadam arte et compendiosa excussum, quo regum nominis et verbi, ingens bellum ex contentione principatus in oratione describitur." Végén: „Viennae Pannoniae, per Hieronymum Vietorem, Philovallem et Ioannem Singrenium de Oeting Calcographos solertes. Tertio Nonas Aug. Anno M. D. XII." Wolfhard fent közlött verse a czímlap rectóján van, versóján van a két nyomdásznak Augustinus Olomucensishez intézett levele (mely kelt pridie Calend. Augusti. Anno M. D. XII) és Vadianus Jánosnak Salernoi Andráshoz, a „Grammaticae Opus Novum" szerőjéhez intézett költeménye.

[2] Ianus Pannonius Marcellusra irt panegyricusa 1522-iki, bolognai kiadásának elejéről.

Sic visum Superis, Iovis ut raperetur ad aulam
  Mulceretque tuos, Iupiter, Indigetes.
Hunc non livor edax animis nec longius aevum
  Eximet, hunc releget doctaque posteritas.

Hilarii Volphardi Transsylvani Hexastichon. [1]

Immodicis Ianus dum fletibus aëre complet,
  Et canit Aonia, carmina moesta lyra,
Phoebus ait, natum infelix Phaëtonta requiro,
  Hic matris luget funera saeva suae.
Quos studii et morum quondam coniunxerat usus,
  Nunc facit et fati fors inimica pares.

Hilarii Volphardi Transsylvani Epigramma. [2]

Laus in amicitiae regno fuit una reponi
  Olim Trinacriae, saeve tyranne, tibi.
Insanumque sequi Pylades gaudebat Orestem,
  Per spineta, lacus, flumina, rura, domos.
Pelides casum Patrocli est ultus, ovantem
  Hectora dum circum moenia pulchra rapit
Tanti erat antiquis carum servasse sodalem,
  Tanti erat hostiles pertinuisse minas.
Sed vitanda tamen non sunt inimica subinde,
  Exemplo quoniam Pelias hasta fuit.
Thessalus et vitam despondens nempe Prometheus,
  In bello medicas repperit ipse manus.
Sint inimicitiis quam commoda multa, Plutarchus
  Explicat, optandae ut sint inimicitiae.
Interituque dolent flentes divine poëta,
  Italus, heu! nimium, Pannoniusque tuo.
Sed tua fama tamen vivet, dum Granus in Istrum
  Curret et in Ponti dum fluet Ister aquas.

---

[1] Ianus Pannonius tizenöt elégiája 1522-iki, bolognai kiadásának elejéről.

[2] Ianus Pannonius Plutarchosból és Demosthenesből való fordítása 1522-iki, bolognai kiadásának végéről.

Andreae Jastrabini Pannonii Hexastichon ad Lectorem.[1]

Calvitiem, muscas, febrim, Busiridis aras
  Nonnulli ornarunt laudibus innumeris.
Quid mirum si sancta legit praecepta Plutarchus,
  Frugi hominem formans ex inimicitiis?
Illos ad laudem sola impulit oris opimi
  Vis; hunc hortata est publica at utilitas.

Paulus Istvánfius Pannonius Adriano suo.[2]

Qui modo mendosus carieque erat obsitus atra,
  Paeonii Ianus, gloria prima soli,
Quique diu tineas (indignum!) pavit edaces,
  Comtior ecce tibi splendidiorque redit.
Gestit et Heroas invisere protinus urbis
  Hadriacae, postes, magne Iacobe tuos.
O quot Marcelli figent huic oscula! grates,
  O quantas referent, docte Adriane tibi.
Nec te poeniteat pro tanto vate laboris
  Exhausti, famae et consuluisse tuae,
Indiga nullius virtus sudore paratur,
  Nominis hinc surgit gloria summa tui.

Hexastichon eiusdeim ad Lectorem.[3]

Si juvenum Argivae matrem Iunonis ad aram
  Qui tulerant, superis grata fuit pietas;
Atque ii propterea caelesti sede locati,
  Nil mirum Ianum si rapuere Dii. ·
Illi plaustra semel matris subiere, perenni
  Marcellos cantat carmine Pannonius.

---

[1] Ianus Pannonius Plutarchosból és Demosthenesből való fordítása 1522-iki, bolognai kiadásának végéről.

[2]—[3] Ianus Pannonius Marcellusra irt Panegyricusa 1522-iki, bolognai kiadásának végéről.

Blasii Zacan Segedini Pannonii Octostichon.[1]

Qui putri paulo ante situ squallebat, opaco
  Carcere, nec poterat luce nitente frui,
Iam tandem coelo pulchrum caput extulit alto,
  Ianus et exosis desiit esse locis.
Invida quantum huius famae detraxerat aetas,
  Foenore nunc tantum reddidit alma dies,
Famaque durabit, Phoebus dum lampade terras
  Ambiet, et curru Luna citata suo.

Francisci Fabri Megiensis Transsylvani carmen.[2]

Pannonicae Ianus decus et nova gloria gentis,
  Flebilibus cecinit carmina docta sonis.
Carorum casus, patriae res orsus avitas,
  Expressit laudes, docte Guarine, tuas.
Teque Iacobe, domus Marcellae invicta propago,
  Emuncto in coelum carmine ad usque tulit.
Romuleoque loqui quosdam sermone Pelasgos,
  Edocuit liquit verba soluta simul.
Et rudibus Sylvis Epigrammata iunxit, amoris
  Miles et ardenti pectore signa tulit.
Mens erat huic magni numerosa volumina Homeri
  Vertere, sed rupit stamina pulla dea.
Praecidit Dea pensa ferox, at fama manebit
  Perpes dum refluus Tethyos humor erit,
Et vaga permenso renovabit Cynthia coelo,
  Cursus, praemagnus sidera volvet Atlas.

[1] Ianus Pannonius Marcellusra írt Panegyricusa 1522-iki, bolognai kiadásának végéről.

[2] Ianus Pannonius tizen ötelegiája 1522-iki, bolognai kiadásának végéről.

Ioannis Baptistae Novosoliensis Pannonii Sylva.[1]

Inclyta Pannoniae felicis gloria Iane,
  Ausoniae splendor, Pegasidumque decus.
Mellito cantu durissima saxa movebas,
  Obstupuitque tuo carmine saeva tigris.
Auritae quercus te sunt per rura secutae,
  Exhibuit Delphin obvia terga tibi.
Sistebas quoties rapidissima flumina cantu!
  Eridanus solitum saepe reliquit iter.
Incolis Elysios at nunc, doctissime, campos,
  Te cingunt animae suspiciuntque piae.
Hic nova dum resonas aurato carmina, plectro,
  O quantum linguis, turba beata, favet.
Morte tua celeri luget concussus Apollo,
  Amissum queritur rauca Thalia decus.
Nec metuunt vinci, quanquam certare disertae
  Plurimae in Arctois gentibus esse solent.
Impia si possent fatorum jura resolvi,
  Et possent flecti numina laeva simul,
Tu Pylios superare dies, tria secula solus
  Nestoris illius vincere debueras.
Et quod cornici, cervisque fugacibus aevum
  Contigit, id vates vivere dignus eras.
Sed quoniam Lachesis non levia verba precantum
  Audit, nec precibus flectitur ipsa piis,
Accipe Pimpliadum tibi quae pia cura sororum
  Asserit, aeterno carmina rapta rogo.
Carmina Lethaeum non formidantia flumen,
  Carmina nulla unquam deperitura die.

---

[1] Ianus Pannonius tizenöt elégiája 1522-iki, bolognai kiadásának végéről.

Adriani Wolfhardi Transylvani Protrepticon ad libellum.[1]

Exi, quod dubitas, recens libelle
Auro nobiliorque gratiorque,
Et quas concha parit marina, gemmis,
Et quos litora dant sali, lapillis.
Nuper qui fueras lacer relictus,
Fractis cruribus et manu retorta.
Dum patronus avet tuus sereno
Vultu, absolvere circulum salubrem
Paediasve negotium facessit.
Quid? sodes mihi dicito, redis cur?
Foenum cornibus an times gerentes?
Ridentes sciolos? salariorum
Num scombros olidos, vel asteriscos?
Num Momi tetricam subire frontem,
Nasum rhinocerotis, an sinistros
Ronchos? quid metuis minus probati
Sannas oris et hancce apertionem?
Quum caedant pluteum tuae sorores,
Natae sintque Cleanthis ad lucernas
Guarino duce, quem tulit Catulli
Vatis patria, maximique Plini,
Nec censor rigidus notare stellis,
Quem risisse parum ferunt, comesta
Cui ficusve tulit suprema fata,
Possit Pegasidum melos suave.
Quare Pannonios lares require,
Qui te mille per osculationes
Ulnis accipient, et obviisque.
Porrecta Hesperiam revise fronte.
O dulcem nimium poetae alumnam,
Nostri, Parrhasio sua axe Crocam.
Hinc et Phasidos ultimum recessum

[1] Ianus Pannonius 1512-iki bécsi kiadása elejéről.

Et qua, laetus adi, viget Minerva.
Sed sis Callipedis cave libelle,
Et testudineo gradu moreris,
Ergo Pegaseis volato pennis.

Adrianus Wolfhardus Transylvanus sub auctoris persona ad lectorem.[1]

Vivebam dum fata dabant sine crimine quondam,
Qua fluit Ister aqua, natus in Hungaria.
Meque laborante patriae scabredine linguae,
Suscepit placido, terra Latina, sinu.
Hic quid Graia docet per mille volumina Musa,
Guarino didici, quidve Latina tonat.
Ire sed ut cessim coepique inducere Musas
In patriam Aonio vertice dulcisonas;
Arrisit Fortuna parum Rhamnusia, namque
Exulo, conscendit spiritus inde polum.
Lector amice boni quare, rogo, consule, si quid
Displicet, extemplo te quoque fata ferent.

Adriani Wolfhardi Transylvani Hexastichon in Zoilum et Ardelionem.[2]

Dente Theonino laceres ne carmine vatis
Livor edax, Scazon quo minus arma ferat
Si secus, astra poli quot habent et litora fluctus,
Curva maris pisces quotque Propontis habet,
Tot tibi quaeque dies poenas et quaelibet huius
Hora ferat vitae, Plutoque post obitum.

---

[1] Ianus Pannonius 1512-iki bécsi kiadásának elejéről.
[2] Ugyanazon kiadás végéről.

Adriani Vuolfhardi Transilvani Hendecasillabi ad Iuvenes.[1]

Qui musas colitis severiores,
Et cordi quibus est notare versus,
Vatum quaeve sient tenere partes,
Baptistae legite hoc poema sacrum.
Non est hic sybariticus libellus,
Non ignes Veneris, Cupidinisque
Arcus; basia sunt leves iocique,
Nam castum esse decet pium poetam,
Et versus, licet hos [hoc?] negat Catullus,
Ussit Lesbia quem face et Diones.
Et parvus liber unioque parvus,
Immensum valet hic tamen, quum parvis
Usus maior inest, solet gravari
Iniusto sonipes subinde fasce.

Adrianus Vuolfhardus Transsylvanus artium et philosophiae professor, Hilario Vuolfhardo fratri quam amantissimo S. D.[2]

Caius Iulius Caesar, praeter clementiam, quae maxima in eo fuisse perhibetur, plenis gloriae velis, cum scriptoribus aliis tum Plynio effertur, Hilari iocundissime, quod scribere et legere, simul dictare et audire, epistolas vero tantarum rerum quaternas pariter librariis dictare, aut si nihil aliud ageret, septenas solitus fuerit. Thucydidi vero Herodoto lacteae T. Livii eloquentiae et ut caeteros illis non impares omittam. Plauto tantum laudis ex suavi verborum lepore accessit, ut Varro musas, Epistolonis sententia, Plautino dicat sermone locuturas fuisse, si latine loqui vel-

[1] „Fratris Baptistae Mantuani Carmelitae Theologi poetaeque clarissimi contra poetas impudice loquentes carmen elegantissimum.“ Wolfhard költeménye a czimlapon van.

[2] „Dialogus Mythologicus Bartholomei Coloniensis dulcibus iocis, iucundis salibus, concinisque sententiis refertus atque diligenter super elaboratus.“ Végén: „Viennae Pannoniae in aedibus Hieronymi Victoris et Ioannis Singrenii. Pridie Nonas Octob. Anno Do. M. CCCCC. XII.“

lent. Nec eo inficias, quia Gracchorum eloquentiae multum contulit (teste Quintiliano) Corneliam matrem, et Lelii, atque Q. Hortensii filias, ob paternam in loquendo eloquentiam adauctam plurimum laudatas, siquidem quid per deos immortales, multa nosse, multa legere, si eloqui neutiquam ut par est valeas, confert? Sique Saudae gratia (quam Pericli in labris sessitavisse (!) classici scriptores testant) penitus deficit, qua sine manca omnis est oratio, cum iidem sapientes et eloquentes (ut Fabius ait) esse debent. Hinc iure optimo Chrysippus nutrices infantibus sapientes, et quantum res pateretur optimas eligi voluit. Natura enim tenacissimi sumus eorum, quae rudibus annis percipimus, ut sapor quo nova imbuas durat. Contende igitur manibus et pedibus, Hilari dilectissime, hoc deorum munus, quo solo caeteris animantibus disserimus, dum vita tenellula superest assequi. Et Bartolomei huius, viri undecunque doctissimi, solito elimatiorem epistolam manibus subinde revolvere Sidoniumque qui Epimenidis somnum dormivit, quam fuerit somniulosus experiaris. Postremo (quod omnium maximum est) officio oro in parentem nostrum mihi gentilem, hoc est meo nomine insignitum, neque immemor esto, neque eius nomen dum vita supererit, in spongia incubat; est enim perquam laudabile Charitas et illud antipelargem invitari. Vale, Viennae Pannoniae. 9 Cal. Oct. 1512.

Eiusdem Epigramma.

Quid Tricas Apinas, et mille volumina volvis,
  Barbarica passim perlita voce puer.
Quid trivisse iuvat vitae bona tempora? talpa
  Caecior, atque lyris evigilasse Lyris.
Quid te Scylla votat? quo ducit saeva Charybdis,
  Quo pictae muro teque trahunt nebulae?
Nonne vides ut lerna palus blanditur apertis
  Faucibus, eructat deinde venena suis?
Utque Megera ferax tenebris perfundit ocellos,
  Ne rem vel modicam tangere acu valeas,

Ut tua rus sapiant non urbem verba, nec unquam
Mellitos possint ore ciere modos.
Si tibi consultum me iudice concupis ergo
O puer, et phrasim noscere rite voles,
Hoc opus exculto contextum saepe lepore
Perlege continuo plurima dona feres.

Loca ignorata hactenus in Ibin Ovidii in officiis Ciceronis, in Virgilio, in Tibullo, et loca aliorum. Pontici Sylvae. [1]

fol. 14b. *Ponticus Virunius Thaddaeo Ugoletto S. infinitam.*

Insignia maiorum tuorum et affabilitas, animique tui mores nobilissimi et dolor pariter ille tuus sempithernus, ob mortem Matthiae regis Hungarorum, cui eras et latinis et graecis codicibus in erigenda academia amplissima in Posidonia id est Possoni, ad centesimum lapidem ad Blaedam id est Budam vulgo urbem, in marginibus Danubii id est duna eorum lingua, versus Vindelicos, qui nunc Austrii dicuntur: et in conducendis undique omnium scientiarum doctis viris omnibus et auctor et legatus carissimus per Italiam et ubique gentium. Quis enim non doleat cum musis lugentibus ut perierit aconito a rege Turchorum Iustappha ille quasi unus deus doctorum hominum, cui natura similem numquam produxit. Tandem ultra haec amicitia nostra ex communibus musis graecis et latinis faciunt ut in profundo miseriarum attonitum et desperationis meae supplicare vovereque ut his versiculis quasi epitaphio in feriarum ex dolore praecipiti calamo effusis, una cum Anselmo nostro omni laudis genere accumulatissimo et beatitudine musarum poene divino ad templum Trinitatis porta Brixellanae in Parma urbe tua Nicandrum meum unicum dum ad te venero, qui ut mihi persuadeo cum aliis pueris in coemeterio puerorum puerilia ibi saepe ludit et

[1] Igazi veszteség, hogy e felette érdekes levélhez hiányzik Ábel jegyzete. Mátyás király halálát furcsa alakban történt mérgezésnek tulajdonitja.

floribus ubi habitant animae, quod non te fugit, ante eius sepulturam transiens ne credat eo tumulato ex memoria mihi cecidisse, digneris saepe salutare lachrymas pueri pro patre absente consolando. Vale melioribus fatis. Rhegii Subricis.

Dalmatae Ant. Wranc.[1]

Quod vos heroes seros producit ad annos
  Quod numerat vestras Oppolitanus opes:
Non hoc non illi debetis: at inclyta debet
  Posteritas vestro non caritura animo.

Mich. Wranc.[1]

Nasutos fugias libelle amicos,
Ne nasos subeas parum absolutos:
Hoc est nec bene sordidos nec unctos:
Nasutos fugias libelle amicos.

Dominici Zavorei[2] de rebus dalmaticis[3] libri octo.[4]

Admodum illustri ac reverendissimo DD. Fausto Verantio episcopo Chanadiensi,[5] sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis consiliario, cognato et Domino meo Observantissimo.[6]

Cum aliquot abhinc annis mihi ab hac nostra sicensi (így!) urbe praeter meam opinionem abesse, meoque ab ea non exiguo incommodo exulare contigissit, ut huic intestino dolori medelam aliquam afferrem, variarum hystioriarum lectioni operam navare coepi, a qua magna ex parte sum

[1] A következő munka czímlapjának versóján: „Duo Panegyrici Ioannis Oppolitani Silesii. Viennae Austriae excudebat Egidius Aquila. Anno M. D. L.

[2] Cod. Marcianus cl. X. cod. XL. saec. XV. bővebb leírását lásd Valentinelli catalogusában. E codex hibás olvasásait a jegyzetekben közlöm.

[3] dalmatici. [4] otto. [5] Chariadiensi. [6] observandissimo.

ea molestia levatus, quae solet eos exercere qui patriam deserere coguntur. Caeterum inter legendum plurima sese mihi obtulere, quae ad hanc nostram Dalmatiae provintiam pertinebant. Quae propterea hoc in ocio ex temporum ordine in unum redigere atque de rebus dalmaticis hystoriam contexere decrevi, itaque feci. Magnam vero lucem operique meo huic attulit labori commentariolus, qui de Dalmatiae regibus inscribitur, e Slovina a Marco Marulo in latinam linguam conversus; quae quidem hystoria sicut tum ex hoc tum[1] ex illo probato auctore excepta[2] est, ita facilius et dulcius in parvum volumen redacta leguntur, quae sparsim hinc inde collecta[3] sunt, ac praeterea clarius et uberius, siquidem ex variis nostrae provintiae privilegiis et literis publicisque instrumentis addidi plurima, quae et uberiorem et pulchriorem meum hunc laborem reddidere, fidemque auctoribus a me citatis unde descripta sunt haec, certiorem attulere: quibuscum tantum mea consentiat sententia; reliquos ab his omnes utpote[4] qui fabulas potius Dalmaticas quam hystorias elucubrasse videantur, nihil prorsus faciendos et reiiciendos arbitratus sum. Igitur tibi, admodum illustris et reverendissime vir, meo uti singulari patrono tuoque mihi sanguine coniuncto, opus hoc magnitudine sane exiguum, verum labore in eo consumendo non parvum, dicatum volui; aequum etenim visum est, ut tu qui claros ortus tui dies e Dalmatiae provintia[5] susceperas, eiusdem quoque provintiae res gestas quae ad hunc usque diem sparsae ac egregiis aliarum gentium facinoribus veluti opertae nullius proinde famae iacuerant, in unum a me collectas[6] legendas fovendasque susciperes, meque, uti facis, amare pergeres. Vale.

---

[1] tiun. [2] talán *excerpta?* [3] colecta. [4] utpoto. [5] provintiae. [6] colectas.

Zalka János tankönyve

258 levélből (papir) áll, 8°, javitott eredeti bőrkötés.[1]

Eleje csonka és az egyes lapok nagyon meg vannak rongálva.

fol. 1a. capitulum quartum de littera dominicali.
„ 1a. „ quintum de intervallo.
„ 1b. „ sextum de concurrentibus.
„ 2a. „ septimum de festis quinque mobilibus.
„ 2a. „ octavum de forma celi et ordine sperarum.
„ 3a. „ nonum de quatuor elementis.
„ 3b. „ decimum de situ et motu firmamenti atque de equinoctiis et solsticiis.
„ 4b. „ undecimum de aspectibus (?) planetarum haudno de eclipsibus solis et lune.
„ 5b. „ duodecimum de motu solis.
„ 5b. „ de motu lune.
„ 6a. „ decimum quartum de coniunctione etoppositione solis et lune.
„ 7a. „ quintum decimum de nominibus mensium.
„ 7a. „ decimum sextum de Kalendis, Nonis et Ydibus.
„ 7b. „ 11 de viciis quatuor temporum anni etc.
„ 7b. „ ultimum de angariis quatuor temporum.
„ 8a. pro cuius complecione sit deus benedictus per secula. Amen 1489.

Computus novellum (? novellmʒ) tocius fere astronomie fundamentum pulcherrimum continens feliciter explicit.

Tabula facierum (a csillagzatok alakjai).

fol. 8b—9a. astronomiai figurák.
„ 10ab. egy cisioianus latin nyelven.
„ 11b. astronomiai figura.

[1] A fol. 1a-tól fol. 8a-ig terjedő részek mind leonini borzasztó (rimes) hexameterekben vannak irva, számos sor fölötti glossával. Minden egyes fejezet után „pro declaratione“ czim alatt prózai paraphrasis.

fol. 12a—17b. Naptár a szentekkel.

fol. 18ab. 1486-tól 1505-ig terjedő lajstroma az aureus numerus, littera dominicalis, intervallum, concurrens, septuagesima, quadragesima, pascha, Rogacio, penthecoste-nek.

fol. 19a. Újabb kéztől czeruzával írva a codex tartalomjegyzéke, röviden.

fol. 19b. üres.

fol. 20a—23b. A megelőző calendáriumhoz való magyarázat prózában, többek közt az egyes csillagzatoknak (aries stb.) hatása az emberre, Iohannes de Sacro Bosco (in computo) magyarázata az idus, nonaeről stb.

fol. 23a. Huius Calendarii 1489 (most vörös) Anno milleno quadrin. octo quoque nono.

fol. 23a. Testrészek (pecten, ylia, verenda, coxa, inguen).

fol. 24a—27a. Incipit epistola Aristotelis ad Alexandrum de regimine hominis circa bibicionem et comestionem.

fol. 27b, 28ab, 29ab. Üres.

fol. 30a—63b. Egy zenészeti tractatus. Czime: (E ?) Rothemate presentis operis assno Cassidorum stb. Sok hangjegy. Végén: etc. Hic est finis per ladislaum de Zalka qʒ exlar (= exemplar) non huit ultim (?). In Pathak sb (= sub) Iohannis Baccalauris practica 1490.

Cum sol giro lucis patiebatur eclipsim,
  Hunorum (Ann.?), cui nomen dono Iovis erat?
Recte Mathias, dumque polonos instar arene?
  Terra fovebat predis. liber iste fuit.

fol. 64ab. Üres.

fol. 65a—78b. Többféle arbor consanguinitatis magyarázatokkal.

(fol. 76b. Említtetik egregiis doctoris Io. Andree in sua lectura).

fol. 78b. Finit tractatus magistri Io. An. super arboribus consanguinitatis affinitatis nec non cognacionis spiritualis per me laslonem de Zalka in pathak,

Rectore Iohanne Bacceo de Kyswarda pro tunc existente prima post Iohannis ante portam, anno salutis 1490.

fol. 79a. Arbor cognationis spiritualis.

fol. 79b. Üres.

fol. 80a—129b. Theodolus eclogái; végén: ffinis per me ladislaum de Zalka Anno domini 1490. feria quinta post festum epiphanie.

fol. 130a. Bernardus de contemptu mundi et appetitu divinorum, versekben bő commentárral.

Vége. fol. 167a.: Finis est impositus huic libello in Saruspatak per me ladislaum de Mathezalka. In festo exaltacionis sancte crucis (? ŏίβ) hora quasi nona post prandium in crepusculo noctis anno domino 4mo octoagesimo nono pro cuius termino sancte trinitati inmensas inmortalesque gracias agere curabo. Et tu quicunque legeris hunc, etsi non benedices nec maledicere velis ob hac qui multa non ex meorum cursibus calamorum incorrecta apposita sunt sed ex priori exmatri fla exaracoe (?) censeas.

Alme Bernarde doctor per secula plaude
Coniunctus patri dilectus flatu repletus
Almi spiritus impetra nobis locum et situs
In regno dei ubi letari in visu dei.

fol. 168a—258a. Rethorica ex dictis Tybini oratoris summi excerpta feliciter incipit.

(Hogy aligha volt magyar ember, kitünik fol. 176b-ből, hol a levelek czimezéséről lévén szó: Serenissimo principi ac domino domino Conrado duci Burgundie — sancte Maguntine sedis archiepiscopo — prepositus... erfordiensis — archiepiscopo Maguntinensis ecclesie — többször hivatkozik Gamfredus nyelvészre; fol. 178a. Saxonie dux — archiep. Magunt. — gyakran fordul elő: sed secundum Tybinum; fol. 189b. landgrafi et Marchiones, landgrafio Turingio, purgrafii. Az egész költői levelekről szól).

Végén: Ffinit presens tractatus dictatorius excerptus

de Tybini oratoris dictis, utilis legentibus per me L. de Z. in festivitatibus Nerei et Achillei Martirum sub Iohanne Baccę° de Kyswarda pro tunc rectore scole pathak. existente anno curente, Anno domini 1490.

A Theodolushoz való introductióból:

Unde titulus istius libri est iste: Incipit egloga theodoli sive theodori aut paradisi unde egloga dicitur ab egle quod est caper et logos quod est sermo, quasi caprinus sermo, tres autem sunt partes eglogarum . . . quedam consistit in amaris responsionibus et huiusmodi egloga usus fuit oracius in sermonibus suis. Est autem secunda egloga ut qn agnis (?) inducit viles pernas in opusculo suo et de ipsis tractat et huiusmodi egloga usus fuit marcianus et virgilius in Bucęacę (= Bucolicis). Est autem Za'a egloga que hu inhumanitate consistit et huiusmodi egloga usus fuit Theodolus in hoc opere suo, quasi invitat ad humanitatem. Unde Theodolus servus dei vel domus dei nuptarum (?) theodorus videns deum.

A commentárban adja a szószerinti constructiót, egyes szók magyarázását, etymologiáját, mondák elbeszélését és allegorikus interpretatióját.

Görög etymologizálása az egész codexen végig borzasztó. A mythosokat elég jól mondja el.

In mortem Pauli Istvánfii singulari pietate ac doctrina viri Epicedium Gabriele Zentgewrgio autore.[1]

. . . Quo sol bis senos orbis convertere cursus
Assolet et caeptum carpere rursus iter,
Hoc spacio Istwanfii Patavina dicitur urbe
Ingenium studiis excoluisse bonis,

[1] „Epitaphium Clarissimi Viri Nobilitate Generis, Virtute et Eruditione praestantiss. Demini Pauli Istvánffii a Kys azzon ffalva, Sacrae Regiae Maiestatis Consiliarii Scriptum a Francisco Thenke. Viennae Austriae excudebat Michael Zimmermanius. Anno M. D. LIII." Negyedrétben.

Ac didicisse prius famulas industrius artes,
  Fervidus et linguas consociasse duas.
Post cito divitias animo cumulare pudicas,
  Condere et ingennas pectore caepit opes.
Nec tantum occultas naturae quaerere vires,
  Quur varias subeant corpora cuncta vices,
Corpora sed studuit pariter caelestia nosse,
  Quos teneant axes, quam teneantque viam.
Quo quodvis spatio proprium percenseat orbem,
  Quam mittant et in haec inferiora luem
Quur multos Hyades imbres ex aethere fundant,
  Quur nimio Syrius torreat igne solum.
Quae ratio a nobis Phoebum discedere cogat
  Longius et solitam mox reparare viam.
Aurea quid variet toties sua cornua Phoebe,
  Et modo deliteat, luceat ipsa modo,
Quurque dies fiant interdum noctibus aequi
  Nunc nox augmentum nunc, capiatque dies,
Quid generet noctu flagrantes aethere flammas,
  Quid quae spectamus plurima visa polo.
Vixdum Aries Phoebum quinto in sua tecta vocarat,
  Iam Paulus tantas mente tenebas opes,
Quas quamvis animo decus est comprendere summum
  Divinae ac mentis pignora clara refert.
Non tamen hoc Paulus potuit consistere cursu,
  Tam vehemens studii pectore flamma fuit,
Sed caepit sensim sacratas discere leges
  Posset ut his patriae consuluisse suae . . .
Proposito hoc Paulus divinas noscere leges
  Arsit et optatum contigit ille suum.
Nec tumidos Latio rediens in pectore flatus
  Gessit, nec fastum pretulit ore gravem . . .
Haec tam divinae sublimia munera mentis
  Cum quosvis hominum digna favore forent
Plurima Fernando pariter monimenta probasset,
  Secretis voluit mox adhibere suis.
Sedulus hic etiam Regi servire studebat,
  Praeclaram monstrans cuncta per acta fidem.

Impete quo carpsit vanissima dogmata mundi.
Quae verae impediunt Religionis iter?
O quam nutantem patriam fulcire cupivit.
Et res afflictas restituere loco.
Longius et Paulo si vivere fata dedissent
Plura suae mentis iam documenta daret.

INDEX ALPHABETICUS.

INDEX CHRONOLOGICUS.*

a) Certo tempore orta.

* **Numeri indicant numeros ordinis alphabetici.**

b) Incerto tempore orta.

ANALECTA NOVA

AD

HISTORIAM RENASCENTIUM IN HUNGARIA LITTERARUM SPECTANTIA.

IUSSU ACADEMIAE SCIENTIAE HUNGARICAE

EX SCRIPTIS AB

EUGENIO ABEL

RELICTIS CUM COMMENTARIIS EDIDIT PARTIMQUE AUXIT

STEPHANUS HEGEDÜS.

BUDAPESTINI,
TYPIS VICTORIS HORNYÁNSZKY
1903.

Ára 8 korona.